NOVITIATE LIBRARY

NOVITIATE LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionesthe0003unse

NOVITIATE LIBRARY

NOVITIATE LIBRARY

INSTITUTIÓNES THEOLÓGICÆ.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY
NOVITIATE LIBRARY

INSTITUTIÓNES

THEOLÓGICÆ,

AD MENTEM ANGÉLICI PRÆCEPTÓRIS

D. THOMÆ AQUINÁTIS,

STUDIÓSÆ JUVENTÚTI PRO USU SCHOLÁRUM

ACCOMMODÁTÆ,

ET AD UBERIÓREM INTELLIGÉNTIAM DOCTRÍNÆ S. DOCTÓRIS

ELUCUBRÁTÆ

A RR. AA. PP. Sacr. Theol. Magistris

FR. NARCÍSSO PUIG, ET FR. FRANCÍSCO XARRIE,

ÓRDINIS PRÆDICATÓRUM.

TOMUS TERTIUS.

COMPLÉCTENS QUÆSTIÓNES SELÉCTAS, STUDIÓSÆ JUVENTÚTI PERÚTILES, ET ACCOMMODÁTAS, AD PRIMAM SECÚNDÆ, ET SECÚNDAM SECÚNDÆ PARTIS SUMMÆ ANGÉLICI PRÆCEPTÓRIS SPECTÁNTES.

Superiórum permíssu.

NOVITIATE LIBRARY

BARCINÓNE.
APUD JOSÉPHUM RUBIÓ,
IN VICO COMMÚNITER DICTO, BAJADA DE LA CÁRCEL.

MDCCCLXIII.

Jus proprietátis Óperis est penès Collégium Olcániæ, sive Ocáñiæ, Órdinis Prædicatórum ; ipsúmque apud Tribunália jus vindicábit proprietátis contra invasóres.

CENSÚRA

Perillústris D. D. Andréæ Posa et Moréra, Phri., in Sacra Theológia Licentiáti; Philosóphiæ Baccaláurei; in alma Barchinonénsi Ecclésia Canónici Lectorális: olim in Seminário Trid. Vicénsi, póstea verò in Pontifício, ac Regáli Lycæô Barchinonénsi Sacræ Scién-tiæ Moderatóris:

Peril. ac Reverend. D. D. Joánni de Palau et Soler, utriúsque juris Doctóri, Vicário Generáli et Officiáli Diœcésis Barchinonénsis pro ádmodùm Illmo. Capítulo Canonicórum ejúsdem Ecclésiæ, Sede Episcopáli vacánte.

Perillústris Dómine:

Tértium feliciter jamjam accépimus Volúmen Institutiónum Theológicárum, quas nostri Clar. Púxius, et Xarriérius studiósæ Juventútis máximæ cónsecrant utilitáti, ut Doctrínæ Thomísticæ lacte impinguátâ mores suos juxta Divína, humánaque institúta discat compónere, Populíque christiáni solámini, ac cómmodo desérviat exémplô, et consíliô. Certè quidem quòd hujus tanti óperis inopinátus progréssus Sapientissimórum Virórum, sive Superiórum, qui primórum volúminum claritáte, órdine, et soliditáte allécti, illud suis accommodáre Seminários, aut Inferiórum, qui illud sibi comparáre desíderant, spectatiónem, quod citiùs, Deô adjuvánte, corónâ perficiétur, mirabiliter confirmábit.

Ut tamen meô fungar múnere, quod mihi et ab Excmo. ac Illmo. D. D. Antóniô Palau et Termens, digníssimô ac Sapientíssimô hujus Diœcésis Præsule, quem nuper inexplébili mortis falce è médiô sublátum amarissimis deflévimus suspíriis, litterîs própriâ obsignátis manû fuit impósitum, et à Te, póstquam Capituláribus suffrágiis ad gubernácula hujus Ecclésiæ Barchinonénsis in sua viduitáte moderándâ fuísti eléctus, vivâ voce confirmátum, cándidè fatébor: ómnia, quæ in hoc tértio volúmine tractántur, et stíli elegántiâ, et dictiónum simplicitáte, et claritáte, et sententiárum profunditáte, et ratiónum póndere, et tandem solutiónum, quibus adversariórum argumenta solvúntur, eradicántur, evertúntur, róbore, láudem meréri duóbus primis non secúndam.

¡Quàm apprimè étenim, quàm collimátè, quàm sapiénter longævi nostri Púxius et Xarriérius, qüasi ipsi in stádio cursum perficiéntes supérnæ infinitæque Beatitúdinis bravium

Acc. 2040

lætánter attíngerent, hómines non álibi quàm ad Deum summum bonum, ætérnam veritátem, velut ad últimum finem actiónes omnes dirígere debére, et docent, et tuéntur!

Cum enim homo intelligéntiæ splendóre effúlgeat, propter finem operétur ádeò necésse est, ut, qui secùs cogitáverit, eúmdem inter bruta animántia fœtidô collocábit stábulô. Hinc tractátus instítuunt sap. hujus Óperis Auctóres de último fine hóminis; an sit, quis sit; qüáliter per ipsum humáni informéntur actus, sive hi genéricè, et confúsè, sive specíficè, et exprésse ipsum prosequántur: qüáliter étiam hujúsce finis consecútio objectívam, seu formálem hóminis compónat beatitúdinem: an hæc in bono increáto, scílicet Deô, solùm sistat: cujùs poténtiæ præcípuè actus sit, intelléctûs an voluntátis; cujûs minûs principáliter: hujus beatitúdinis pingüíssimi fructus, impeccabílitas scílicet beatórum, ac necessária Summi Boni diléctio, à cujùs exercítio ne momentô quidem cessáre váleant, cum in essèntia veritátis, intelléctus; bonitátis, volúntas, própriis utriúsque objéctis pacíficè jam quiéscant: necnon et tanti Boni ætérnitas: qui quidem tractátus à Clar. hîsce Auctóribûs ita præcísè, clarè, ac perfectè instituúntur, ut, qui ipsis addiscéndis vacábunt júvenes, nedum in rerum mundanárum contémptum sint abitúri, sed divíni étiam amóris fácibûs accénsi, ut tantô potiántur bonô, bonum certámen sint certatúri, quoúsque repósita sibi justítiæ coróna à Deo justo Júdice ipsis reddátur sempitérna.

Nec minórem meréntur láudem, Peril. Dom. brévitas, sufficiéntia, spléndor, atque elegántia, quibus in hoc volúmine explicántur ea, quæ omnis Doctrinæ morális verè dicúntur, suntque fontes, ac princípia, quæque frequénter Tyrónum ingénia, quia ut plúrimùm obscúrè tradúntur, solent agitáre, cum ex eórum ignorántia in Pœniténtiæ tribunáli judícia fiant incóngrua, ex perfécta áutem cognitióne informatiónum, judiciórum, resolutiónum, ac sententiárum ejúsdem fori óptima procédat collimátio. Certè quidem quòd voluntárium, quô actus constitúitur humánus, cáusæ illud tolléntes, vel minuéntes, quæque ipsum absolútè considerátum adáuget concupiscéntia antecédens; imò et libértas indifferéntiæ, quæ ad méritum, ac demérítum necessáriò requíritur in áctibus humánis; horum moralitátis constitutíva, essentiália, objécta scílicet et circumstántiæ prout objécti ratióne induúntur, aut étiam accidentália, prout hæ in ratióne circumstantiárum pérmanent; régulæ primordiáles, quibus actus moráles reddúntur ex accéssu ad ipsas, vel recéssû, leges scílicet ætérna et naturális; conformitas ad Divínam Voluntátem, quâ volúntas bona fit, modúsque, quô hæc conformitas potest attemperári circa vóita materiália, quin volúntas désinat esse bona: hæ, inquam, quæstiónes ita apprimè expendúntur, ut vel mediócris ingénii Tyrónes ipsárum lúmine casus resólvere nóverint intricatióres.

Régula étiam próxima ac última, quæ áctuum moralitátem humanórum immediátè dírigit, quæque conscientiæ nómine insignítur, perbellè (res factû difficíllima) in hoc volúmine explicátur. Cum enim ipsa lucérna sit ardens, quæ non per generálium, seu universálium principiórum inter obscúrum lumen, sed per judícium prácticum, seu actum intelléctûs, quasi lúcidum splendórem manû ipsíus hóminis portátum hìc et nunc operabília, seu agibília detérminet, hinc ópere pretium est, júvenes, ántequam conscientiárum regímini incúmbant, edocéri, quâ majôri possit claritáte, ipsa quid et quótuplex sit, qüándò secúndùm ipsam ágere fas sit, qüándò non liceat, quómodò sive pœnitens, sive Confessá-

rius, sese gérere débeant circa ea operabília, quorum morálitas transvérsas tenet Theologórum Juristarúmque opiniónes: quæ quidem ómnia hìc ita luculénter nitidéque tractántur, ut vel rúdior intelléctus, étiam solà lectióne, de ómnibus possit fíeri cónscius.

Cùm áutem homo ex áctuum iteratióne facilitátem, inclinatiónem, seu hábitum cóntrahat juxta vulgátum axióma: *Fabricándò fit faber*: hábitus áutem hi, si ad bonum inflécteut agéntem, virtútes; si verò ad malum, vítia vocéntur; utrorúmque natúram considerâre Theólogum éxpedit, ut virtútis pulchritúdine, vitiíque fœditáte, ac squalóre perspéctis, se suósque cliéntes et virtútis elegántiâ ornáre, et à vítiis abhorrére, pro víribus conétur. Peccáta quoque, quæ vel vitiórum sunt fœdi paréntes, aut horum scelerâta sóboles, cognóscere animárum Moderatórem magnóperè intérest, ut ita lepram distíngüat à lepra; undè in Ópere Theológico pertractári opórtet eórum natúram, spécies, gravitátem, circumstántias, cáusas, cætéraque, quæ fori interióris judícia, sententiásque juváre possunt, ut ne à justítiæ rectitúdine déviet. Hæc áutem ómnia à præclar. et Sap. Púxio, et Xarriério plúsquàm abundánter, prout Institutiónes áttinet, præstári, tértium hocce Volúmen legénti fácilè patébit.

Nil étiam evidéntius, Peril. Dom., quàm hóminem, qui inter cáusas peccáti abs dúbio debet recenséri, hómini morbos ánimi persæpè communicáre, sicut enim Thísicæ, Tiphoydæ, Herpéticæ, cæteræque quamplúrimæ córporis infirmitátes hálitû, contáctû, consuetúdine, milléque áliis modis ab uno ad álium conferúntur, ita étiam frequénter évenit in langóribus spirituálibus consíliò, exémplò, orígine in qua hóminis *stirpe vitiátâ*, ut docet August. (in Enchir. cap. 25, *pœnâ mortis ac damnatiónis ita obstrictus est, ut quidquid prolis ex ipso, et simul damnátâ, per quam péccaverat, cónjuge per carnálem concupiscéntiam, in qua inobediéntiæ pœna símilis retribúta est, nascerétur, tráheret originále peccátum.* En Cath. Dogma, in quo *Christiánæ Religiónis summa consistit*, ajébat ipse August. lib. 1, Contr. Julian., cap. 7. Quæmádmodum ergo, ut ártifex domum, quam fábricat, sólidam, fortémque reddat, fundaméntum apprimè stabíliat, necésse est, ita étiam ad Doctórem Theólogum máximè áttinet, solidíssimis roboráre moméntis hanc religiónis veritátem, cum ab ipsa quási fonte cæteras, quæ médiæ dicúntur, humánam scilicet Redemptiónem à D. N. Jesu Christo misericórditer perféctam cursû necessáriò efluére, dóceat Ecclésia: (*in Officio Pretios. Sang. D. N. J. C.*)

Humáno géneri pernícies gravis
Adámi véteris crímine cóntigit:
Adámi intégritas et piétas novi
Vitam réddidit ómnibus.

Hocce áutem munus fidelíssimè adimpléntes Clar.mi Institutiónum Auctóres ora obstruxérunt priscis, Pelagiánis, Albanénsibus, recentioribúsque Zuingliánis, Sociniánis, ac Rationalístis, qui advérsùs fundamentále istud Religiónis N. Dogma áudent mussitáre.

Cùm item pœna respóndeat culpæ, illámque huic aptáre víndicis sit próprium justítiæ, Doctórem páriter Théologum spéctat, ut póstquàm morália crímina límpidò osténderit spé-

culô, pœnas étiam, quibûs à Deo, cui soli peccátur, et quô coram malum fit, plectúntur, luculénter manifléstet. Ex his líquidò infértur, quare nostri Púxius et Xarriérius, post tractátum de peccátis, vestígia Ang. Doct. insequéndô respectívum instítuant de pœnis. Quia vero peccatórum, seu críminum morálium ália grávia, sive mortália sint; ália lévia, sive veniália; indè de Infernáli cárcere, in quo illa sempitérnè puniúntur, et de Purgatório in qua ista temporáliter, perbellè dísserunt, docéntes, quis alteriusutrius locus, quæ pœnæ, harum classes, durátio, et acérbitas, ómnia ita sapiénter componéndô, ut claríssimîs suórum intelléctuum splendóribûs noctem illam tenebrósô túrbine posséssam, diéi instar videántur illumináre, quô Tyrónes, boni virtútis amóre. mali pœnárum metû, in offício contineántur.

Passiónes étiam, cum vividíssimè in humánas influant actiónes, et ex eis laxátô frænô, ómnia ferè, quæ in mundo sunt, oriántur crímina, virtutésque eliminéntur, ordináta rerum Theologicárum séries efflagitábat, ut póstquàm de virtútibus, et vítiis generátim jam dissértum est, de passiónibus étiam dissererétur, ut ita novum virtúti stabiliméntum, nova áutem vítio stráges adhibeátur. Id áutem quàm óptimè péragi à Sénibus nostris, indúbium est; quippè qui in laudábili suo *de passiónibus Appendice* luculénter, páucîs tamen, expédiunt, quid et quótuplex sit pássio, quæ illárum relátio ad bonitátem, seu malítiam morálem, quæ ad concupiscíbilem, quæ verò ad irascíbilem appetítum pertíneant, et hæc quidem ómnia máximô Tyrónum emoluméntô.

Séquitur deínceps, Peril. Dom., órdine Theológicis Institutiónibus jurè débitô, tractátus *de Légibus*, quárum quidem, cum régulæ sint áctuum humanórum, cognítio máximè juváre ad perféctam, consummatámque peccáti, et étiam, à contráriis argüendô, virtuósi actûs notítiam, docet Apóstolus ad Rom., cap. 7, v. 7: *Peccátum non cognóvi nisi per legem, nam concupiscéntiam nesciébam nisi Lex díceret: non concupísces.* Nostrórum ergo Púxii et Xarriérii, ni vellent à múnere suo defícere, erat perscrutári, ac rudiórum étiam intelléctuum cáptui aptáre: quæ sint legis constitutíva; cujûs poténtiæ sit actus; quod ejus objéctum; quibus débeat impóni; qui ejus actus, et conditiónes, ex quibus péndeat ejus obligátio. Ipsórum étiam erat pertractáre de Lege ætérna, quæ cum ómnium aliárum norma, speculúmque exístat, ita omnes álias ei conformári opórtet, ut si tali difformes sint, non leges, sed pótiûs tyránnides iníquè condentur: item de Lege naturáli, quæ cùm sit lumen vultûs Dominici super nos signátum, ut osténdat nobis bona; juxta Régium Psaltem, *Psalm. 4*, 6: ideò próxima legum ómnium humanárum forma osténditur, cui quæ aptántur, bonæ; quæ verò díscrepant, malæ profectò efficiéntur: ac tandem de légibus humánis tam Ecclesiásticis, quàm Civílibus ostendéndô, an potéstas eas condéndi descéndat ab Eo, *per quem Reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt*: an conventióne tantùm efformáta sit, et subditórum consénsû, ut ita delirántis Rousoji, quem pudet adscíre hóminem, cum seq sum bélluam constitúerit, sómnium, quô; heu! humánæ societátes rebelliónum procéllis támdiù concutiúntur, fúnditûs evanéscat, in nihilúmque redigátur: étiam distinctiónem Ecclesiásticæ, Civílisque potestátis, quem cujúsque órdinem sociálem, quæ cujúsque múnia, ac tandem statutórum, seu legum, quæ ab utráque emánant, matériam, finem, objéctum, vimque obligándi, ut ita quisque súbditus

quibùs erga legítimam potestátem tenéatur officiis, apprímè cognóscat. Hæcque ómnia in præsénti Volúmine ita sólidè, concinnéque discutiúntur, ac declarántur, ut qui légerit, non póterit quin statìm Anti-Lucrétio Em. Card. de Polinac assentiátur, ista modulátè canenti: *Lib.* 9, *à vers.* 369.

Constituit multas hóminum sapiéntia leges;
Id fáteor: sed enim invéntrix sapiéntia legum
Lex primœva fuit, quæ non invénta, sed ipsô
Múnere natúræ sit méntibus indita cunctis
. . . . . .
Nostrô spirans hæc péctore damnat
Quidquid pervérsum est, et honésti inscúlpsit amórem.

Ut tandem *de Légibus* Tractátum fulgéntî láureâ corónent nostri Doctóres theológici, máximâ éxplicant claritáte, tutissimóque in loco ponunt suprémam auctoritátem Legis positívæ Divínæ, nedum ejus, quæ in Véteri, sed étiam ejus, quæ in novo continétur Testaménto; atque utriúsque differéntiam non quási ad divérsum ordinántes finem, sed quási ad eúmdem finem illam remótiùs, istam proximiùs accedéntem, splendentíssimis pingunt colóribûs.

Accédit póstea *Tractátus de Grátia*, in quo ingénium eruditissimórum Senum singulàriter effúlget. ¡Quàm apprímè síquidem, quàm luculénter, quàm profundè Clar. hi Auctores supérnum hocce, exímium, ac necessárium éxplicant hóminis adjuméntum, ut veritátibus revelátis fírmiter assentiátur, ut bonum operétur ad vitam condúcens ætérnam, ut plenam assequátur justificatiónem, ut ad finem usque persevéret, ut tandem lætítiâ cum vultu Dómini adimpleátur, delectatiónes possideat in déxtera Dómini ætérnùm duratúras! Quàm apprímè, quàm luculénter, quàm profundè gratiæ esséntiam pandunt, et ipsíus distinctiónes tam ex parte princípii, quàm formæ, ex parte virtútis, seu efficáciæ et effectuum, ac tandem prout refértur ad divérsos hóminis státus, natúræ scílicet íntegræ, seu corrúptæ, partiúntur, evólvunt, ac tuéntur! Sápiens comprehénsor solértiæ, ratiónum, ac momentórum, quibus N. Púxius, et Xarriérius, quasi Aug. Doctóris mentem ipsam íntimè rimáti fuíssent, ob óculos ponunt necessitátem auxílii efficácis, præter auxílium grátiæ sufficiéntis, ut justus nova edat ópera supernaturália; agitatíssimas diversárum scholárum quæstiónes, et dissidéntem opinándi modum mirábitur péritus deperísse. In justificatióne étiam peccatóris, hujus ánimam nítidè lavári, sceléraque, non sólùm tegi, radi, seu operíri per justítiam Christi, sed tolli étiam, eradicári, ac deléri, ita ut grátiæ aspergátur hyssópô et mundétur, lavétur, et super nivem dealbétur; ádeò ineluctabiliter in hoc Tractátu defénditur, ut státim appárcant Calvinístæ, et Lutherâni ignominiósè devícti, ac pudénter terram lingéntes. Requisíta quoque, ut à mísero peccatóre éadem obtinéatur justificátio, præstánter, distínctè, ac sólidè hìc ostendúntur et tuéntur. Nec minùs felíciter se gessére N. Auctóres in definiéndo, dividéndo, ac proponéndo justórum mérito, bonis mediántibûs opéribûs, quibûs non quasi áërem verberántes pugnant, currunt, non quási in incér-

tum, sed pugnant et currunt, ut incorruptíbilem accípiant corónam. Máximum prætérea láudis præcónium sibi compárant in expenditióne conditiónum, quibûs opus fulgére debet, ut sit meritórium, æquâlî enim ac in antecedéntibus procédunt méthodô, stylô, ac órdine.

Cûm verò ærumnósîs ac mœstíssimîs vivámus tempóribûs, quibûs sacra prophánis, cœléstia naturálibus, ac divína humánis hóminum supérbiâ æquáre audácter conétur, ita ut quæ sunt à Deo reveláta, sive quod idem est, quæ solíus fídei divínæ sunt, obscúrô ratiónis lúmine, auctoritáte Dei, ac Ecclésiæ neglécât, rimári, imò pótiùs cognósci, ac interpretári posse spíritus hóminis conténdat ac gloriétur; ídeò Sap. hujus Óperis Auctóres in eo prolixiùs morántur, ut osténdant fídei natúram, objéctum, veritátem et actus, obligatiónem hos eliciéndi, témpora, in quibus úrget hæc obligátio, ac necessitátem extérnæ fídei confessiónis, etsi ánima, seu vita instánter periclitétur. Consequénter áutem, ut fíde lumen splendídiùs ómnibus claréscat, cum contrária contráriis cognoscántur, límpida étiam notítia, ac dilucidátio præbétur hîc vitiórum, quæ fídei opponúntur, uti infidelitátis, hæréseos, ac blasphémiæ; ut, horum sánie, fœcibûs, ac nigrédine perspéctîs, lectóres, ad dogmátibus fídei fórtiùs adhæréndum, atque contra quoscúmque Religiónis Christiánæ turpíssimos hostes ácriter pugnándum, veritátis pulchritúdine adécti facíliùs adducántur.

Bréviter tandem, prout Institutiónes patiúntur, Tractátus instítuunt de réliquis virtútibus Theológicis, Spe scílicet ac Charitáte; necnon de Religióne, quarum pulchritúdo lábibus flagitiórum, quæ ipsis opponúntur, et quorum institútitur comparátio, mirabíliter effúlget.

Quod tandem summam tantórum Auctórum láudem magnificéntiùs exórnat, sunt rátio, et modus, quibus difusíssimam primæ secúndæ, et secúndæ secúndæ partis Summæ Angélici Doctóris matériem ad normam Institutiónum elementárium ita in hoc Volúmine perfectè redegérunt, quòd utilióra accuratíssimè eligéntes, atque prióra posterióribus suávî quôdam nexû copulántes, compéndium edíderint morálium notiónum illustratióni, éthicæ, ac reminiscéntiæ adolescéntium summóperè profutúrum.

Júdico ergo et cénseo, hocce tértium Institutiónum Theologicárum Volúmen lucis públicæ esse digníssimum, atque ex eo Seminárîis Episcopálibus pro textu aptáto, Tyrónibus, Præceptóribus, Ecclésiæ, civilíque Societáti cómmodum prægrándе adventúrum. Barcinóne 3 Idûs Novémbris MDCCCLXII.

ANDRÉAS POSA ET MORÈRA, Canónicus Lectorális.

Barchinóne 27 Novémbris an. 1862.

IMPRIMÁTUR,

JOÁNNES Á PALAU ET SOLER, Vic. G. Cap.

MÓNITUM AD LECTÓREM.

Ex quo huic Óperi Elementári elucubrándô, stúdium virésque nostras, licèt ádmodùm módicas, contúlimus, è vestígio habúimus in votis, recéntes, grassantésque erróres, máximè Pantheísmum Germánicum, Rationalísmum, et Socialísmum, prout índoles Óperis Elementáris pátitur, reféllere, et profligáre. Re matúrè perpensâ, statúimus in calce sequéntis Tomi, qui erit últimus hujus Óperis, appónere quásdam Appendíces, in quibus præfáti erróres suîs natívîs colóribûs depingántur, eorúmque defórmitas státim Tyrónum óculis appáreat; partìm enim ex notítia quæstiónum, quam in decúrsu Óperis sibi Tyrónes comparáverint; partìm ex iis, quæ áddere nobis visum fúerit opportúnum, facíliùs cápient argumênta, quibûs sophísmata horúmce Novatórum retundúntur.

TRACTÁTUS

DE SPECTÁNTIBUS AD PRIMAM SECÚNDÆ,

SUMMÆ D. THOMÆ.

Póstquàm in Tomo præcedénti pertractávimus de Deo Uno, et Trino, ac Creatóre, præcípuè Angelórum, et Hóminum, gradum faciéntes ad ea, quæ pertráctat Angélicus Doctor in Prima Secúndæ; rectus ordo doctrínæ póstulat ágere de Deo, ut últimô fine, seu Beatitúdine, propter quam cónditus est Homo; necnon de médiis, quibûs hanc beatitúdinem ássequi potest, vel ab ea deficere. Nunc ergo à fine último, seu beatitúdine, opórtet exordíri.

CAPUT PRIMUM.

DE ÚLTIMO FINE HÓMINIS.

1. Finis vàriè divíditur. Primò in finem *qui* seu *cujus*, et finem *quo*. Finis *qui*, seu *cujus* est illa res, quam cónsequi inténdimus, et cujus consequéndæ gratiâ média selígimus, et cætera fáciimus, ut eam adipiscámur. Finis *quo* est ipsa adéptio, et consecútio illíus rei, quæ, ut annotávimus, dícitur finis *qui* seu *cujus*. Sic, sánitas, quam infírmus inténdit adipísci, respéctû ipsíus est finis *qui* seu *cujus;* et ipsa adéptio sanitátis est finis *quo*.

2. Secúndò divíditur finis in finem *ópe ris*, et finem *operántis*. Finis óperis est res illa, ad quam opus ex se ordinátur. Finis operántis est ea res ad quam óperans órdinat opus, quod facit. Sic, finis ædificatiónis est domus; sed finis ædificatóris potest esse lucrum, vel áliquid áliud. *Vid. D. Thom. in* 2 *Sentent.*, *Dist.* 1, *q.* 1, *art.* 1.

3. Tértiò divíditur finis in finem *qui* seu *cujus*, quem jam num. 1 explicávimus; et in finem *cui*, id est cui sub-

jécto quæritur illa res, qui finis *qui*, seu *cujus*, nuncupátur. Sic, Paterfamílias laborándò inténdit acquírere pecúniam, (en finis *qui*, seu *cujus*) pro utilitáte famíliæ (en finis *cui*.)

4. Divíditur quartò finis in finem últimum, et non últimum, seu intermédium. Finis últimus est in quo volúntas últimò sistit. Non últimus, seu intermédius est, in quo volúntas últimò non sistit, sed ab eo ad ulteriórem finem procédit. Sic, dum volo deambuláre ut sim sanus; volo esse sanus ut stúdeam; volo studére ut instructióni meæ, et aliórum coóperer; hoc áutem volo ob glóriam Dei: hæc ergo sola est finis últimus; cæteri verò antecedéntes fines, sunt non últimi, sed intermédii.

5. Fines, quos supra nuncupávimus *qui*, et *quo*, non sunt simplíciter duo fines, sed pótiùs duæ partes eúmdem finem integrántes; pecúnia enim, qui est finis *qui* avári, et posséssio pecúniæ, quæ est ejus finis *quo*, non sunt duo fines, sed unus ínteger: nam avárus non áppetit pecúniam utcúmque, sed ut possidéndam.

CAPUT II.

UTRÚM ACTUS HUMÁNI SPÉCIEM SORTIÁNTUR EX FINE?

6. Nómine actûs humáni intellígitur actus morális. Undè loqui de áctibus humánis, idem est, ac loqui de áctibus hóminis in génere moris, an scílicet boni sint, vel mali; quamvis in génere natúræ, vel artis, præstantíssimi sint. *Vid. D. Thom.*, 1.ª 2.æ *quæst.* 1, *art.* 3. His prænotátis, sit

CONCLÚSIO

Actus humáni spéciem sortiúntur á fine.

Prob. 1.° ex August., *lib.* 2 *de móribus Manich.*, *c.* 13, ubi árgüens Manichæos, qui apud imperítos tamqúàm áliquid magnum prædicábant, quòd non vesceréntur cárnibûs, et vinum non bíberent, ait: «Quod quæro á vobis, quô «fine faciatis? Finis enim, quô referún«tur ea, quæ fácimus, id est, propter «quem (*finem*) fácimus, si non solùm «inculpábilis, sed étiam laudábilis, tunc «démùm étiam facta nostra láude áliquâ «digna sunt... De Catilína memóriæ «próditum est, quòd frigus, sitim, fa«mem ferre póterat. Hæc erant illi spur«co, sacrilegóque, étiam cum Apóstolis «nostris commúnia. Undè ergo discérni«tur parricída iste ab Apóstolis nostris, «nisi fine illo, quem diversíssimum se«quebátur?»

7. Prob. 2.° Idem Augustínus super illa verba Christi, *Matth.*, *cap.* 5, *vv.* 22, *et* 23: «Si óculus tuus fúerit sim«plex; totum corpus tuum lúcidum erit, «etc.,» pòstquàm ait, per óculum intelligéndam esse intentiónem finis, conclúdit: «Non ergo quid quisque fáciat, «sed quô animô fáciat considerándum «est.» Id idem dócuit Gregórius, *lib.* 28 *Moral.*, *cap.* 11; et tandem D. Tho-

mas 1.ª 2.æ *q.* 12, *art.* 1, *ad* 1.^m inquiens: «quòd intentio nominátur ócu«lus metaphóricè, non quia ad cognitió«nem pértinet; sed quia cognitiónem «præsuppónit, per quam propónitur vo«luntáti finis, ad quem movet: sicut «óculò prævidémus, quò téndere corpo«ráliter debeámus.»

8. Prob. 3.° ratióne theológicâ innixâ doctrínæ D. Thom., 1.ª 2.æ *q.* 1, *art.* 3. Áctio humána spéciem sumit à suo princípio, et à suo término; sed finís est actiónis humánæ princípium, et términus: Ergo, áctio humána spéciem sumit à fine.

Declarántur præmissæ: Áctio humána est, quæ procédit à voluntáte deliberátâ, id est, à voluntáte deliberátè agénte propter finem: finis áutem potest dupliciter considerári, scilicet, in *intentióne, et in executióne;* quátenùs est in intentióne, állicit, sicque movet voluntátem ad agéndum; (en quáliter finis est princípium actiónis, quæ à voluntáte deliberátâ procédit): finis verò in executióne est términus in quo volúntas quiéscit: Ergo, idem finis est princípium, et términus actiónis humánæ. Hæc sexcéntis exémplis patent: sic ægrótus deliberátè agens priùs inténdit sanitátem ut finem, quàm ápplicet média ad eam obtinéndam; et ex hac intentióne sanitátis adquiréndæ movétur ad applicánda remédia: en quómodò sánitas inténta est princípium operatiónis voluntátis: obténtâ verò sanitáte volúntas non ultrà progréditur, sed in sanitáte conquiéscit; (en quómodo éadem sánitas ut obténta, est étiam términus actiónis infírmi deliberátè agéntis). Sic ergo in morálibus: si volúntas finem malum inténdit, hic finis inténtus constítuit actum voluntátis in spécie mali morális; si finem bonum inténdit, et cætera adsint quæ huic fini adstipuléntur, actus voluntátis in spécie boni morális constitúitur. Ergo, áctio humána à voluntáte deliberátâ procédens, sumit spéciem boni vel mali à fine, sive considerátò in intentióne, et quátenùs est princípium actiónis, sive in executióne spectátò, et prout est términus actiónis.

CAPUT III.

AN DETUR ÁLIQUIS FINIS ULTIMUS ÓMNIUM ACTIÓNUM HUMANÁRUM, ULTRÁ QUEM ULTÉRIÚS PROCEDI NON POSSIT?

Ut huic quæsito respondeámus, sit

I CONCLÚSIO.

Necésse est pónere áliquem últimum finem, propter quem, saltem sub generáli notióne boni apprehénsum, fiant omnes actiónes humanæ.

9. Prob. Concl. Hanc veritátem agnóvit, et conféssus est, Aristóteles, *lib.* 1, *Ethic. c.* 2, dum ait: Rerum agendárum esse áliquem últimum finem, quem propter se ipsum vólumus, et ómniaália propter illum. Id ipsum pleríque Philósophi agnovére, quámvis erráverint circa objéctum, in quo verus últimus finis, ultrà quem procédi non possit, sit collocándus, de quo infrà.

10. Prob. 2.° ratióne innixâ doctrínæ D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 1, *art.* 4. Si non esset finis últimus, ultrà quem procédi non possit, sed quólibet datô, ultérior, et ultérior darétur ; admitténdus esset in fínibus procéssus in infinítum: Atqui, hoc est impossíbile: Ergo, necésse est pónere etc. Prob. major à pari: Si non darétur áliquod movens absolútè primum, sed quôvis movénte datô, áliud, et áliud, et áliud etc. movens darétur ; darétur, ut patet procéssus in infinítum respéctû movéntium: Ergo, à pari, si non esset finis últimus etc. Prob. min. Si non darétur últimus finis, ultrà quem procédi non possit, sed irétur in infinítum ; nec darétur in agénte deliberátè una inténtio determináta, quæ esset ómnium prima, sed quâlibet datâ, ália, et ália assignári debéret, quia cùm inténtio sit de fine, si daréntur infiníti fines, daréntur infinítæ intentiónes, et cum in infinítis non possit assignári primum, si fines essent infiníti, non posset assignári áliqua inténtio, quæ foret ómnium prima ; et cum ab intentióne finis procédat áctio deliberáta, non posset assignári áliquis actus, qui primò à voluntáte deliberátâ procéderet; si non posset assignári actus, qui primò à voluntáte deliberátè agénte procéderet, neque possét assignári qui secúndò, neque qui tértiò etc. procéderet , adeóque nullus posset actus inveníri, qui procéderet à voluntáte deliberátè agénte, quod quàm falsum sít quilibet in se experítur. Tyrónum grátiâ rem exémplô illustrámus. Si in exércitu miles inférior nihil posset ágere nisi primus Dux belli illud ordináverit, et infiníti essent hujúsmodi Duces, unus ante álium in infinítum, miles nihil núnquàm posset operári, quia núnquàm posset deveníri in primum Ducem. Simíliter contíngeret in áctibus humánis, si núnquàm deveníri posset ad áliquam primam intentiónem finis, quæ sit velut Dux ómnium subsequéntium áctuum, qui à voluntáte deliberátâ, adeóque ab intentióne finis procédunt ; quæ inténtio ómnium prima, ut probávimus, dari non posset, si infiníti essent fines, seu, si non darétur áliquis unus ita últimus, ut ultrà ipsum procédi non posset. Ad uberiórem horum enucleatiónem sit

II. CONCLÚSIO.

Quotiescúmque homo líberé, et humánô modô operátur, tendit actû, vel virtúte in últimum finem formáliter sumptum.

11. Verba conclusiónis explicántur : Últimus finis bifáriàm sumi potest : unô modô formáliter, nempè sub ratióne máximè commúni, puta, boni apprehénsi, támquàm summi, et perféctè completívi appetítûs, quodcúmque sit illud bonum: álterô modô materiáliter, hoc est, cùm súmitur pro illa particulári re, in qua quíspiam finem últimum constítuit; ut si quis honóres, divítias, aut áliquid áliud apprehéndat, exístimans in eo summum bonum, et complétam felicitátem esse constituéndam.

12. Notándum, tripliciter intélligi posse, quòd quispiam actiónes suas réferat, et órdinet in áliquid ut finem, scílicet, vel actuáliter, vel virtuáliter, vel habituáliter. Ad actuálem ordinatiónem in finem requíritur actuális cognitio, seu considerátio finîs, actuális ejus inténtio, et actuális eléctio mediórum propter finem. Ad virtuálem requíritur vel quòd actuális inténtio finîs præcésserit, nec fúerit revocáta, sed vi ipsíus eligántur média, licét actû de fine non cogitétur; ut cum médicus cólligit herbas ex prióri intentióne sanitátis procu-

VATICAN LIBRARY

rándæ, de qua non cógitat, dum in colligéndo herbas curam impéndit: vel habétur virtuális inténtio finis quandò quis áliquid facit ex natúra sua ad finem téndens, et ordinátum, ut mínùs perféctum ad suam perfectiónem; sicut qui jacit fundaménta domûs inténdit in eis domum, et qui prójicit semen in terram inténdit fructum, quem fortè non novit. *Vid. D. Thom.* 1.ª 2.æ *quæst.* 1. *art.* 6. Tandem, áliquis actiónes suas órdinat ad finem *habituáliter*, quándò licèt plures actus áliàs exercúerit circa illum finem; nunc tamen, vel nihil agit circa illum finem, ut cùm dormit; vel non agit ex influéntia illíus hábitûs; neque id, quod agit ad illum finem ex natúra sua ordinátur: sicut quí rétinet hábitum charitátis, et veniáliter peccat, habituáliter quidem ordinátur in Deum, sed non virtuáliter, quia peccátum veniále, neque procédit ex hábitu charitátis, neque in Deum ordinátur. *Vid. D. Thom. in quæst. disputátis, quæst. de charitáte, art.* 11, *ad* 2, *et ad* 3. His prælibátis.

13. Prob. Concl. ratióne innixâ doctrínæ D. Thom. 1.ª 2.æ *quæst.* 1, *art.* 6. Quidquid áppetit homo liberè et humánò modò agens, áppetit sub ratióne boni, malum enim apprehénsum ut malum, non est objéctum prosecutiónis, sed fugæ: Ergo, quotiescúmquè homo líberè et humánò modò operátur, tendit actû, vel virtúte in últimum finem formáliter. Prob. conseq. Illud, quod homo deliberátè agens áppetit sub ratióne boni, vel áppetit ut bonum perféctum in se, et totáliter satiatívum appetitûs, et sic tale bonum est últimus finis; vel áppetit ut bonum minùs perféctum ex natúra sua tendens in bonum perféctum, si enim ad illud non ténderet, jam non esset bonum, sed malum: Ergo, quotiescúmquè homo liberè, et humánò modò operátur, tendit vel actû, vel virtúte in últimum finem formáliter; actû quidem, cùm áppetit bonum in se perféctum, et totáliter satiatívum appetitûs; virtúte áutem, cùm bonum áppetit ex natúra sua ad bonum perféctum ordinátum. Vid. prænotámina.

14. Hinc D. August. sentit, hóminem ómnia fácere ut sit beátus; seu ut últimum finem consequátur. *Serm.* enim *150*, qui est de Epicúreis, et Stóicis, *c. 3*, inquit: «Commúniter omnes Philósophi «studéndò, quæréndò, disputándò, vi«véndò appetivérunt apprehéndere vitam «beátam. Sed puto, quòd étiam hoc «Philósophi nobíscum commúne habent. «Si enim à nobis quæram: Quáre in «Christum credidéritis? quáre christiá«ni facti fuéritis? Veráciter mihi omnis «homo respóndet, propter vitam beá«tam.» Et post áliqua subdit: «Nam et «qui bonus est, ídeò bonus est, ut beá«tus sit: et qui malus est, malus non «esset, nisi indè se beátum esse posse, «speráret... Verbi gratiâ, pone áliquem «furem, quæro ab illo: Quáre furtum «facis? Ut hábeam, inquit, quod non ha«bébam; Quáre vis habére, quod non «habébas? Quia míserum est non habére. «Si ergo míserum est non habére, beá«tum putat habére. Sed in eo imprúdens «est, et errat, quia de malo vult beátus «fieri.» Idem docet *Serm.* 1.° *in psalm. 118.*

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

15. Obj. 1.° Si ex eo quòd quódlibet particuláre bonum ex natúra sua in bonum perféctum ordinétur, non potest quis inténdere áliquod bonum particuláre, quin saltem virtuáliter velit bonum consummátum, et perféctum; séquitur quòd homo, étiam dum mortáliter peccat, virtuáliter saltem inténdat, et velit Deum, et propter Deum operé-

tur; quia étiam dum peccat mortáliter, áppetit bonum creátum; omne áutem bonum creátum, est quoddam bonum particuláre, et quædam participátio, seu inchoátio bonitátis divínæ ex natúra sua ad illam ordináta; Atqui, falsum est, eum, qui mortáliter peccat, virtuáliter velle Deum, ac propter eum operári: Ergo, etc.

Resp. dist. probatiónem sequélæ; Homo peccans mortáliter, áppetit bonum creátum, *inordinátè*, conc. *ordinátè*, neg. Imò ín hoc peccat, quia bonum creátum, quod ex natúra sua ad bonum in se perféctum, id est, ad Deum ordinátur, à tali órdine detórquet, illud ad seípsum, id est, peccántem, ut últimum finem, réferens, et convértens. Indè patet quòd non operátur propter Deum, ut últimum finem, sed pótiùs seípsum, et actiónem suam avértit à Deo, ut últimò fine, hunc in bono creáto constítuens. Operátur áutem peccans letháliter propter últimum finem formálem; quia bonum creátum æstímat támquàm summum bonum, constituéndò vidélicet illud in subjécto, in quo rátio boni in se perfécti nec est, nec esse potest. Legatur D. Agustínus, *lib.* 2. *Confess.*, *cap.* 6.

16. Obj. 2.° Justus peccans veniáliter non vult actiónem illam propter áliquem últimum finem: non enim illam vult propter Deum, cùm áctio peccaminósa non sit in Deum ordinábilis, neque vult propter creatúram, tunc enim últimum finem in creatúra póneret, quod esset peccáre non veniáliter, sed mortáliter. Idem arguméntum, servátâ proportióne, fieri potest de infidéli, aut peccatóre bonum opus morále, puta, eleemósynam faciénte; nam tam infidélis, quàm peccátor habet pro fine último creatúram, propter quem finem tamen ómnia ópera sua non fáciunt, si enim ita esset, ómnia ópera infidélium essent peccáta, quod est damnátum in Bajo: et páriter peccáta forent ómnia ópera peccatóris fidélis, adeóque ipsi præscríbi non posset ut ópera bona morália, puta, oratiónes, eleemósynas, etc. exercéret ad impetrándam à Deo veram conversiónem: Ergo, non quidquid homo agit deliberátè, agit propter últimum finem.

Resp. Dist. conseq. Non quidquid homo agit deliberátè, agit propter últimum finem materiáliter, et in particulári, conced., non agit propter últimum finem formáliter, et in commúni sumptum, neg. Síquidem, tam justus peccans veniáliter, quàm infidélis, aut peccátor fidélis, bonum opus morále agens, habent pro fine último bonum in commúni, satiatívum appetítûs; nec enim est necésse operántem in omni suo ópere habére finem últimum materiáliter, et in particulári; sed súfficit ipsum habére finem últimum formáliter, et in commúni sub ratióne beatitúdinis. Et hæc ádeò vera sunt, ut qui tædiò vitæ semetípsos interfíciunt, quámvis per suicídium inténdant non esse, virtuáliter tamen inténdunt esse beáti beatitúdine, non quidem verâ, sed quam sibi ipsi confíngunt, vidélicet, cúpiunt non esse, ut hôc médiò cáreant malîs, quibûs affligúntur. Undè, non habent pro último fine áliquid positívum, et particuláre; sed áliquid negatívum, et in commúni, nempè carentiam malórum, quam hìc, et nunc, ut summum bonum, suamque beatitúdinem falsò apprehéndunt. *Vid. D. Thom.*, 1.ª 2.ª *quæst.* 29, *art.* 4, *ad* 2.

17. Schólion. Finis últimus in commúni considerátus, est de se indíffèrens, ut applicétur objécto honésto, vel turpi, nam, tum justi, tum peccatóres; tum fidéles, tum infidéles, in ómnibus suis opéribus, inténdunt beatitúdinem, seu

summum bonum in commúni: undè (præter ratiónes in probatióne Conclusiónis addúctas), August., *lib.* 13, *de Trinit.*, *c.* 5, inquit: «Verum est, «quòd omnes hómines esse beáti velint, «idque unum ardentíssimô amóre áppe«tant, et propter hoc cætera quæcúm«que áppetunt.» Cùm ergo últimus finis, seu summum bonum in commúni considerátum, de se indífferens sit, ut applicétur objécto honésto, vel turpi, appétitur enim ab ómnibus, tum justis, tum peccatóribus, ex se nullam tríbuit áctui honestátem, vel malítiam. Hinc séquitur primò, infidélem, seu peccatórem fidélem, áliquod bonum morále agentes, habére quidem pro fine próximo honestátem istíus óperis, utrúmque áutem habére pro fine último esse beátum, seu summum bonum, in commúni, satiatívum appetítûs, ex quo nihil boni déperit, aut accédit suæ actióni. Séquitur secúndò, peccátum veniále justi non evádere mortále, quia summum bonum in commúni, ad quod peccans veniáliter refert suam actiónem támquàm ad últimum finem de se indiféréntem, ut applicétur objécto honésto, vel turpi, nullam, ut dictum est, tríbuit áctui malítiam, sicut nec honestátem. Séquitur tértiò, neque infidélem, neque peccatórem fidélem, in suis opéribus moráliter bonis peccáre, quia, ut dictum est, bonum summum in commúni apprehénsum, de se nullam tríbuit malitiam áctui, sed est indífferens, et potest determinári áliquô fine, vel objéctô particulárî honéstô, cui si nulla prava circumstántia admisceátur, actus erit moráliter bonus.

CAPUT IV.

DE BEATITÚDINE.

18. Hucúsquè disserúimus de último fine generátim: nunc dicéndum superest, de speciáli último fine hóminis, qui Beatitúdo nuncupátur. Hæc áutem definitur à Boétio: *Státus ómnium bonórum aggregatióne perféctus*; et à D. Thoma, 1.ª 2.æ *q.* 2, *art.* 8, ajénte: «Beatitúdo est bonum perféctum, quod «totáliter quiétat appetítum: alióquin «non esset últimus finis, si adhuc restá«ret áliquid appeténdum.»

19. Dupliciter áutem considerári potest Beatitúdo, *objectivè*, scílicet, et *formáliter*. *Beatitúdo objectíva* est res illa, in cujûs possessióne appetítus quiéscit; *formális* est, hujus rei adéptio, et posséssio: sic divítiæ, sunt beatitúdo objectíva avári; eárum possessio, beatitúdo formális.

20. Notándum, quòd hæc distínctio non est in duos últimos fines, seu duas beatitúdines, sed in duas formalitátes, seu partes integrántes unam totálem beatitúdinem. *Vid. num.* 5. Ilis pósitîs, sit

I. CONCLÚSIO.

Beatitúdo objectíva hóminis in solo bono increáto, scílicet, Deô consístit.

21. Prob. 1.° ex Sacra Scriptúra. *Psalm.* 16, *v.* 15, légitur: «Satiábor, «cùm apparúerit glória tua.» *Psalm.* 102, *v.* 5: «Qui (*Deus*) replet in bonis desidérium tuum.» *Apocalyp.*, *c.* 1, *v.* 8: «Ego sum Alpha, et Omega, primus «et novíssimus, princípium, et finis.»

22. Prob. 2.° ratióne theológicâ innîxâ doctrínæ D. Thom., 1.ª 2.ª *quæst.* 2, *art.* 8. Solum bonum increátum potest hóminis appetítum satiáre: Ergo, beatitúdo objectíva hóminis, in solo bono increáto consístit. Conseq. patet ex dictis *num.* 19. Prob. anteced. Solum illud bonum appetítum hóminis satiáre valet, quòd est omne et universále bonum: Atqui, solum bonum increátum, scílicet Deus, est omne et universále bonum. Ergo, etc. Minor constat tum ratióne, tum Scriptúrâ: ratióne quidem, quia omnia bona creáta non sunt nisi bona particulária, à Deo participáta; Scriptúrâ áutem, quia Exodi, *c.* 33, *v.* 18. Möysi petênti à Deo: *Osténde mihi glóriam tuam;* Deus ejus petitióni accédens, *v.* 19, respóndit: *Ego osténdam omne bonum tibi.* Prob. Major: Objéctum voluntátis est omne, et universále bonum, sicut objéctum intellécttûs, ad quem séquitur volúntas, est universále verum: Ergo, solùm omne, et universále bonum potest hóminis appetítum satiáre: poténtiæ enim non satiántur, et quiéscunt, donec totum suum objéctum attíngant. Undè August. *lib. de móribus Ecclésiæ*, *c.* 8: «Bonórum «summa Deus nobis est. Deus est nobis «summum bonum. Neque infrà remá- «néndum nobis est, neque ultrà quæ- «réndum; álterum enim periculósum, «álterum nullum est.» Et *lib.* 5, *Confes.*, *c.* 3, inquit: «Infélix homo qui, «scit illa (*bona creáta*) te áutem nescit: «Beátus áutem qui te scit, etiamsi illa «nésciat: qui verò et te, et illa novit, «non propter illa beátior, sed propter te «solum beátus.»

Corollárium: patet quàm à vero aberráverint Voltairius, conténdens nullum esse summum bonum; Auctor *System. natur.* propúgnans summum bonum in áliqua re creáta consístere; Epicúrus, illud in voluptáte córporis constítuens; Pythágoras, illud in exactíssima numerándi sciéntia repónens, ut Theodorétus refert; Antísthenes, qui in modéstia, et humilitáte; Plato, qui in sapiéntia; Aristóteles, qui in contemplatióne veritátis, et quotquot summum bonum extra Deum confixére. *Vid. D. Thom.* 1.ª 2.æ *quæst.* 2, *per tot.*

23. Schólion. Quibúsdam occúrrit, *summum bonum non satiáre perféctè appetítum*, quia beáti, qui modò póssident summum bonum, adhuc non póssident glóriam córporis, ejúsque dotes, claritátis, agilitátis, subtilitátis, ac impassibilitátis, quas tamen desíderant. Ast verò hæc, fácilè evanéscunt, adverténdò quòd volúntas beatórum est adamússim confórmis voluntáti Dei, sunt enim impeccábiles; undè desíderant quidem prædícta bona, ast, non desíderant ea possidére nisi quandò Deus státuit ea ipsis conférre, quod cùm non sit nisi post carnis resurrectiónem, beáti non desíderant ea possidére nisi pro eo témpore; quô témpore ea abs dúbio possidébunt; Ergo, ex quo beáti adhuc non possídeant bona córporis glorificáti, quæ desíderant, inférri nequit, summum bonum non satiáre perféctè appetítum.

II. CONCLÚSIO.

Beatitúdo formális, seu consecútio summi boni, essentiáliter consistit in actu intelléctûs, non in actu voluntátis.

24. Prob. 1.° Conclus. ex Scriptúra: Joán., *epist.* 1, *c.* 3, *v.* 2, légitur: *cùm apparúerit, símiles ei érimus, quia vidébimus eum sícuti est.* Cùm áutem érimus ei símiles, beáti érimus, summum bonum assequéntes: símiles áutem ei érimus vidéntes ipsum, juxta textum: vísio áutem actus est intelléctûs, non áutem voluntátis: Ergo, beatitúdo formális, seu consecútio summi boni, essentiáliter consistit, non in actu voluntátis, sed in actu intelléctûs. Quod confirmáre vidétur ipse Christus Joán., *cap.* 17, *v.* 3, inquiens: *Hæc est vita ætérna, ut COGNÓSCANT te solum verum Deum;* cognóscere áutem ad intelléctum pértinet, non ad voluntátem: Ergo, etc.

25. Prob. 2.° Augustínus *lib.*, 1.° *de Trinit.*, *cap.* 13, ad illa verba: *Beáti mundi corde, quóniam ipsi Deum vidébunt*, subjúngit: *et ipsa vísio est fácie ad fáciem, quæ est summum præmium, promíttitur justis.* Et post multa: *Hæc vita ætérna est illa vísio, quæ non pértinet ad malos.* Et inférius conclúdit: *Vísio illa Dei... sola est summum bonum nostrum, cujûs adipiscéndæ causâ præcípimur ágere, quidquid rectè ágimus.*

26. Rátio fundamentális D. Thomæ 1.ª 2.æ *q.* 3, *art.* 4, sic propónitur. Beatitúdo formális, essentiáliter sumpta, est ipsa consecútio, seu adéptio summi boni, per quam summum bonum fit adipiscéntis: Atqui, hæc consecútio non est actus voluntátis: Ergo, erit actus intellectûs. Maj. apud omnes recípitur, ut vera. Min. verò probátur. Omnis actus voluntátis, aut fertur in finem præséntem, aut in abséntem: Atqui, si in abséntem, ut est desidérium, constat, quòd non potest esse ejus consecútio, cùm desidérium dumtáxat sit quidam motus ad finem consequéndum. Si actus voluntátis in finem præséntem fertur, sicut ejus delectátio, non est consecútio finis, quia delectátio non reddit finem præséntem, sed ex fine jam præsénti, et obténtô conséquitur delectátio. Sed præstat audíre D. Thomam loc. cit. ajéntem: «Maniféstum est áutem, quòd «ipsum desidérium finîs non est conse«cútio finîs, sed est motus ad finem: de«lectátio áutem ádvenit voluntáti ex hoc, «quòd finis est præsens; non áutem è «convérso, ex hoc áliquid fit præsens, «quód volúntas delectátur in ipso. Opór«tet ígitur áliquid áliud esse, quàm ac«tum voluntátis, per quod fit finis ipse «præsens voluntáti. Et hoc manifésté «appáret circa fines sensíbiles. Si enim «cónsequi pecúniam esset per actum «voluntátis, státim à princípio cúpidus «consecútus esset pecúniam, quándo vult «eam habére; sed à princípio quidem est «absens ei, conséquitur áutem ipsam «per hoc quòd manû ipsam apprehéndit, «vel áliquò hujúsmodi; et tunc jam de«lectátur in pecúnia hábita. Sic ígitur, «et circa intelligíbilem finem contíngit. «Nam à princípio vólumus cónsequi fi«nem intelligíbilem; conséquimur áutem «ipsum per hoc quòd fit præsens nobis «per actum intelléctûs; et tunc volún«tas delectáta conquiéscit in fine jam «adépto. (*Hùc spéctat illud Psalm.* 16, «*v.* 15: Satiábor, cùm apparúerit, *id «est, visa fúerit per actum intelléctûs*, «glória tua.) Sic ígitur essèntia beatitú«dinis (*formáliter sumptæ*) in actu in«telléctûs consístit.»

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

27. Juxtà Scótum, amor perféctæ amicítiæ reddit objéctum præsens: Atqui, in Pátria est amor perféctæ amicítiæ inter Deum, et Beátos. Ergo, amor in Pátria facit præsens objéctum beatitúdinis.

Resp. disting. major. Amor perféctæ amicítiæ reddit objectum præsens, primáriò, et inmediátè, neg: præsuppósitô actû intelléctûs, adeóque ipsô mediánte, conced. Amor, seu volúntas per amórem, sê solâ non asséquitur bonum, sed tantùm secúndùm afféctum illi unítur, et per álias poténtias asséquitur, namque volúntas dum bonum est ipsi absens, per amórem quærìt illud, undè Cantic. *c.* 3, *v.* 2, inquit Spónsa: *Per vicos, et platéas qu ram quem diligit ánima mea:* et ad ipsum assequéndum ápplicat poténtias: et tandem in ipso assecúto quiéscit. Undè et ipsa Spónsa ib. *v.* 2: *Surgam, et circuibo civitátem; per vicos, et platéas quæram* (en applicátio potentiárum ad assequéndum, quem diligébat, adeóque per solum amórem, ipsum adhuc non fúerat assecúta) et *v.* 4, subdit: *páululùm cùm pertransíssem eos* (scílicet vígiles civitátis) *invéni quem diligit ánima mea: tenui eum, nec dimíttam etc.* Sic ergo, amor pátriæ, quantúmvìs sit perféctæ amicítiæ, sê solô non súfficit ut beáti Deum præséntem hábeant, cùm cháritas pátriæ spécie non differat à charitáte viæ, attestánte Apóstolô 1, *ad Cor.. cap.* 3. *v.* 8, quòd *cháritas núnquàm éxcidit*; et cháritas viæ non súfficit ut Deum ita habeámus præséntem, ut nos beátos reddat: Ergo, nec súfficit cháritas pátriæ. Prærequíritur ergo áctio intelléctûs Dei essèntiam, et glóriam manifestántis, et sic beáti *Regem in decóre suo vidébunt*, juxta dictum Isäiæ, *cap.* 33, *v.* 17: ipsum áutem vidéntes habent ipsum præséntem. Ergo, per visiónem, quæ útpote actus intelléctûs prior est actû voluntátis, beáti primáriò et immediátè Deum assequúntur; per actum verò voluntátis, non nisi secundáriò, et mediátè, mediánte vidélicet actû íntelléctûs.

28. Obj. 2.° Vísio, ut vísio, non est posséssio rei visæ; quis enim dícat, quòd vidére divítias, sit eas possidére? Ergo, posséssio Dei ín pátria nequit attríbui visióni intelléctûs.

Resp. Dist. ant. Vísio, ut vísio, non est posséssio rei visæ, si res visa álitèr nequit possidéri, quàm per visum, neg.: si álitèr potest possidéri, conc. Sunt enim quædam objécta, quæ áliter teneri, et possidéri non possunt, quàm per cognitiónem; et hæc per cognitiónem apprehendúntur, et possidéntur. Sic lumen non potest álitèr à nobis possidéri nisi per visum; nec odor, nisi per olfáctum; nec sapor, nisi per gustum; nec sonus, nisi per audítum etc: hæc, et símília objécta, dum per sensus apprehendúntur, possidéntur: è convérso, sunt ália objécta, quæ álitèr possidéntur, quàm per solam cognitiónem; ut pecúniæ, vestis, ensis etc: hæc enim objécta solâ cognitióne, seu visióne non possidéntur: sed necéssum est, ut manû, vel álitèr apprehendántur. Deus áutem, ad hæc objécta non pértinet, sed cùm sit in summo immaterialitátis, *et lucem hábitet inaccessíbilem*, non potest álitèr apprehéndi, ut in se est, quàm per visiónem intelléctûs: Hinc August., *lib.* 83, *QQ. quæst.* 35, inquit: «Quid «áliud est beátè vívere, nisi ætérnum «áliquid cognoscéndô habére?» Cyríllus Alex., *lib.* 3, *contr. Julián.*: Hóminum felícitas est habére summam contemplatiónem, etc. etc. Undè summa felícitas,

seu beatitúdo, quâ Sancti cum Christo regnántes in cœlo perfruúntur, commúniter non gáudium beatíficum, sed vísio beatífica nuncupátur. Sancti útiquè in Cœlo summô afficiúntur gaudiô: sed non ídeò vident Deum, quia gáudent, sed ídeò gáudent quia vident: undè præsupponénda est vísio, ántequàm concipiátur gáudium.

CAPUT V.

DE PROPRIETÁTIBUS BEATITÚDINIS FORMÁLIS.

§. I.

De impeccabilitáte Beatórum.

I. CONCLUSIO.

Beáti sunt impeccábiles ab intrínseco.

29. Prob. Conclus. Illa creatúra est impeccábilis ab intrínseco, quæ in se habet id, quô immobíliter conjúngitur régulæ suárum operatiónum: peccáre enim, nihil áliud est, quàm deflécterе seu declináre à rectitúdine régulæ; sic enim, si manus artíficis habéret régulam incissiónis inseparabiliter sibí conjunctam, non posset nisi rectè incídere. Vid. D. Thom. 1 *Part.*, *quæst.* 63, *art.* 1.: Atqui, Beáti habent in se visiónem, et amórem Dei, quô immobíliter conjungúntur Deo, qui est prima régula suárum operatiónum: Ergo, Beáti ab intrínseco sunt impeccábiles. Hinc Apocalyp., *c.* 22, *vv.* 3 *et* 4, légitur de Beátis: «Et omne maledíctum non erit «ámpliùs: sed sedes Dei, et Agni in «illa erunt, et servi ejus sérvient ei: et «vidébunt fáciem ejus.» Simíliter Páulus, *epist. ad Ephes.*, *c.* 5, *v.* 27, ait, Christum Ecclésiam sanctificáre, et quidem ita, *ut exhibéret ipse sibi gloriósam Ecclésiam, non habéntem máculam, aut rugam, aut áliquid hujúsmodi, sed ut sit sancta, et immaculáta*, quod quidem adamússim non erit nisi in Pátria, et útique per donum intrínsecè recéptum in Beátis; non enim sánctitas inest justis per solam imputatiónem extrínsecam, ut Luthérus effutiébat. Ergo, Beáti sunt ab intrínseco impeccábiles.

II. CONCLÚSIO.

Vísio clara Dei est radix impeccabilitátis, quâ perfruúntur Beáti.

30. Prob. Concl. Vísio beatífica dúplicî ratióne poténtiam peccándi à beátis exclúdit. Primò, quia totam creatúræ rationális capacitátem explet: nam cùm sit adéptio omnis boni, ómnia ejus desidéria perféctè replet, et sátiat: undè Psalmísta, *psalm. 16*, *v. 15*: «Satiábor «cùm apparúerit glória tua.» Ut áutem

ait D. Thom., *lib. 4 contr. Gent., c. 70:* «Ex hoc volúntas immutábilis rédditur, «quòd totáliter implétur.» Ergo, ex vísióne beatífica próvenit tàmquàm ex radíce impeccabílitas Beatórum. Secúndò, vísio beatífica exclúdit à Beátis poténtiam peccándi, quia, ut ait id. S. Dr., *ibid. c. 92:* «Peccátum in voluntáte non ác«cidit sinè aliquáli ignorántiâ intellec«tûs, nihil enim vólumus, nisi bonum «verum, vel appárens. Propter quod dici«tur Proverb. c. 14: Errant, qui ope«rántur malum. Et Philósophus 3, ethi«cor. dicit, quòd omnis malus est ignó«rans: sed ánima, quæ est verè beáta, «nullô modô potest esse ignórans, cum «in Deo ómnia vídeat, quæ pértinent ad «suam perfectiónem, (*de quorum núme«ro sunt abs dúbio, quæ elóngant ipsam à «peccáto*); nullô ígitur modô potest ma«lam voluntátem habére, præcípuè cùm «illa Dei vísio semper sit in actu.» *Vid. D. Thom.*, 1.ª 2.æ *quæst. 4, art. 4*, et *quæst. 24, de Verit., art. 8.*

§ II.

An Beáti necessáriò díligant Deum quoad exercítium: et undè hoc procédat?

31. Duplex est necéssitas in áctibus voluntátis. Áltera quoad specificatiónem tantùm; áltera verò quoad exercítium. Prior est, cùm volúntas obligátur ad ponéndum actum determinátæ speciéi, puta, amóris, vel ódii, circa áliquod objéctum, si velit circa illud áliquem actum elícere: sic, si volúntas velit áliquem actum exercére circa bonum in commúni, obligátur ad actum amóris erga illud exercéndum. Et simíliter, si volúntas velit exercére áliquem actum circa malum in commúni, tenétur ad exercéndum actum aversiónis, seu ódii. Necéssitas verò quoad exercítium est, cùm volúntas obligátur ad eliciéndum actum circa áliquod objéctum: ita ut non possit non elícere actum, aut ipsum suspéndere. His pósitis, sit

CONCLÚSIO.

Beáti necessitántur ad Deum in exercítio amándum, ita ut ab ejus amóre cessáre non váleant: et hoc próvenit ex eo quód clarè vident Deum.

32. Prob. Concl. ratióne D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst. 5, art. 4:* «Perfécta bea«titúdo hóminis in visióne divínæ essén«tiæ consístit. Est áutem impossíbile, «quòd áliquis videns divínam esséntiam «velit eam non vidére; quia omne bo«num hábitum, quô áliquis carére vult, «aut est insufficiens, et quæritur áliquid «sufficiéntius, locô ejus; aut habet áli«quod incómmodum annéxum, propter «quod in fastídium venit. Vísio áutem «divínæ esséntiæ replet ánimam ómnibûs «bonîs (*adeóque non est bonum insuffi«ciens*) cùm conjúngat fonti totíus boni«tátis. Undè dícitur in Psalm. 16, «v. 15:» *Satiábor, cùm apparúerit gló«ria tua:* et Sap., c. 7, v. 11, dícitur: «*Venérunt mihi ómnia bona páriter cum «illa*, scílicet, cum contemplatióne sa«piéntiæ. Simíliter étiam (*vísio divínæ «esséntiæ*) non habet áliquod incómmo«dum adjúnctum: quia de contemplatió«ne sapiéntiæ dícitur Sap., c. 8, v. 16: «*Non habet amaritúdinem conversátio «illius, nec tœdium convíctus ejus.* Sic «ergo patet, quòd própriâ voluntáte, «Beátus non potest beatitúdinem desé«rere.»

Ex his patet, impossíbile esse, quòd Beátus velit divínam esséntiam non vidére; et quòd ex hac visióne procédit,

NOVIZIATE LIBRARY

impossíbile esse, quòd velit Deum non amáre, seu quòd Deum non amet, amóris actum suspendéndò, cùm in hac suspensióne amóris nulla rátio boni possit ab intelléctu vidéntis Deum propóni voluntáti; quinimò, pósitâ visióne beatíficâ, propónitur voluntáti bonum totále, et adæquátum motívum, et satiatívum ipsíus, sicque víncitur omnis ejus indifferéntia, ac libértas, adeóque volúntas operátur ex necessitáte, étiam quoad exercítium determináta.

Ex his ómnibus infértur, gravem fuísse errórem Orígenis dogmatizántis, Sanctórum beatitúdinem posse amítti, propter eórum culpam.

§ III.

De perpetuitáte beatitúdinis.

33. S. Augustínus, *lib. 13, de Trinit., cap. 8*, póstquàm conclúsit: «Nullò «modò ígitur esse póterit vita veráciter «beáta, nisi fúerit sempitérna;» considerans várias Philosophórum de hac re opiniónes, et erróres, dicit, hanc veritátem fídei pótiùs magistérió, quàm humáni ingénii ratiocínió, esse commendándam. Hæc preméntes vestígia, sit

CONCLÚSIO.

Beatitúdo perfécta erit perpétua.

34. Prob. Sap., *cap.*, 5, *v. 16*, légitur; «Justi áutem in perpétuum vi«vent;» Matth., *cap.*, *25*, *v. 46:* «Et «ibunt hi in supplícium ætérnum, justi «áutem in vitam ætérnam;» *Psalm. 83*, *v. 5:* «Beáti, qui hábitant in domo tua, «Dómine, in sæcula sæculórum laudábunt «te.» Daniel., *cap.*, *12*, *v. 3:* «Qui docti «fúerint, fulgébunt quási spléndor firma«ménti: et qui ad justítiam erúdiunt «multos, quási stellæ in perpétuas æter«nitátes;» Eccli., *cap. 31*, *v. 10:* «Qui «probátus est in illo, et perféctus est, «erit illi glória ætérna;» Joán., *c. 12*, *v. 25*: «Qui odit ánimam suam in hoc «mundo, in vitam ætérnam custódit «eam;» Joán., *c. 16*, *v. 22:* «Gáudium «vestrum nemo tollet à vobis.»

Hoc idem testáti sunt Patres: hoc idem testáta sunt Concília, sive Provinciália, præsértim Toletána; sive Generália; quæ ómnia æternitátem beatitúdinis in confessióne fídei profiténtur. In symbolo Apostolórum *vitam ætérnam* profitémur; et in Cap. *Firmiter*, Tit. *de Sum. Trinit.* definítum est, justos *cum Christo recepturos glóriam sempitérnam*. Quod quidem dogma cathólicum propugnárunt SS. PP. cum Augustíno, *lib. 11, de Civit., cap. 13*, docéntes, Beatitúdinem éffici per hoc, quòd quispiam bonò incommutábili perfruátur, et *in eo se in ætérnum esse mansúrum, nec ullâ dubitatióne cunctétur, nec ullò erróre fallatur. Vid. D. Thom.*, 1.ª 2.æ *quæst. 5, art. 4*, et D. Augustum *lib. 12 de Civit. Dei, c. 20*, tum *lib. de Correp. et grat., c. 10*, etc. ostendéntes, Beatitúdinem ætérnam, esse valdè ratióni conformem.

CAPUT VI.

DE ÁCTIBUS HUMÁNIS.

35. Póstquàm égimus de último fine in generáli, et de último fine speciáli creatúræ rationális, nempè Beatitúdine; rectus ordo póstulat, ut de áctibus humánis pertractémus, qui sunt média, per quæ, si benè exerceántur, ad últimum finem beatitúdinis pervenítur; si verò malè, ab eo deviátur. De áctibus humánis actúri, de eórum constitutívo pertractábimus, nec non de eórum princípiis, tam à quibus procédunt, quæ sunt virtútes, et vítia, quàm à quibus regulántur, quæ sunt Lex; et à quibus adjuvántur, quæ princípia nuncupántur *Grátia*.

§ I.

De voluntário quod requiritur ad constitutiónem actûs humáni.

36. Voluntárium rectè definitur: *Quod est ab intrínseco cum cognitióne finîs:* ita communiter cum D. Thoma, 1.ª 2.æ *quæst.* 6, *art.* 1. In grátiam Tyrónum explicátur definitio. Nomen *voluntárii* propriè impórtat, ut motus, et actus, qui dícitur voluntárius, sit à própria illíus, qui movétur, inclinatióne; proindéque perféctè sit à princípio intrínseco; ea enim, quæ alícui ab extrínseco advéniunt, non sunt ab illíus inclinatióne, sicut non est ex inclinatióne lápidis movéri sursùm, sed ab extrínseco hicce motus ei imprímitur. Rem consideránti patet, ad motum, seu actum tria concúrrere; princípium, vidélicet, passívum, quod movétur; princípium activum, quod movet; et princípium finále, quod excitat, et allicit agens ad movéndum. Ille ergo motus, seu actus dícitur perféctè ab intrínseco procédere, proindéque esse perféctè voluntárius, cujùs hæc ómnia princípia sunt ab intrínseco, ita ut, in eo, quod movétur, non solum sit princípium passívum talîs motûs susceptívum, ut est in lápide dum movétur sursùm; aut étiam princípium activum, ut est in vivéntibus, útpote movéntibus seípsa; verùm étiam princípium finále, ut est in agéntibus cognitióne prædítis, quæ ex hac finîs cognitióne se movent ad agéndum. Hæc exémplò pateſiunt. Loquéla magístri ad erudiéndos discípulos est actus perféctè voluntárius, nam est ab intrínseco, *língüâ;* quæ est princípium passívum motûs, est enim id quod movétur; est ab intrínseco princípium activum quod língüam movet, nempè volúntas magístri; et est ab intrínseco étiam princípium finále, quia magíster cognóscit, seu apprehéndit finem ob quem discípulis lóquitur. Hæc tria compléctitur allâta *voluntárii* definítio: princípium quidem passívum, et activum, cùm dicit voluntárium esse, *cujûs princípium est ab intrínseco:* princípium verò finále dum ádditur, *cum cognitióne finîs.*

§ II.

De divisióne voluntárii.

37. Voluntárium primò divíditur in perféctum, et imperféctum. Perféctum est, quod procédit ex perfécta cognitióne finîs: imperféctum, quod ex imperfécta cognitióne finîs procédit. Perfécta cognítio finîs habétur, quándò non solùm apprehénditur res, quæ est finis, sed étiam cognóscitur rátio, et dígnitas finîs, proportiónem mediórum ad ipsum cognoscéndò; et talis cognítio cùm sit collatíva, et discursíva, soli intellectuáli natúræ cómpetit. Imperfécta áutem finîs cognítio est, quæ consístit in sola apprehensióne rei, quæ finis est, ábsque eo, quòd rátio et dígnitas finîs, et propórtio mediórum ad ipsum dignoscátur; et hæc cognítio finîs, in brutis per sensus, et æstimatiónem naturálem agéntibus locum óbtinet.

38. Voluntárium secúndò divíditur in necessárium, et líberum. Líberum est, quod procédit ab appetítu, stánte judiciò intelléctûs indifferénti, et cum poténtia ad oppósitum, ut in hómine cum plena adverténtia circa bona creáta agénte. Necessárium est, quod procédit ab appetítu cum judício ad unum determináto, et sinè poténtia ad oppósitum, ut contíngit in motu voluntátis erga bonum in commúni.

39. Tertiò, divíditur in voluntárium in se, et voluntárium in cáusa. Voluntárium in se est, quidquid à voluntáte procédit id expréssò actû volénte; seu omnis actus, qui per se à voluntáte vel inténditur, vel elícitur, vel imperátur, vel positivè admíttitur; sic si deliberátè odísti inimícum, vel vis occídere, vel occídi ímperas, vel volénti occídere positivè conséntis, actus emíttis voluntários in se. Hoc genus voluntárii dici solet diréctum, expréssum, et explícitum. Voluntárium áutem in cáusa est id, quod in se immediátè neque inténditur, neque elícitur, neque imperátur, neque admíttitur à voluntáte, séquitur tamen ex áliquo per se, et in se vólito, et ídeò censétur vólitum in álio támquam in cáusa: sic rixæ sunt voluntáriæ in cáusa illi, qui se deliberátè inébriat, sciens se in ebrietátè passim rixári, licet aliúndè rixas in se detestétur. Hoc genus voluntárii nuncupári solet indiréctum, et interpretatívum.

40. Magnóperè animadvértere oportet, quòd ad hoc voluntárium indiréctum, seu in cáusa, Theólogi commúniter tres requírunt conditiónes: prima est, ut efféctus fúerit prævísus, aut debúerit, ac potúerit humánò modò prævidéri ex tali cáusa secutúrus; hujus conditiónis defféctû, ebríetas non est indiréctè voluntária illi, qui vim vini ignórans, et ad satietátem usque bibens, inebriátur, ut Noë accídit. Secúnda conditio est, quòd quis possit cáusam auférre, et efféctum ex ea proveniéntem impedíre. Tértia tandem est, quòd nedum possit, sed étiam débeat hanc cáusam auférre; si enim nullâ lege áliquis tenétur cáusam amovére, sed è contrà, justam ratiónem illam ponéndi hábeat, non est cur ipsi imputétur saltem moráliter id, quod ex illa contrà suam intentiónem séquitur. Hinc est, quòd motus inordináti, qui quandóque insúrgunt in Confessário, vel Chirúrgo, suum exercéntibûs ministérium, illis non imputántur, cùm isti non teneántur ob hanc cáusam omíttere suum ministérium, sed è contrà justam hábeant cáusam illud exercéndi.

41. Quartò divíditur voluntárium, in positívum, quod D. Thomas vocat di-

réctum; et negatívum, quod indiréctum appéllat. Voluntárium positívum est, quod à voluntáte per reálem influxum procédit, ut sunt omnes actus à voluntáte vel elíciti, vel imperáti. Voluntárium negatívum est, quod à voluntáte quidem per reálem influxum non procédit, ab ea tamen áliquô modô dependet, undè dícitur à voluntáte negativè procédere, ut omíssio Missæ in eo, qui advértens ad instántem ejus celebratiónem, voluntáriè stúdio se accíngit ábsque eo quòd actum positívum elíciat noléndi audíre Míssam, et tamen ipsam non audíre à sua voluntáte dependet, quia voluntáriè sese addíxit stúdio, quô impedítur interésse Sacro. Hæc nos indúcunt ad inquiréndum, an voluntárium possit esse sinè omni actu: pro quo sit

§ III.

An voluntárium possit esse ábsque omni actu.

42. Quæstio dumtáxat est de voluntário negatívo, seu indiréctô, ut illud appéllat S. Thomas; qúale reperíri potest in omissióne, vel effectû ad illam subsecútô. De voluntário enim positívô, et diréctô certum est, quòd non possit esse sinè omni actu, cùm ab agénte per influxum positívum procédat. Hôc prælibátô, sit

CONCLÚSIO.

Omissio potest esse indiréctè, seu negativè voluntária, ábsque omni actu voluntátis, qui sit de essentiáli ejus constitutivo; non potest tamen esse sinè actu, qui sit cáusa, vel occásio ejus.

43. Priúsquàm ad probándam conclusiónem accedámus, eam exémplô illustrémus. Cæcitas e. g. ex suo essentiáli concéptu nullum impórtat actum, sed est mera privátio; non potest tamen reperíri in indivíduo, et à parte rei, sinè áliquo actu óculum alteránte, qui sit cæcitátis cáusa: sic omíssio voluntária ex suo essentiáli concéptu non impórtat actum, est enim mera privátio; non potest tamen esse voluntária in indivíduo et à parte rei, absque áliquo actu, qui sit cáusa, vel occásio illíus, ita ut actus requirátur, non ex parte óperis, sed ex parte operántis, ut ex probatiónibus conclusiónis fiet maniféstum.

Utrámque Conclusiónis partem D. Thom. expréssit 1.ª 2.æ *quæst.* 71, *art.* 5, *inquiens:* «si intelligátur in peccáto «omissiónis illud solum, quod per se «pértinet ad ratiónem peccáti, sic quan«dóque omissiónis peccátum... est ábs«que omni actu, vel interióri, vel ex«terióri, sicut cùm áliquis horâ, quâ «tenétur ire ad Ecclésiam, nihil cógitat «de eúndo, vel non eúndo ad Ecclésiam. «Si verò in peccáto omissiónis intelli«gántur étiam cáusæ, vel occasiónes «omitténdi, sic necésse est in peccáto «omissiónis áliquem actum esse. Non «enim est peccátum omissiónis, nisi «cùm áliquis prætermíttit quod potest «fácere, (*id est, prætermíttit fácere id «quod potest, et tenétur fácere*). Quod «áutem áliquis declínet ad non faciéndum illud quod potest (*et debet*) fácere, «non est nisi ex áliqua cáusa, vel occa«siône conjúnctâ, vel præcedénte.»

44. Prob. 2.° prima pars Conclusiónis hîs D. Thom. verbîs ibíd. *quæst.* 6, *art.* 3: «Voluntárium dícitur quod «est à voluntáte. Ab áliquo áutem dí«citur esse áliquid dupliciter: unô mo«dô directè, quòd scílicet procédit ab «áliquo, in qúantùm est agens, sicut «calefáctio à calóre: áliô modô indiréc«tè, ex hoc ipso, quòd non agit, sicut

«submérsio navîs dícitur esse à guber-«natóre, in qüantùm desístit à guber-«nándo... Quia ígitur volúntas volendô, «et agéndô, potest impedíre hoc, quod «est non velle, et non ágere, et ali-«quándò debet (*illud impedíre*): hoc «quod est non velle, et non ágere im-«putántur ei, quási ab ipsa (*scilicet, «voluntáte*) exístens: et sic voluntá-«rium potest esse ábsque actu.» Id hôc exemplô fit planum. Submérsio navîs dícitur gubernatóri ipsíus voluntária, cùm ita negatívè se gessit, ut nullum actum imperáverit exteriórem ad conservándam navim, nec ullum actum interiórem volitiónis elicúerit circa conservatiónem navîs, quos tamen actus elícere potuísset. Tunc submérsio navîs est voluntária gubernatóri, quin gubernátor áliquem elicúerit actum vel interiórem, vel exteriórem: Ergo, (voluntárium potest esse ábsque omni actu, qui sit de suo constitutívo. In submersióne navîs fuit vera omíssio ex parte gubernatóris ipsíus: Ergo, omíssio potest esse indirécté, seu negatívè voluntária, ábsque omni actu voluntátis, qui sit de essentiáli constitutívo omissiónis. Prætérquàm quod; si non posset dari omíssio ábsque áliquo actu, qui foret de suo essentiáli constitutívo, omíssio essentiáliter foret áliquid positívum, illud nempè qüale esset actus illam essentiáliter constítuens; est áutem contra ídeam omissiónis, quòd sit áliquid positívum, cùm omíssio non sit nisi alicújus privátio: Ergo, etc.

45. Pròb. 2.ª pars Conclus. ratióne innixâ doctrínæ D. Thomæ, *quæst.* 2.ª *de Malo*. Si áliquid quandóque movétur, quandóque non; opórtet assignáre áliquam cáusam quiétis: Eádem ratióne, si áliquis non agit, quod ágere debet, opórtet hujus omissiónis assignáre áliqüam cáusam; nam volúntas ex se qüandóque agit, qüandóque non. Vel ergo ista cáusa est prorsús extrínseca, et involuntária, et sic talis omíssio non habet ratiónem voluntárii, ut si quis à lápide in cápite læsus impediátur, ne eat ad Ecclésiam: vel étiam si cáusa sit intrínseca, non tamen voluntária, ut si quis impedirétur à febre, éadem rátio esset ac de cáusa extrínseca. Opórtet ergo, ut omíssio sit voluntária, quòd causétur ex áliquo actu voluntário, qui per se indirécté sit omissiónis cáusa: «sicut cùm «áliquis vult lúdere, sciens, quòd ad hoc «concomitátur non ire ad Ecclésiam.»

46. Schólion desúmptum ex D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 6, *art.* 3: «Sciéndum quòd non semper id, quod séquitur ad defectum actiónis, redúcitur sicut in cáusam in agens (*id est «non imputátur ei*) ex eo quòd non «agit; sed solum tunc cùm potest, et «debet ágere. Si enim Gubernátor non «posset navem dirígere, vel non esset ei «commíssa Gubernátio navîs, non im-«putarétur ei navîs submérsio, quæ per «abséntiam Gubernatóris contingeret.» Sic, etsi Deus possit absolútè ómnia peccáta impedíre, quia tamen ad id non tenétur, peccáta, quæ evéniunt, ei non imputántur. Ex his intélligi potest, quòd cùm Princeps, vel Magistrátus non impedit quædam peccáta, quæ impedíre posset; sed ob cáusas rationábiles non éxpedit, quòd impédiat, voluntárié quidem omíttit impedíre; illa tamen peccáta non possunt in eum sicut in cáusam referri, vel ei imputári, quia *impedíre non tenétur*. Quándò áutem, non solùm potest, sed étiam tenétur ea impedíre, nec tamen ímpedit, rectè ipsi imputántur; quia est eórum cáusa voluntária. Ait enim D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 79, *art.* 3, «quòd omissio (*culpábilis*) im-«portat prætermissiónem boni, non ta-«men cujuscúmque, sed boni débiti.»

CAPUT VII.

DE HIS, QUÆ POSSUNT AUGÉRE VEL MINÚERE, VEL TÓLLERE VOLUNTÁRIUM.

§ I.

An violéntia possit inférri voluntáti.

47. Violéntum definitur: «Cujûs «princípium est extrà, passô nihil con«ferénte, sed pótiùs áliquô modô resis«ténte princípio extrínseco inferènti «violéntiam.» Vid. D. Thom., *quæst.* 22, *de Verit.*, *art.* 1, et S. Joán. Damascén., *lib.* 2, *de fide*, *c.* 24.

48. Cum D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 6, *art.* 4, notándum: «Quòd duplex «est actus voluntátis; unus quidem, qui «est ejus immediátè, velut ab ipsa elí«citus, scílicet, velle; álius, qui est ac«tus voluntátis à voluntáte imperátus, «et mediánte áliâ poténtiâ exércitus, ut «ambuláre, et loqui; qui à voluntáte «imperántur, exercéntur áutem medián«te poténtiâ motívâ.» His prælibátîs, sit

I. CONCLÚSIO.

Volúntas nequit pati violéntiam, quoad actus à se elícitos; benè verò quoad actus extérnos ab ipsa imperátos, et ab áliis poténtiis exércitos.

49. Prob. 1.ª pars Concl. ratióne inníxâ doctrínæ D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 6, *art.* 4. Impossíbile est, áliquid esse simul violéntum, et secúndùm naturálem inclinatiónem, nam quod est violéntum est à princípio extrínseco, et quod est secúndùm naturálem inclinatiónem, à princípio intrínseco: Atqui, actus elícitus voluntátis est secúndùm naturálem inclinatiónem, procédit enim immediátè à voluntáte, quæ est inclinátio naturális natúræ intellectuális: Ergo, impossíbile est, actum à voluntáte elícitum, esse violéntum: Ergo, contra ratiónem ipsíus actûs voluntátis est, quòd sit coáctus, vel violéntus; sicut étiam est contra ratiónem naturális inclinatiónis lápidis, quòd ferátur sursùm: potest quidem lapis per violéntiam sursùm ferri; sed, quòd iste motus violéntus sit ex ejus naturáli inclinatióne, esse non potest. Simílitèr étiam, potest homo per violéntiam trahi; sed, quòd hoc sit ex ejus voluntáte, repúgnat ratióni violéntiæ.

50. Prob. 2.ª pars Conclus. Per violéntiam membra exterióra impedíri possunt, ne impérium voluntátis exeqüántur; Ergo, volúntas potest pati violéntiam quoad actus imperátos, et ab áliis poténtiis exércitos. Antec. experiéntiâ constat, potest enim áliquis imperáre pedi ne ámbulet, et tamen ambuláre cogátur per actiónem alicújus exterióris agéntis; potest quis velle ne manus per-

cútiat, et tamen per vím alicújus exterióris agéntis pércutit, etc. Tunc ergo volúntas quoad hujúsmodi actus, qui fiunt, dícitur pati violéntiam, quia fiunt per actiónem, seu vim alicújus exterióris agéntis, contra actuálem voluntátis inclinatiónem, ac actuálem ejus influxum.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

51. Obj. 1.° contr. 1.ᵐ partem Conclusión. Unumquódque potest cogi à potentióri: Sed, áliquid est humánâ voluntáte poténtius, scilicet Deus: Ergo, volúntas saltem à Deo cogi potest, étiam quoad actus à voluntáte elícitos.

Resp. Dist. maj. Unumquódque, quod sit capax coactiónis, cogi potest à potentióri, conc. quod non sit capax coactiónis, neg. Et concéssâ minóre, neg. conseq. Haud dúbiè Deus, qui est poténtior voluntáte creátâ, potest ipsam inclináre quocúmquè volúerit: sed negámus, hoc eum posse per veram coactiónem fácere. Potest quidem Deus inclináre hóminis voluntátem, ipsam immutándô, et faciéndô ut propéndat in illud, in quod ántea non propendébat, utque jam velit id, quod priùs nolébat: sed tunc volúntas nequáquàm pátitur violéntiam, quia nihil agit, vel pátitur contra suam inclinatiónem, quam de novo accépit, sicut qüandô ípsamet suum actum immútat, jamque incipit velle id, quod ántea non volébat. Id patet exémplô Sáuli, qui cùm in instánti *A* persequerétur Christum, in instánti *B* voluntáte mutátâ, dixit ad eum: *Dómine, quid me vis fácere?*

52. Obj. 2.° Qüandô volúntas est unô modô in áliquod objéctum inclináta, potest Deus illi infúndere actum oppósitum: hoc áutem est eam cógere, seu violéntiam pati: Ergo, volúntas étiam quoad actus elícitos pati potest violéntiam.

Resp. Disting. major. Voluntáte ad áliquid inclinátâ, potest Deus illi infúndere actum oppósitum, immutándô talem ejus inclinatiónem, conc.: non immutándô ejus inclinatiónem, neg. Potest quidem Deus infúndere voluntáti, quidquid sibi placúerit, dúmmódô non repúgnet. Repúgnat áutem, quòd Deus possit voluntáti infúndere actum volitiónis, aut nolitiónis, cujûs ipsa volúntas non sit cáusa effectíva; de ratióne enim hujúsmodi áctuum est, quòd sint vitáles, adeóque quòd producántur efficiénter à princípio vitáli nempè à voluntáte volénte, aut nolénte. Non áutem essent à voluntáte, si essent à Deo infúsi, stánte inclinatióne voluntátis in contrárium.

§ II.

An violéntia pénitùs périmat voluntárium.

53. Duplex est violéntiæ genus: ália *sufficiens* commúniter dícitur; quam S. Thom. *compellénten*, Jurístæ absolútam *appéllant*. Ália est, quam commúniter *insufficiéntem* dicunt; S. verò Thom. *impulsívam* vocat, et Jurístæ *conditionátam*. Violéntia sufficiens, quam étiam Physicam, propriè licet appellâre, est, cùm actus áliquis vi áliquâ exteriórî, et ineluctábilî à nobis invítis, et repugnántibûs extorquétur. Hæc, ut díximus conclusióne præcedénti, locum habet solùm in áctibus extérnis à voluntáte imperátîs, non verò in áctibus ab ipsa voluntáte elícitîs. Violéntia insufficiens, quæ étiam *Morális* dici potest, datur qüandô puta dolóre, ac supplíciîs, consénsus voluntátis extorquétur: sic dum Tyránnus vim infert córpori,

ut voluntátem ádigat ad abnegándam fidem, datur quidem violéntia, sed tantùm insufficiens, impulsiva, conditionáta, et morális : nam absolútè póssumus id, quod exígitur, non ágere, id est, abnegáre fidem. At si violénter abrépta manus cogátur ad ímpiam subscriptiónem, aut si plena thure coràm Idólo prunîs adurátur, donec ignis ardóre solúta, in subjéctas prunas thus emíttat ; palàm est, dari violéntiam sufficiéntem, compellénten, absolútam, et physicam. His præjáctis, sit

CONCLÚSIO.

Violéntia, quæ est sufficiens, seu compéllens, et absolúta, pénitùs périmit voluntárium.

54. Prob. 1.° Contra ratiónem voluntárii est, quòd sit ab extrínseco, et inclinatióne voluntátis reniténte : Atqui, quæ extorquéntur per violéntiam sufficiéntem, seu compellénten, et absolútam ; sunt ab extrínseco, et voluntátis inclinatióne reniténte : Ergo, voluntária non sunt, sed ratióni voluntárii contrariántur : Ergo, prædícta violéntia pénitùs périmit voluntárium.

Prob. 2.° In áctibus voluntáriis, qui in hac vita fiunt, reperítur méritum, vel demérítum : Atqui, in áctibus violéntis violentiâ prædictâ, neque reperítur méritum, neque demérítum, ut ex cap. *Presbyteros*, d. 50, et ex cap. *Majores* tit. de Baptis. manifestum est ; ubi nihil peccásse dicúntur illi, quorum manus fuérunt violénter attráctæ, et idolórum sacrifíciis adhíbitæ : Ergo, actus, qui hujúsmodi violéntiâ exercéntur, non sunt voluntárii : Ergo, hæc violéntia périmit voluntárium.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

55. Obj. 1.° Christo, ejúsque SS. Martyribus, fuit illáta vis, sufficiens, et absolúta, qüando fuérunt occísi à Tyránnis : Atqui, illa vis non causávit involuntárium, cum constet, eos voluntáriè mortem oppetiísse : Ergo, violéntia sufficiens, et absolúta non cáusat involuntárium.

Resp. Dist. min. Vis illáta Christo, ejúsque SS. Martyribus, non causávit involuntárium, quántùm ad actiónem, neg. quántùm ad passiónem, conc. Explicátur solútio. Violéntia, quam Christo, ejúsque SS. Martyribus, Tyránni intulérunt, considerári potest, vel ex parte agéntis, in qüantùm scilicet, erat áctio contra ipsos à Tyránnis exércita ; vel ex parte patiéntis, in quántùm prædictæ actióni conjúncta erat mors, quam à Tyrannórum crudelitáte proveniéntem Christus, et Mártyres patiénter tolerábant. Juxta priórem consideratiónem, Christo, ejúsque Sanctis illáta fuit vis, ac per cónsequens, áctio Tyrannórum in eos fuit violénta, in qüantùm et ab agénte extrínseco procedébat, et erat contra naturálem inclinatiónem natúræ, quâ unaquæque res réfugit sui destructiónem ; imò et in qüantùm erat contra rationálem Christi, ac Mártyrum voluntátem, secúndùm quam eis displicébat ímpia Tyrannórum volúntas, et ímpiæ voluntátis eórum áctio : et hâc ratióne involuntárii erant Sancti respéctû actiónis Tyrannórum. Juxta verò posteriórem consideratiónem, non fuit Christo, ejúsque SS. Martyribus illáta vis, quia licèt nihil conférrent ad iníquam Tyrannórum actiónem, conferébant tamen ad passiónem indè consequéntem, atque ádeò ad mortem, in quántùm eam sibi illátam voluntáriè sustinébant, factâ

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

comparatióne ad Deum, etsi non per comparatiónem ad Tyránnos, seu Tyrannórum actiónes, quas ipsos fácere non cupiébant, imò detestabántur Sancti, licèt præsuppósitâ ipsórum malítiâ, vellent pœnas, quas ipsis inferébant, pati.

56. Obj. 2.° Si quis vî compellerétur adoráre idólum, qui voluntáte quidem interiórî repugnáret, sed non ópere extérnô, ipse paterétur violéntiam: et tamen illa ipsíus adorátio esset voluntária, esset enim peccátum. Idémque judícium efformári debet de vírgine per vim oppréssâ, habénte intériùs voluntátem repugnántem, quæ tamen extériùs non resísteret: Ergo, violéntia non cáusat involuntárium.

Resp. Dist. anteced. Qui in arguménto adducúntur, patiúntur violéntiam sufficiéntem, et absolútam, neg.: insufficiéntem, et impulsívam tantùm, conced. Profectò, qui vî compéllitur idólum adoráre, ac tantúm mente ipsi adoratióni repúgnans, sed nullô modô extériùs renítens quántùm potest, non pátitur violéntiam ipsum à peccáto excusántem: quia licèt ejúsmodi adoratiónis princípium sit extrà; ipsa tamen adorátio non fit, passô resisténte quántùm potest, nempè, non solùm ánimô, sed étiam ópere extérnô: idcírcò talis adorátio est ipsi voluntária indirectè; quandóquidem ad eam impediéndam non præstat omne id, quod potest, et debet fácere. Idémque judícium est de vírgine, quæ vî opprimerétur, in ánimo quidem repúgnans facínori, sed vel-clamóre, vel étiam víribûs non relúctans omnî eô modô, quô posset, et debéret reluctári.

§ III.

An metus tollat voluntárium?

57. Metus definítur: *mentis trepidátio ob cáusam mali instántis, vel futúri.* Communiter divíditur in levem, et gravem. Levis dícitur, cùm malum quod timétur, vel est leve, vel grave quidem, sed cáusa ob quam timétur est levis, aut improbábilis: hic metus in persónas meticulósas solet cádere, et ídeò dici solet, quòd *non cadit in virum constántem.* Metus gravis est, quándo ex causa benè probábili timétur grave malum, describíque solet: *certa, aut verisímilis expectátio magni mali:* et quia hujúsmodi metû étiam graves, et constántes viros percélli contíngit, metus gravis dici solet *cadens in virum constántem.*

58. Observándum hìc est, ut metus quô quíspiam percéllitur, et ad áliquid faciéndum, vel omitténdum adígitur, judicétur esse gravis, vel levis, habéndam esse ratiónem qualitátis persónæ, quæ metum pátitur: respéctû enim púeri, vel mulíeris áliquis metus potest esse gravis, qui tamen non est nisi levis respéctû viri.

Sepè per metum ab hómine extorquétur consénsus in rem, quam abhórret; ut mercátor metû naufrágii, pretiósas merces projícit in mare ad alleviándam navim. In hoc casu tria concúrrunt: primò, amor minóris boni, scílicet, mércium: secúndò, amor majóris boni, vidélicet, vitæ: et tértiò, consénsus in caréntiam minóris boni, ad conservándum majus. Hic consénsus, ut patet, extórtus metû, est mixtus ex voluntário, et involuntário; ex voluntário conservándi vitam; et ex involuntário nempè perdéndi merces. Undè metus non est cáusa éfficax

ieórum, quæ per metum fiunt, sicut violéntia absolúta est cáusa eórum, quæ per illam fiunt. His præjáctis, sit

I. CONCLÚSIO.

Metus mínuit quidem voluntárium; non tamen omninò tollit.

59. Prob. ratióne innixâ doctrínæ D. Thomæ. Quod est partìm voluntárium, partìm involuntárium, mínuit quidem voluntárium; non tamen omninò tollit: Atqui, áctio ex metu facta, est partim voluntária, partìm involuntária: Ergo, etc. Maj. patet ex ipsis términis. Min. verò prob. Áctio, quæ partim est ab intrínseco, partìm ab extrínseco, est partim voluntária, partim involuntária; Atqui, áctio ex metu facta, est hujúsmodi: Ergo, est partim voluntária, partìm involuntária. Maj. patet ex notiónibus voluntárii, et involuntárii; voluntárium enim est, quod procédit ab intrínseco voluntátis, involuntárium áutem ab extrínseco ipsi. Prob. min. Áctio ex metu facta, procédit et ex amóre conservándi majus bonum, et ex timóre incurréndi áliquod malum: Atqui, amor est motus ex íntimis voluntátis viscéribus enáscens; timor est pássio voluntáti mínimè naturális, sed forínsecùs ab urgénte perículo intrúsa: Ergo, áctio ex metu facta, partìm est ab intrínseco, partìm ab extrínseco: Ergo, actio ex metu facta partìm est voluntária, partìm involuntária. Id expréssis verbis trádidit S. Gregórius Nyssénus in lib. *de hómine, cap. 30*, inquiens: «Quæ per metum agúntur, «mixta sunt ex voluntário, et involun«tário.»

II. CONCLÚSIO.

Quæ fiunt ex metu sunt simplíciter voluntária; et secúndùm quid involuntária.

60. Prob. ratióne D. Thomæ, 1.ª 2.æ *q.* 6, *art.* 6. Quòd, atténtis ómnibûs circumstántiis, efficáciter est vólitum, est simplíciter voluntárium; quòd verò nonnísi inefficáciter, et conditionátè, est non vólitum, censétur solùm secúndùm quid involuntárium: Átqui, quòd fit ex metu, atténtis ómnibûs circumstántiis, est efficáciter vólitum, et nonnísi inefficáciter, et conditionátè non vólitum: Ergo, quæ fiunt ex metu, sunt simplíciter voluntária, et secúndùm quid involuntária. Præmíssas hôc exémplô declarámus. Cùm mercátor ad vitam servándam merces prójicit in mare, atténtîs ómnibûs circumstántiîs, vult voluntáte efficáci, et inferénte efféctum, projectiónem mércium in mare ad vitam servándam, adeóque hæc projéctio est simplíciter voluntária: quia tamen, si esset ália via commódior vitæ servándæ, nollet merces projícere in mare, ídeò hæc projéctio est involuntária tantùm conditionátè, et secúndùm quid.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

61. Obj. 1.° contr. primam partem Conclus. Si quæ fiunt ex metu, essent voluntária simplíciter, contráctus ex metu facti esset simplíciter voluntárii, adeóque válidi: Atqui, secúndùm Jura, hujúsmodi contráctus non sunt válidi, ex lege enim: *Qui in cárcerem*, 22 *ff. de eo quod metûs cáusâ*, constat, contráctus ex metu factos *nullius esse róboris:*

Ergo, quæ ex metu fíunt, non sunt voluntária simplíciter.

Resp. Dist. min. secúndùm Jura, contráctus ex metu facti *nullius sunt róboris*, quia ex se sint inválidi, neg. quia sunt à Júdice irritándi, conc. Lege enim *Si mulier, ff. de eo quod metûs causâ*, præcípitur Judícibus, ut tales contráctus rescíndant: Ergo, lex eos habet ut ex se válidos, si enim ex se jam forent inválidi, non forent à Júdice rescindéndi, quod idem est ac eos fácere inválidos. Hinc étiam *L.* 21, *ff. de eo, quod metûs causâ*, dícitur: «Si metû «coáctus ádii hæreditátem, puto me «hærédem éffici: quia, quámvis, si li«ber fuíssem, noluíssem, tamen coác«tus vólui (*en válidum quod quis fa«cit per metum coáctus*) sed per Prætó«rem restituéndus sum, ut abstinéndi «mihi potéstas tribuátur (*en rescindén«dum à Júdice quod per metum fuit «factum*).»

62. Obj. 2.° contra secúndam partem Conclus. Quándò quis metû inférni de peccátis dolet, aut obsérvat legem, iste dolor, et observántia nihil habent involuntárii, et displicéntiæ, áliàs forent mala, quod admítti non potest, et vidétur contrárium Concil. Trident., *Sess.* 14, *c.* 4. Ergo, quæ fiunt ex metu, nec secúndùm quid sunt involuntária.

Resp. Dist. conseq. Quæ fiunt ex metu non sunt involuntária secúndùm quid, si hoc involuntárium sit inductívum mali quod timétur, conced. si istud involuntárium non sit inductívum mali, quod timétur, neg. Explicátur solútio: Si afféctus, quem rétinet mercátor ad suas merces, seu si involuntárium, quod rétinet ad illárum projectiónem, esset cáusa inductíva naufrágii; tunc équidem metus naufrágii, si esset éfficax, indúceret mercatórem, non tantùm ad projiciéndas merces, sed étiam ad deponéndum afféctum erga illas, adeóque indúceret ipsum ad tolléndum involuntárium in eárum projectióne. Sic ergo, afféctus, quem rétinet peccátor ad peccátum, seu involuntárium quod forsan rétinet in ejus fuga, seu in legis observántia, cùm sit inductívum gehénnæ, non minùs quàm ipsum peccátum exterius; metus gehénnæ, si sit éfficax, debet illum afféctum, et istud involuntárium tóllere, nam certum est, quòd si afféctum ad peccátum retinéret, gehénnam profécto non vitáret.

63. Obj. 3.° Quod est voluntárium simplíciter, exclúdit omnem ratiónem involuntárii, sicut quod est album simplíciter, exclúdit omnem ratiónem nigri; Ergo, si id, quod fit ex metu est voluntárium simplíciter, nequit esse involuntárium secúndùm quid.

Resp. Dist. antecéd. Quod est voluntárium simplíciter, id est, ex ómni parte, et omnî modò, exclúdit omnem ratiónem involuntárii, conced. Quod est voluntárium simplíciter, id est, absolútè, et efficáciter, tollit omne involuntárium, neg. Quod enim sic est simplíciter voluntárium, id est, actû et efficáciter, atténtis ómnibûs circumtántiis, vólitum ut médium ad majus malum vitándum, non ímpedit quin idem, considerátum secúndùm se, et præscindéndò à circumstántiis, sit ingrátum voluntáti, et ideò involuntárium secúndùm quid. Id patet exémplò allâti mercatóris.

§ IV.

An concupiscéntia involuntárium cáuset?

64. Per concupiscéntiam hic intellígitur pássio appetítûs sensitívi prosequéntis bonum, prout distínguitur à passióne refugiénte malum, quális est

metus. Hæc concupiscéntia, vel antecédit omnem motum voluntátis, eámque állicit ad actum, ut dum visâ pulchrâ muliere, commovétur libído, quæ voluntátem állicit ad mulíerem appeténdam; vel séquitur motum voluntátis, ut dum quis intênsâ voluntáte vult áliquid, undè pássio in appetítu inferióri excitátur.

Palàm est, hanc concupiscéntiam consequéntem nihil circa voluntárium ágere, cùm ad ipsum jam constitútum sequátur; esse tamen signum voluntárii intênsi. Cardo ergo difficultátis vértitur tantùm circa concupiscéntiam antecedéntem, quómodò scílicet se hábeat ad voluntárium, et involuntárium.

Ad quod determinándum distíngui debet duplex voluntárii gradus. Primus est, voluntárii perfécti, quod vidélicet procédit à princípio intrínseco cum cognitióne finîs, formáliter ut finis, vidélicet, quándò nedùm cognóscitur res, quæ est finis, sed étiam cognóscitur propórtio mediórum ad ipsum. Secúndus est gradus voluntárii liberi, quod scílicet procédit à princípio intrínseco cum cognitióne finîs sub indifferéntia propósiti. Hîs prælibátîs, sit

I. CONCLÚSIO.

Concupiscéntia antecédens non tollit, sed pótiùs facit voluntárium absolútum.

65. Prob. Concl. ratióne innixâ doctrínæ D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 6, *art.* 7. Áliquid dícitur voluntárium ex eo quòd volúntas in illud fertur: Atqui, concupiscéntia antecédens, non impedit, sed magis facit, ut volúntas in áliquid ferátur: Ergo, concupiscéntia antecédens etc. Declarátur minor ex discrímine, quod est inter metum, et concupiscéntiam: metus síquidem non reddit gratum, et amátum, opus quod fit, ut projectiónem mércium in mare metû naufrágii; sed solùm invítam quadántenùs voluntátem, véluti necessáriîs vínculîs trahit; ídeòque opus ex metu factum, rémanet displicens, ac odiósum, proindéque aliquátenùs involuntárium: at verò concupiscéntia antecédens movet ad opus, reddéndô illud gratum, quátenùs suîs illécebrîs voluntátem inclínat ad objéctum ut amábile. Undè in his quæ ex concupiscéntia antecedénte fiunt, præcédens inclinátio voluntátis in bonum honéstum emollítur, enervátur, expúngitur; ac illi subrógatur nova inclinátio, quæ opus priùs displicens, de novo gratum, et amábile, proindéque voluntárium, reddátur. Sic Davídi, ardénter legem Dei amánti, concupiscéntia ex aspéctu Bethsabée nata, cor emollívit, et suîs blandítiîs ita alléxit, ut friges-cénte charitáte, inardescénte verò cupiditáte, non invítus, id, quod priùs displicébat, elegérit; sed mutátus, id, quod ántea nolébat, optáverit.

II. CONCLÚSIO.

Concupiscéntia antecédens mínuit voluntárium perféctum, et líberum.

66. Prob. 1.ª pars Conclus. Voluntárium perféctum est, quod procédit à princípio intrínseco cum cognitióne finîs, formáliter ut finis, id est, cum cognitióne dignitátis finîs, et proportiónis mediórum ad illum: Atqui, concupiscéntia antecédens mínuit, imò quandóque tollit hanc cognitiónem: Ergo, concupiscéntia antecédens in primis mínuit voluntárium perféctum. Major constat ex prænotam. Probátur min. Concupiscéntia antecédens mínuit judícium ratiónis,

imò quandóque totáliter tollit, améntiam cáusans, ut experiéntiâ constat: Atqui, sublátò, vel diminútò judíciò ratiónis, tóllitur, vel minúitur cognítio finîs, formáliter ut finis, undè concupiscéntia dícitur excœcáre, mentem vidélicèt obnubilándò: Ergo, etc.

67. Prob. 2.ª pars Conclus. Voluntárium líberum est, quod procédit ab intrínseco cum cognitióne finîs sub indifferéntia propósiti: Atqui, concupiscéntia antecédens mínuit hanc indifferéntiam judícii: Ergo, mínuit voluntárium líberum. Prob. min. Concupiscéntia antecédens facit quòd intelléctus propónat voluntáti objéctum sub ratióne boni concupiscíbilis, et delectábilis, ita ut non atténdat, ut par est, ad ratiónes boni honésti, quibùs ab illo objécto volúntas removerétur: Atqui, concupiscéntia indúcens intelléctum, ut atténdat ad ratiónes boni delectábilis, ipsum rétrahit à considerándo ratiónes boni honésti, ex quo próvenit quòd objéctum proponátur voluntáti cum minóri indifferéntia: Ergo, concupiscéntia antecédens mínuit indifferéntiam, adeóque líberum mínuit voluntárium.

Hac ratióne méritò dícitur, peccántem ex concupiscéntia minùs peccáre, quàm peccántem ex certa malítia; eo quia quantúmvùs concupiscéntia antecédens áugeat voluntárium absolútum, mínuit tamen voluntárium líberum quod requíritur ad peccándum.

§ V.

An quæ fiunt ex ignorántia sint involuntária?

68. Princípiò notáre opórtet cum D. Thom. in *quæst.* 3, *de malo*, *art.* 7, quòd ignorántia est caréntia sciéntiæ in subjécto scíre capáci; si enim subjéctum sit incápax scíre, erit nesciéntia: sic de hómine non sciénte número stellárum, vel lapillórum, qui sunt in líttore maris, próprie loquéndò, non dícitur ignoráre, sed nescíre. Ignorántia ex parte intelléctûs divíditur in ignorántiam *privativè* sumptam, quæ consístit in non habéndo sciéntiam cujûs est capax; et ignorántiam *contrárie* sumptam, quæ dícitur pravæ dispositiónis, et est error, ut cùm quis habet pro veris, quæ falsa sunt. Ex parte objécti divíditur ignorántia in ignorántiam *Facti*, *et Juris:* ut si quis ignóret, Petrum esse excommunicátum, est ignorántia *facti*; si áutem ignóret ad quid excommunicátio oblíget; est ignorántia *juris*. Ex parte verò voluntátis, ignorántia divíditur in ignorántiam concomitántem, consequéntem, et antecedéntem. Ut enim ait D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 6, *art.* 8, Concomítans est, «quándò ignorántia «est de eo, quod ágitur; tamen etiámsi «scirétur, nihilóminùs agerétur.» Ignorántia cónsequens est quándò «ipsa ig«norántia est voluntária: et hoc con«tíngit dupliciter... Unò modò quia ac«tus voluntátis fertur in ignorántiam; «sicut cùm áliquis ignoráre vult, vel ut «excusatiónem peccáti hábeat, vel ut «non retrahátur à peccándo, secúndùm «illud Job. c. 21, v. 14. *Sciéntiam viá«rum tuárum nólumus:* et hæc dícitur «ignorántia *affectáta*. Aliò modò dícitur «ignorántia voluntária ejus, quod quis «potest scire, et debet: sic enim non «ágere, et non velle, voluntárium dící«tur (*vid. num.* 41) hòc ígitur modò «dícitur ignorántia, sive cùm áliquis ac«tu non considerat, quod consideráre «potest, et debet, quæ est ignorántia *ma«læ electiónis*, vel ex passióne, vel ex há«bitu provéniens; sive cùm áliquis notí«tiam, quam debet habére, non curat

«acquírere: et secúndùm hunc modum, «ignorántia universálium juris, quæ «quis scire tenétur, voluntária dícitur, «quási per negligéntiam provéniens.» Ignorántia antecédens dícitur, quándò non «est voluntária, et tamen est cáusa volén-«di, quod áliàs (*volúntas*) non vellet, si-«cut cum áliquis homo ignórat áliquam «circumstántiam actûs, quam non tene-«bátur scíre, et ex hoc áliquid agit, «quod non fáceret, si sciret; puta, cùm «áliquis, diligéntiâ débitâ, nésciens áli-«quem transíre per viam, projícit sagít-«tam, quâ intérficit transeúntem.»

69. Ignorántia antecédens, áliîs términîs appellári solet, ignorántia *invincíbilis;* et ignorántia cónsequens, ignorántia *vincíbilis*. Ea ignorántia dícitur vincíbilis, quæ vinci, ac superári potest, si homo ad sui instructiónem, eam adhibéret diligéntiam, quam, atténtîs circumstántiîs, potest, et debet adhibére. Dícitur verò invincíbilis, quándò vinci, et superári nequit, étiam adhíbitâ diligéntiâ, quam homo, atténtîs circumstántiîs, adhibére potest, et debet. Sic qui inter Cathólicos versátur, si ignórat mystéria Religiónis, quæ scire debet, ignorántiâ vincíbilî labórat, quia de fácili ínstrui valet: ast verò, qui est in sylvis apud bárbaros enutrítus, etsi mystéria Religiónis christiánæ ignóret, hæc ejus ignorántia est invincíbilis, cùm in sylvis apud bárbaros, nullum invenire possit, qui eum de præfátis mystériis erúdiat. Hîs ergo, pro instructióne Tyrónum prænotátîs, sit

I. CONCLÚSIO.

Ea, quæ fiunt cum ignorántia concomitánte, nec fiunt voluntárie, nec involuntárie, sed non voluntárie.

70. Prob. Concl. Voluntárium est, quod próvenit ab intrínseco cum cognitióne finîs: Atqui, ea, quæ fiunt cum ignorántia actum concomitánte, licèt provéniant ab intrínseco, non fiunt cum cognitióne finîs, alióquin jam ignorántia actum non concomitátur: Ergo, etc. Undè D. Thom. ibid. Ignorántia concómitans non facit voluntárium, sicque ea, quæ cum ignorántia concomitánte fiunt, non fiunt voluntárie, quia opus, quod fit cum ignorántia concomitánte, fit sinè cognitióne ejus quod fit, sicut cùm quis occídit hostem, putans occídere cervum, occísio hostîs, hic et nunc, non est voluntária, quia nihil vólitum, quin præcógnitum: hic et nunc, non præcognóscitur hostis, sed existimátur cervus. Hæc quoad primam Conclusiónis partem.

71. Secúndam verò, ità probámus. Id quod non est contra inclinatiónem voluntátis non est involuntárium. Atqui, quod fit cum ignorántia concomitánte non est contra inclinatiónem voluntátis: Ergo, quod fit cum ignorántia concomitánte, non est involuntárium. Prob. min. Ut patet exémplô allátô, cùm quis occídit hostem, putans occídere cervum, ita occídit hostem, ut hæc occísio non sit contra voluntátem suam, suppónitur enim, ipsum esse inclinátum ad occidéndum hostem, si sciret ipsum esse hostem, et non cervum: Ergo, illa occísio hostîs non est illi involuntária, quámvis tunc, hic et nunc, exístimet occídere cervum.

72. Ex his fluit tértia pars Conclus. nempè quòd ea, quæ fiunt cum ignorántia concomitánte, fiunt non voluntárie. Nam quidquid fit, vel est voluntárium, vel involuntárium, vel actû non voluntárium: Atqui, ut osténsum est, quæ fiunt cum ignorántia concomitánte, neque fiunt voluntárie, neque involuntárie: Ergo, actû fiunt non voluntárie. Id patet exémplô allátô, nam occísio

hostîs, ut cervus existimâtî, non est actû voluntária, occísor enim actû vult occídere cervum, et non hostem, quem non cognóscit; neque est involuntária, quia non est contra voluntátem occisóris, cujûs signum est, quòd si occísor ille ínvenit, se locô cervi inimícum occidísse, non dolet, sed pótiùs gáudet: restat ergo, quòd illa occísio sit actû non voluntária. Ergo, quæ fiunt cum ignorántia concomitánte, neque fiunt voluntárie, neque involuntárie, sed non voluntárie.

II. CONCLÚSIO.

Ignorántia cónsequens, sive sit, quæ dícitur affectáta, sive quæ dícitur malæ electiónis, causat voluntárium simpliciter, et involuntárium secúndùm quid. Vid. inf. num. 75.

73. Ad intelligéntiam terminórum Conclusiónis vid. *num.* 68. Prior ergo pars probátur. Illud est simplíciter voluntárium, quod, ómnibûs considerátîs hîc, et nunc, potuísset, et debuísset áliquis vitáre, et non vitávit: Atqui, opus, quod ex áliqua prædictárum ignorantiárum fit, ómnibûs benè considerátîs, póterat, ac debébat vitáre, et non vitávit is, qui illud facit: Ergo, hujúsmodi opus est simplíciter voluntárium.

Rursùs: Cùm quis pótuit ac débuit vitáre ignorántiam, et non vitávit, tunc ignorántia est ab eo simplíciter vólita: Ergo, et efféctus, qui ex illa ignorántia séquitur, est ab eo simplíciter vólitus, adeóque voluntárius: cui enim voluntária est cáusa, voluntárius est efféctus.

74. Prob. 2.ª pars Conclusiónis. Quod fit contrà aliquálem inclinatiónem voluntátis, est involuntárium secúndùm quid, id est, sub áliquo respéctu: Atqui, efféctus provéniens ex ignorántia consequénte fit contra aliquálem inclinatiónem voluntátis: Ergo, hujúsmodi efféctus est involuntárius secúndùm quid. Prob. min. Qui ex ignorántia consequénte áliquid operátur, ita est afféctus, ut si adésset cognítio ejus quod operátur, illud non operarétur, cujûs est signum, quòd pósitô efféctû, et adveniénte cognitióne ipsíus, tristátur; ut patet in eo, qui sufficiénti diligéntiâ non adhíbitâ, putans occídere feram, ínvenit se occidísse amícum: Ergo, efféctus provéniens ex ignorántia consequénte, est contra aliquálem inclinatiónem voluntátis: Ergo, est involuntárius secúndùm quid.

75. Schólion 1.ᵐ Quámvis ignorántia cónsequens convéniat cum ignorántia antecedénte, in eo, quòd quálibet cárum datâ, si adésset cognítio ejus quod fit, id non fieret; in hoc tamen discriminántur, quòd ignorántia cónsequens est voluntária, non verò ignorántia antecédens; adeóque nihil mirum, quòd ea, quæ fiunt ex ignorántia antecedénte sint omnímodè involuntária; ea verò, quæ fiunt ex ignorántia consequénte, sint voluntária simplíciter, cùm ipsa ignorántia cónsequens sit vólita ab ignoránte.

76. Schólion 2.ᵐ Advértere étiam opórtet, ignorántiam consequéntem commiscéri aliquándò cum ignorántia concomitánte; ut dum quis, non adhíbitâ sufficiénti diligéntiâ, casû occídit hostem, quem valdè cupiébat occídere, ex quo facto, quándò illud cognóscit, valdè lætátur. Ignorántia cónsequens hujus géneris, est quási mixta ex consequénte, et concomitánte, et partícipat de utráque: de consequénte enim partícipat fácere voluntárium simplíciter; de concomitánte verò partícipat non tristári de efféctu, sed lætári, adeóque

quòd id, quod fit, non sit contra aliquálem inclinatiónem voluntátis, sicque ignorántia cónsequens commíxta concomitánti, non facit involuntárium secúndùm quid.

III. CONCLÚSIO.

Ignorántia purè antecédens, et verè invincíbilis, sive Facti, sive Juris, cáusat involuntárium simpliciter, et à culpa excúsat.

77. Advérsùs hanc doctrínam obstrépit Luthérus in cap. 1 Genes. ubi ait: «Scholástici dicunt, invincíbilem igno«rántiam réddere excusábiles: Tanta «cæcitas est in Papæ schólis, et Eccle«siis.» Luthérum sequúntur omnes ejus gregáles, et modérni Heterodóxi. Jansénius itidem, *lib.* 2, *de Státu natúræ lapsæ*, *c.* 2, inquit, generále scholasticórum pronuntiátum, quòd «quidquid «ex invincíbili fit ignorántia, hôc ipsô «culpâ vacat, quámvis humánæ ratióni, «quâ nítitur, pláusíbile esse videátur; «difficile tamen est cum doctrína Au«gustíni conciliáre.» Quámvis, *c.* 5, decláret, se non inténdere loqui nisí de ignorántia juris naturális, státuens, peccátum Adæ hujúsmodi ignorántiam réddere inexcusábilem. His pósîtis

78. Prob. primò Conclúsio argumentô, quod ajunt, ad hóminem. Jansénius ídeò vult, ignorántiam juris naturális non excusáre à peccáto, quia hujúsmodi ignorántia est pœna peccáti Proto-Paréntis: Atqui hæc rátio est falsa, étiam in princípiis Jansénii: Ergo, Jansénius ábsque fundaménto ásserit, ignorántiam antecedéntem, et invincíbilem à peccáto non excusáre. Prob. min. Motus concupiscéntiæ prævenientes consénsum voluntátis, ímô et qui voluntáti repúgnant, sunt pœna peccáti originális: Atqui, tamen juxta Jansénium, nisi apértè Lutheránis, et Calvinístis subscríbat, nec peccáta sunt, nec imputántur: Ergo, páriter, ignorántia antecédens, et invincíbilis, ex eo quòd procédit à peccáto primi Paréntis, non potest dici, quòd non excúset à peccáto. Vid. Trident., *Sess.* 5, *c.* 5, et August, *lib.* 2, *contr. Julián.*, *c.* 9.

79. Prob. secúndò. Substráctio cognitiónis supernaturális, máximè eórum quæ credénda sunt, est pœna, et quidem quàm máxima, peccáti originális: Atqui, hæc ignorántia invincíbilis credendórum, étiam secúndùm Jansénium, *lib.* 2, *de Státu natúræ lapsæ*, *c.* 5, excúsat à peccáto infidelitátis, et in hac re non fállitur Jansénius, nam qui nihil de Evangélio absque própria culpa audiérunt, et sunt infidéles dumtáxat negatívè, à peccáto infidelitátis excusántur, secúndùm illud Christi, *Joán.*, *c.* 15, *v.* 22: «Si non veníssem, et «locútus fuíssem eis, peccátum non «habérent,» útiquè incredulitátis, ut expónit August. *Tractat. in Joán.*; et D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 10, *art.* 1, ínquiens: «quòd infidélitas si «accipiátur secúndùm puram negatió«nem, sicut in illis, qui nihil audiérunt «de fide, non habet ratiónem peccáti, «sed magis pœnæ; quia talis ignorántia «divinórum ex peccáto primi Paréntis «consecúta est:» et quod caput est, hanc doctrínam expréssè sanctam habémus à S. Pio V, hanc Baii propositiónem damnánte: *Infidélitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicátus, peccátum est.* Ergo, ignorántia invincíbilis credendórum, etiámsi à peccáto Proto-Paréntis procédat, tam secúndùm Jansénium, quàm secúndùm rei veritátem, excúsat à peccáto infidelitátis. Ergo, et ignorántia invincíbilis juris naturalis, etsi à peccáte primi Pa-

réntis ortum ducat, excusáre debet à peccáto.

80. Prob. tértiò: Id quod prorsùs involuntárië fit, imputári ad culpam non potest: Atqui, quod fit ex ignorántia antecedénte, et invincíbili, involuntárië fit: Ergo, non potest imputári: Ergo, ignorántia antecédens invincíbilis, sive Juris, sinè Facti, excúsat à peccáto. Major patet, quia non potest dari peccátum sive voluntário. Undè S. Pius V damnávit has Baii propositiónes: *Ad ratiónem, et definitiónem peccáti non pértinet voluntárium*: et, *Homo peccat, étiam damnabíliter in eo, quod necessário facit*. Vid. D. August., *lib. de Vera Religióne, c.* 14, et D. Thom., *quæst.* 3 *de Malo, art.* 7, *ad* 7, ajéntem: «Dicéndum, quòd ignorántia, quæ «est omninò involuntária, non est pec«cátum, et hoc est, quod Augustínus «dicit: Non tibi imputátur ad culpam, «si invítus ignóras.»

81. Animadvértere opórtet, voluntárium, quod requíritur ad hoc, ut alícui, malum, quod actuáliter pérpetrat, imputétur, debére esse personále, et non suffícere, ut conténdit Jansénius, voluntárium, quod fuit in peccáto Adæ, ut nítidè constat, ex his duábus propositiónibus ab Alexándro VIII, proscríptis: *In státu natúræ lapsæ ad peccátum formále, et demérítum súfficit illa libértas quâ voluntárium, ac liberum fuit in cáusa sua, peccátô originálî, et libertáte Adámi peccántis*. Et, *Tamétsi darétur ignorántia invincíbilis juris natúræ, hæc in státu natúræ lapsæ, operántem ex ipsa non excúsat à peccáto formáli*.

Et proféctò: si voluntárium quod fuit in peccáto Adæ, sufficeret, ut in pósteris forent culpabília, quæ ex ipso sunt subsecúta, nedum foret culpábilis quæcúmque ignorántia síve facti, sive juris ex peccáto originálî provéniens, sed étiam culpâ non vacárent motus concupiscéntiæ involuntárii, ratiónem prævenién-tes; concupiscéntia enim rebéllis étiam peccátum originále subséquitur: Idem dicéndum foret de phrænési, de aménția, aliísque pœnalitátibûs, quarum cáusa fuit Adámi peccátum. Idem tandem, potiorî jure dicéndum foret de infidelitáte negatíva, quam S. August., *epist.* 19, *ad Sixtum, c.* 6, non peccátum nóminat sed *peccáti pœnam;* et quam non esse peccátum certíssimum ómnibus est, proscriptâ contráriâ hac propositióne Baii: *Infidélitas purè negatíva in his, quibus Christus non est prædicátus, peccátum est*.

82. Jansénius, ejúsque gregáles hallucináti sunt non distingüéntes inter culpam natúræ, et culpam persónæ: ut enim D. Thom. in 2 *Sentent. Dist.* 30, *quæst.* 1, *art.* 3, errórem Jansénii in antecéssum præóccupans, scitè inquit: «Opórtet quòd secúndùm hoc, quòd áli«quid ratiónem culpæ habet, secúndùm «hoc, rátio voluntárii in ipso reperiátur: «sicut áutem est quoddam bonum, quod «réspicit natúram (*quále fuísset justítia «originális, Adámô non peccánte*) et «quoddam, quod réspicit persónam (*quá«le est omne opus bonum à quólibet per«sonáliter elícitum*) ita étiam est quædam «culpa natúræ (*quális est peccátum ori«ginále*) et quædam persónæ (*ea nempè, «quam quisque commíttit*). Undè ad «culpam persónæ requíritur volúntas «persónæ, sicut patet in culpa actuáli, «quæ per actum persónæ commíttitur; «ad culpam verò natúræ non requíritur «nisi volúntas in natúra illa (*id est, in «Adámo, cápite naturæ, natúram infi«ciénte*).» Hæc ubérius cum D. Thoma explanábimus cùm de peccáto originálî sermónem instituémus.

83. Schólion: Etsi propugnémus, posse dari ignorántiam invincíbilem ju-

ris natúræ, non tamen inde existimándum est, in ómnibus, quæ sunt juris natúræ posse talem ignorántiam reperíri. Sciéndum est enim ex D. Thoma, 1.ª 2.æ *quæst.* 94, *art.* 4, *et* 6, ad legem natúræ pertinére quædam princípia communíssima, ut, bonum esse faciéndum, malum áutem fugiéndum; et quædam secundária præcépta magis particulária, ut, furtum non esse faciéndum, non esse mæchándum, etc. quæ sunt quási conclusiónes propínquæ princípiis, quórum nequit dari ignorántia invincíbilis, semper enim ac intercédit horum ignorántia, ut notat S. Doctor, procédit vel ex malis persuasiónibus, vel ex pravis consuetudínibus, vel ex habítibus corrúptis, sicut apud quosdam latrocínia, et vítia contra natúram, non reputabántur peccáta, ut étiam Apóstolus dicit epist. ad Roman., *cap.* 1. Faténdum est tamen, quásdam nonnúmquàm ita occúrrere circumstántias, ut facílè non sit, certum de bonitáte vel malítia actiónis ferre judícium, et de quibus vel ipsi Sapiéntes inter se digladiántur; et horum potest dari ignorántia invincíbilis, undè D. Thomas, 1.ª 2.æ *q.* 77, *art.* 7, *ad* 2.ᵐ, ait: «Ignorántia particuláris, quæ totáliter «excúsat, est ignorántia circumstántiæ, «quam quidem quis scire non potest, «debitâ diligéntiâ adhíbitâ.» Vid. Berti *de theol. discipl.*, *cap.* 10. Vid. et P. Salvátor. Maria Roselli in sua *Summa Philosóphica*, *tom.* 6, *n.*° 327.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

84. Obj. 1.° Genes., *c.* 20, áctio Regis Abimeléch in uxórem recipiéntis Saram, vocátur peccátum, cùm tamen invincibiliter ignoráret eam esse uxórem Ábrahæ: Ergo, ignorántia invincíbilis non excúsat à peccáto.

Resp. Non constáre, Abimeléch ignorásse invincibíliter Saram esse uxórem Ábrahæ; disputátur enim inter Auctóres, an peccáverit, necne, in illo facto. Hugo Cardinális in *cap.* 20 *Genes.*, exístimat, quòd Abimeléch ardens libídine, statìm ac Saram vidit, audivítque eam esse Ábrahæ sorórem, non adhíbitâ ulterióre diligéntiâ, ut oportébat, eam tulit, adeóque quòd ignoráret eam esse uxórem Ábrahæ, fuit ignorántia vincíbilis. Huic sententiæ favére vidétur Scriptúra narrans, Deum dixísse ad Abimeléch, *en moriéris propter muliérem, quam tulísti, habet enim virum;* Deus áutem non fuísset minátus mortem Abimeléch, si in tolléndo Saram, non peccásset.

Sunt áutem, qui arbitrántur, Abimeléch in illo facto non peccásse, quia, ut ibid. légitur: «Dixítque ad eum Deus: «et ego scio quòd símplici corde féce«ris: et ídeò custodívi te, ne peccáres «in me.» Hujus sententiæ vidétur esse D. August., *lib.* 3, *contra Julián.*, *c.* 19, ait enim: «Sed sciébam, inquit «Deus, quia in corde mundo fecísti hoc: «non ómnia, vel quæcúmque ália; sed «hoc, in quo adultérii consciéntiam non «habébat.» Si áutem ignorántia Abimeléch nesciéntis Saram esse Ábrahæ uxórem, non fuísset invincíbilis, núsquàm Dóminus dixísset, quòd eam túlerit *simplici corde*, seu corde mundò, ut expónit Augustínus addúctus; ignorántia enim, quæ non est invincíbilis, ex corde símplici, seu mundò, non procédit. Ergo, si Abimeléch in hoc facto non peccávit, patet invincíbilem esse ejus ignorántiam; adeóque ignorántia invincíbilis excúsat à peccáto.

Sunt qui ad hanc litem diriméndam duo in hoc facto Abimeléch distínguunt, vidélicet, quòd túlerit Saram, ignórans eam esse uxórem Ábrahæ: et quòd vî, ac suprémâ potestáte, quâ potiebátur, abú-

tens eam túlerit. Quántùm ad primum, ignorántia Abimeléch fuit invincíbilis, adeóque excúsans à peccáto : quántùm ad secúndum, peccávit, legem viólans hospitalitátis ; nam eam, quæ vénerat ad quæréndum in suo Regno asylum, tulit, ejus voluntáte non explorátâ. Hâc distinctióne factâ, vidéntur conciliári, et quòd Deus minátus sit mortem Abimeléch *propter mulierem*, quam túlerat ; et quòd Deus ad ipsum díxerit : *scio, quòd símplici corde féceris, et ídeò custodívi te, ne peccáres in me*. Vid. P. Scio in hoc 20, *Genes. cap.*

85. Ob. 2.° In Concílio Diospolitáno proscrípta fuit hæc Cœléstii propósitio : *Oblívio, et ignorántia non súbjácent peccáto, quóniam non secúndùm voluntátem evéniunt, sed secúndùm necessitátem*. Ibi áutem sermónem esse de ignorántia invincíbili patet ex his verbis : *quóniam non secúndùm voluntátem, sed secúndùm necessitátem evéniunt ;* oblívio áutem, et ignorántia vincíbilis evéniunt secúndùm voluntátem. Ergo, Patres Concílii Diospolitáni damnántes allátam Cœléstii propositiónem, ásserunt ignorántiam invincíbilem non excusáre à peccáto.

Resp. Benè ponderánda esse verba illíus definitiónis, unà cum scopo Patrum illíus Synodi. Non enim dicébat Cœléstius, oblivióném, et ignorántiam non esse peccáta, sed, *non subjacére peccáto*, seu, non esse peccáti originális efféctus, et pœnas. Ultériùs, quándò Cœléstius causálem addébat, *quóniam non secúndùm voluntátem, sed secúndùm necessitátem* evéniunt, nihil áliud volébat, quàm oblivióném, et ignorántiam esse necessária natúræ hóminis consectária, quæ, étiam Adámô non peccánte, in nobis fuíssent. Hoc ígitur paradóxum Cœléstii, quô peccáti originális dogma evertebátur, à Pátribus Diospolitánis proscríptum est. Undè Patres damnavérunt tantùm ad sensum Cœléstii, oblivióném, et ignorántiam non subjacére peccáto ; et méritò damnárunt, tum quia propósitio ad illíus sensum erat, ut notávimus, eversíva dógmatis peccáti originális, tum quia erat indefiníta, adeóque omnem ignorántiam, et vincíbilem et invincíbilem compléctens. Ex quibus fluit, quòd ex proscriptióne propositiónis Cœléstii nihil contra nostram conclusiónem erúitur.

CAPUT VIII.

DE VOLUNTÁRIO LÍBERO.

86. Cùm voluntárium, (vid. *num.* 38) in necessárium, et líberum dividátur ; et voluntárium líberum radix sit, ac fundaméntum moralitátis áctuum humanórum, præmitténdam judicámus esséntiam, et natúram libertátis, ántequàm de áctibus humánis, eorúmque moralitáte disserámus.

Váriæ sunt libertátis acceptiónes. Primò divíditur in libertátem natúræ, grátiæ, et glóriæ : ita S. Bernárdus, *lib. de Grátia, et lib. arbit., c.* 3, inquiens:

«Cum ígitur... triplex sit nobis propó- «sita libértas, à peccáto, à miséria, à «necessitáte; hanc últimô locô pósitam «cóntulit nobis in conditióne, natura; in «primam restaurámur à grátia; média «nobis reservátur in Pátria. Dicátur «ergo prima, libértas natúræ; secúnda, «grátiæ; tértia, vitæ, vel glóriæ... Ex «prima, præstámus cæteris animánti- «bus; in secúnda, carnem; per tértiam, «mortem subjícimus.»

87. Libértas natúræ subdivíditur in libertátem, quæ dícitur spontaneitátis, seu complacéntiæ, et in libertátem indifferéntiæ, seu contingéntiæ. Illa, solam immunitátem à coactióne, seu violéntiâ impórtat: ista áutem, nedum impórtat immunitátem à coactióne, seu violéntiâ, sed ultériùs étiam secum affert immunitátem à necessitáte absolúta, seu determinatióne ad unum, per modum natúræ; et nóminat poténtiam, seu facultátem ad oppósita.

88. Hæc áutem oppósita possunt, vel contradictórié, vel contrárié sumi. Sumúntur contradictórié, cum poténtia potest actum pónere, vel non pónere, puta ágere, vel non ágere; velle, vel non velle: sumúntur contrárié, cum poténtia potest actus positívos ad ínvicem oppósitos elícere, ut amórem, et ódium; prosecutiónem, et fugam. Poténtia, quæ est ad oppósita contradictórié, libértas contradictiónis, seu exercítii nuncupátur: quæ verò est ad actus positívos oppósitos, dícitur libértas contrarietátis, seu specificatiónis. Ex his séquitur, libertátem indifferéntiæ subdívidi in libertátem contradictiónis, seu exercítii; et libertátem contrarietátis, seu specificatiónis.

89. In libertáte indifferéntiæ sita est libértas arbítrii; circa quam váriè várii errárunt, álii plus æquô illam extollèndô, álii eam, saltem in hoc státu natúræ corruptæ, negándô. Qui nimis eam extóllunt, sunt Pelagiáni contendéntes, ipsam sibi suffícere ábsque grátiæ dono ad ómnia bona ópera, et ad salútem consequéndam, ac in nullo hanc libertátem per peccátum Adæ fuísse læsam, sed véluti in æquilíbrio pósitam, parem habére indifferéntiam et facilitátem, sive ad bonum, sive ad malum operándum, sicut in státu innocéntiæ. Negárunt verò libertátem indifferéntiæ, seu arbítrii Stóici statuéntes fatum, ex quo ómnia ex necessitáte evéniant. Negárunt Astrólogi, existimántes ex influxu syderum ómnia ex necessitáte evenire. Negárunt Manichæi ex dúplici ánimâ bonâ, et malâ, quam in unoquóque hómine constituébant, ita ut altera álteram necessáriò compéllat hôc ipsô quô præváleat. Negárunt Wicleffístæ, Lutheráni, Calvinístæ, ex peccáto originâli, et ex vi grátiæ, quam supponébant hóminem necessitáre ad agéndum. Negárunt Bajus, et Jansénius, quórum primus dócuit, *quod voluntariè fit, etsi necessáriò fiat, liberè tamen fit;* quæ propósitio fuit à S. Pio V. damnáta: alter verò, nempe Jansénius, illam negávit, státuens, libertátem à coactióne suffícere ad meréndum, vel demeréndum, nec requíri ad hoc libertátem à necessitáte, in státu natúræ lapsæ, quod est étiam ab Ecclésia damnátum. Ex recentióribus libertátem denegáre convincúntur, et Áuctor libélli, cui títulus *Homo planta;* et Áuctor altérius, cui títulus *Systema d'Epicur*, státuens hómines non esse nisi *Símias caudátas*, primátum super eas omnes obtinénte Newtónô: ita Poppe; et Áuctor *Philosoph. du bonsens*, ásserens bruta homínibus adæquári; et Áuctor libélli cui títulus *L'origine de l'inegalité des hommes*, homínibus non concédens nisi brutórum instínctum; et Leibnitz in suo systémate *Harmoniæ præs-*

tabilitæ, státuens; Deum ita ánimam córpori consociásse, ut ánima líbera non sit in operatiónibus, tum in seípsa, tum relátè ad corpus considerátis, de quo Vid. P. Salvatórem Maria Roséllì, in sua *Summa Philosóphica*, *tom.* 5, *n.* 1001, *et seqq.* Tandem, libertátem negant omnes, qui ánimam ponunt esse materiálem. His prælibátis, contra hos omnes, sit

I. CONCLÚSIO.

Étiam in státu natúræ lapsæ gáudet homo libertáte arbítrii, seu indifferéntiæ.

90. Primum hóminem in státu innocéntiæ libertáte arbítrii fuísse donátum, admíttunt vel ipsi Lutheráni, et Calvinístæ; sed pro aris, et focis conténdunt, per Adæ peccátum fuísse in hómine líberum arbítrium ita extínctum, ut modò non sit nisi títulus sinè re, seu res de solo título, remanénte dumtáxat in hómine libertáte à coactióne. Illis quoad rem subscríbit Jansénius, quámvis quoad vocem, quandóque líberum arbítrium admíttere videátur.

Probátur primò Conclúsio ex Concílio Tridentíno, *Sess.* 6, *cap.* 1, asseréntе: in fíliis Adæ líberum arbítrium mínimè extínctum esse, víribûs licèt attenuátum, et inclinátum. Ibídem, *Canon.* V, definit: «Si quis líberum hóminis «arbítrium post Adæ peccátum amís«sum, et extínctum esse, díxerit; aut «rem esse de solo título, imò títulum si«nè re, figméntum déniquè à Sátana in«véctum in Ecclésiam; anáthema sit.» Ítidem, *Canon.* VI: «Si quis díxerit, «non esse in potestáte hóminis vias suas «malas fácere... anáthema sit.»

91. Prob. 2.° Idem dogma Cathóli–cum jam olim fúerat contra Luthérum definítum in Concílio Provinciáli Senonénsi, Parísiis coáctô an. 1528, ubi in Decrétis fídei, et damnántur Pelágius, eô quòd líbero arbítrio nímiùm tribúerit, et Wicléffus, ac Luthérus, eo quòd líberum arbítrium prórsùs sustúlerint.

92. Èadem véritas Cathólica unô ore à SS. Pátribus propugnátur, quos brevitáti consuléntes cógimur prætermíttere, unum dumtáxat Augustínum in médium proferéntes, qui fatétur eo dumtáxat fine se librum *de Grátia, et liberô arbítriô* scrípsisse, ut probáret utrúmque debére admítti, ait enim: «Quóniam «sunt quidam, qui sic grátiam Dei de«féndunt, ut negent hóminis líberum «arbítrium, hinc áliquid scríbere... cu«rávi.» Et cap. 2.°: «Ipsa divína præ«cépta hómini non prodéssent, nisi ha«béret líberum voluntátis arbítrium, «quô ea fáciens ad promíssa præmia «perveníret.» Et infrà: «Quómodò ju«bet, si non est líberum arbítrium?» Et *lib.* 2.° *de Nùptiis, et Concupis.*, *cap.* 3.°, Pelagiános ita allóquitur: «Líbe«rum in homínibus esse arbítrium... «utríque dícimus; non hinc estis Cœ«lestiáni, et Pelagiáni; ista quippè Ca«thólica fides dicit.» Et *lib.* 1.° *ad Bonif.*, *cap.* 2.°: «Quis nostrûm dicat, «quòd primi Hóminis peccátô perierit «líberum arbítrium de humáno géne«re?» Iterùm, *epist.* 46: «Si non est «grátia Dei, quómodò salvat Mundum? «Et si non est líberum arbítrium, quó«modò júdicat Mundum?» Et infrà: «Nisi liberô arbítriô intelligerémus, at«que saperémus, non nobis præciperé«tur.» His áutem significári, non solùm libertátem à coactióne, sed étiam à necessitáte, adeóque libertátem indifferéntiæ, maniféstum fit consideránti, quòd præciperétur frustrà iis, qui essent ad unum necessitáte compúlsi, ut modò

aggrédimur osténdere, novam subjiciéntes probatiónem conclusiónis.

93. Experiéntiâ constat, hóminem líberè unum elígere, et áliud respúere. Id áutem fieri nequíret, si homo liber tantùm foret à coactióne, et non polléret libertáte indifferéntiæ. Ergo, homo hâc pollet libertáte.

94. Rursùs: ut argüit D. Thom., 1 *Part. quæst.* 83, *art.* 1. Si homo non esset liber libertáte arbítrii, seu indifferéntiæ, frustrà essent consília, exhortatiónes, præcépta, prohibitiónes, præmia, et pœnæ. Vel enim homo esset necessáriò determinátus ad agénda, quæ præcipiúntur, aut consulúntur, et sic frustrà præciperétur, aut consulerétur id, quod non fácere non valéret: sicut inániter præciperétur igni, ut combúreret; lápidi, ut centrum péteret etc. Vel esset homo necessáriò determinátus ad non faciénda ea, quæ ipsi prohibéntur, et sic frustrà prohiberétur ei, id à quo faciéndô abstinére nequíret: sicut lápidi frustrà prohiberétur, ne naturáliter circumferéntiam petat.

95. Tandem: hæc hóminis libértas arbítrii, seu indifferéntiæ, in Scriptúra sacra radicátur: nam *Eccle.*, *c.* 15, légitur: «Deus ab initio constítuit hóminem, et relíquit illum in manu consílii sui. Adjécit mandáta: si volúeris «serváre, conservábunt te... Appósuit «tibi áquam, et ignem: ad quod volúeris pórrige manum tuam. Ante hómi«nem vita, et mors, bonum et malum; «quod placúerit ei, dábitur illi.» Nos non prætérit, Calvínum conténdere, hæc verba ad sólum primum hóminem restringénda. Sed immérito: Síquidem legenti textum patet, Sacrum Scriptórem, prædictis verbis, ad omnes hómines, étiam in státu natúræ lapsæ, fuísse allocûtum. Hinc, *Genes.* *c.* 4, Deus álloquens Cáin, et quidem, post Adæ lapsum, inquit: «Nonne si benè égeris, «recípies: si áutem malè, státim in fó«ribus peccátum áderit? Sed sub te erit «appetítus ejus, et tu dominaberis illíus.» Hùc étiam spectat exhortátio Josuë, *c. últimô*, cùm Israelítis præséntibus dixit: «Óptio vobis datur, elí«gite hódie quod placet, cui servíre po«tíssimùm debeátis, utrùm Diis, quibus «servierunt Patres vestri in Mesopotá«mia, an Diis Amorrhæórum, in quó«rum terra habitátis: Ego áutem et «Domus mea serviémus Dómino.» Hinc etiam Apóstolus, 1 *ad Corint.*, *c.* 7: «Quod vult, fáciat: non peccat, si nu«bat... non habens necessitátem', po«testátem áutem habens suæ voluntá«tis.»

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

96. Obj. 1.° Qui non est Dóminus suórum áctuum, non pollet libertáte arbítrii, seu indifferéntiæ: Atqui, homo in státu natúræ lapsæ est hujúsmodi, cap. enim 10 Jeremíæ dícitur: «Non est in hómine via ejus, nec viri «est ut díriget gressus suos.» Ergo, etc.

Resp. Dist. min. Non est hóminis via ejus, nec viri est ut dírigat gressus suos, quántùm ad optátum éxitum suárum electiónum, à quo potest impedíri, velit, nolit, conced.: quántùm ad electiónes ipsas, quæ sunt actus ab ipsa voluntáte elíciti, neg. Solútio patet ex dictis in probatiónibus Conclus.

97. Instábis: Atqui, nec homo est dóminus, quoad suas electiónes, Provérbiorum enim, *cap.* 21, légitur: «Cor «Regis in manu Dómini: quocúmqué «volúerit, inclinábit illud» et *epist. ad Philippénses*, *cap.* 2, *v.* 13: «Deus «est, qui operátur in nobis velle, et per-

«fícere.» Ergo, homo non est dóminus suárum electiónum.

Resp. Dist. antec. Deus quocúmquè voluerit inclínat cor Regis, et in nóbis operátur velle, et perfícere, támquàm cáusa prima, conc. támquàm cáusa próxima, et immediáta, neg. Deus est prima cáusa movens omnes álias cáusas, tum naturáles, tum voluntárias, tum líberas, Deus enim est primus ómnium Motor, à quo pendent omnes álii motus, ut osténdimus *Tom.* 2.° *num.* 27, *et seqq.* Et sicut naturáles cáusas movéndô non áufert quin actus eárum sint naturáles; ita movéndô cáusas voluntárias, et líberas, non áufert quin actiónes eárum voluntáriæ sint et líberæ, sed potiùs hoc in eis præstat; operátur enim Deus in unoquóque secúndùm ejus proprietátem, et exigéntiam. Nec ex eo quòd cáusa líbera sit à Deo mota, perímitur ejus líberum arbítrium, non enim est de necessitáte libertátis creátæ, quòd sit prima cáusa sui actûs; sicut nec ad hoc quòd áliquid sit cáusa altérius, requíritur, quòd sit prima cáusa ejus. Vid. D. Thom., 1. *p.*, *q.* 73, *art.* 1, *ad* 3.^m^ Nec hìc præterëúndum, quôd Deus movéndô cáusas líberas, nedum non déstruit, sed pótiùs eárum libertátem pérficit, juxta quæ diximus *Tom.* 2.°, *num.* 470, *et* 478.

98. Obj. Augustínus in *Enchir.*, *cap.* 3, inquit: «Líberô arbítriô malè «utens homo, et se pérdidit, et ipsum.» Ergo, homo post peccátum non gáudet ámpliùs libertáte arbítrii.

Resp. Dist. antec. Secúndùm Augustínum homo per peccátum pérdidit líberum arbítrium, quoad substántiam, neg. quoad perfectiónem, et vires prosequéndi bonum, conc. Observándum, S. Augustínum verba reláta proferéntem ágere contra Pelagiános contendéntes, nihil hómini detráctum esse per peccátum originále, quod negábant; sicque ejus líberum arbítrium in nullo fuísse sauciátum, et debilitátum quoad bonum, sed pari libertáte, et indifferéntîâ, pari facilitáte, et propensióne se movére ad virtútes, non secùs ac in natúra íntegra, neque ad opus bonum salútis Dei auxíliô indigére. Quaprópter, Augustínus, ut Pelagiános retúndat, ásserit líberum arbítrium pérditum peccátô Adæ, non quòd sit extínctum quoad substántiam; sed quia est detérius factum, et quoad bonum debilitátum; eô fermè sensû, quô Pater dícitur pérdere fílium, quem nímiâ indulgéntiâ sinit esse flagitiósum. Hanc fuísse Augustíni mentem, patet ex ipsis verbis objéctis; dicit enim, hóminem peccátô et se perdidísse, et líberum arbítrium; non áutem se pérdidit quoad substántiam, quási desíerit esse homo, sed se pérdidit tantùm quoad perfectiónem justítiæ, et facilitátem virtútis; per peccátum enim factus est ignorántiæ, et concupiscéntiæ obnóxius: Ergo, líberum arbítrium, juxta mentem Augustíni, non fuit depérditum quoad substántiam, sed quoad perfectiónem. Ita ipsémet Augustínus se ipsum disértîs términîs éxplicat *lib.* 1, *ad Bonif. cont. duas epist. Pelag.*, *c.* 2, ínquiens: «Quis nostrûm dicat, quod primi hómi«nis peccátô períerit líberum arbítrium «de humáno génere? Libértas quidem «périit per peccátum, sed illa, quæ in «Paradíso fuit, habéndi plenam cum im«mortalitáte justítiam.»

99. Objícies famósum illud Augustíni dictum in *cap.* 5, *epist. ad Galat.*, quod ad náuseam répetit Jansénius, scílicet *quod ámpliùs nos deléctat, secúndùm id operémur, necésse est.* Atqui, qui operátur ex necessitáte, non operátur líberè: Ergo, in hómine post peccátum non rémanet libértas.

Resp. Dist. maj. Necésse est, necessitáte, quæ non déstruat libertátem, ut operémur secúndùm id, quod ámpliùs nos deléctat, conced.: necessitáte, quæ déstruat libertátem, neg. August. enim, vel lóquitur de delectatióne indeliberátâ, vel deliberátâ. Si de indeliberátâ, necéssitas, quæ ipsam séquitur, est necéssitas morális, sumpta pro magna difficultáte áliter faciéndi; nam quò gravióres insúrgunt tentatiónes, et passiónes usum ratiónis prævenientes, adeóque indeliberátæ, eò major est difficúltas operándi bonum: et major necéssitas morális, id est, facílitas, et propénsio operándi malum. Hæc áutem necéssitas morális operándi malum, juxta ipsum Augustínum, mínimè déstruit libertátem: líb. enim 83, *QQ. q.* 70, inquit: «Homo étiam cum dolóre mag«nam venándi delectatiónem potest co«hibére.» Hinc est, quòd Apóstolus, *epist. ad Roman.*, *c.* 7, lóquens de hujúsmodi mótibus inordinátis judícium ratiónis prævenientibus, talem necessitátem ei impónere ásserat, ut dicat, *v.* 19: «Non enim quod volo bonum, hoc «fácio: sed quod nolo malum hoc ago.» Attámen hanc necessitátem suum non perímere líberum arbítrium, osténdit, *v.* 22, dicens: «condeléctor legi Dei se«cúndùm interiórem hóminem:» ac conclúdens, *v.* 25: «ígitur ego ipse «mente sérvio legi Dei; carne áutem, «legi peccáti.» Ex quibus liquet, Apóstolum etsi grávibûs oppréssum tentatiónibûs indeliberátis, seu non vólitîs, ipsis non ex necessitáte debuísse succúmbere, sed ex libertáte, quâ pollébat, potuísse voluntáriè resístere; nam, ut inquit Augustínus ipse *de Spíritu, et Líttera*, *c.* 34: «consentíre vel dissentíre, «própriæ voluntátis est.» Ergo, si Augustínus in verbis objéctis, quæ expéndimus, lóquitur de delectatióne indeliberáta, nequit intélligi áliam agnóscere necessitátem, quàm morálem, quæ, secúndùm ipsum, líberum non déstruit arbítrium.

Si áutem lóquitur, de delectatióne deliberátâ, ut commúniter intellígitur, agnoscéndum est, quód necéssitas, de qua lóquitur, non est quidem necéssitas simpliciter dicta, sed hypothética, et cónsequens actum líberum voluntátis: id enim, quod nos magis deliberátè deléctat, est id, quod præ álio deliberátè dilígimus, et elígimus; necésse est áutem nos amplécti, et sequi in ópere externo, quod præ álio deliberátè elígimus; sicut necésse est, hóminem loqui dùm lóquitur; sed hæc necéssitas, ut patet, sequitur ipsam líberam determinatiónem voluntátis, quâ ad loquéndum sese líberè determinávit: sicque ejus libertáti non nocet hæc loquéndi necéssitas.

II. CONCLÚSIO.

Ad meréndum, vel demeréndum in státu natúræ lapsæ requíritur in hómine libértas á necessitáte, seu libértas indifferéntiæ, et non súfficit libértas à coactióne.

100. Prob. 1.° ex definitiónibus Innocéntii XII, et Alexándri VII, ut hæréticam damnántibûs hanc tértiam propositiónem Jansénii, Conclusióni nostræ contradictóriam: «Ad meréndum, et «demeréndum in státu natúræ lapsæ, «non requíritur in hómine libértas à ne«cessitáte, sed súfficit libértas à coac«tióne.»

Idem prædefiníverant S. Pius V, et Gregórius XIII, damnántes hanc 67 propositiónem Baii: «Homo peccat étiam «damnabíliter in eo quod necessáriò fa«cit:» Atqui, homo operátur necessáriò tum id ad quod est coáctus, tum id ad quod necessáriò est intériùs detérmina-

tus, sicut ad diligéndum bonum in commúni: Ergo, ex proscriptióne allatárum propositiónum, ad meréndum, vel demeréndum in státu natúræ lapsæ, requíritur in hómine libértas à necessitáte, seu libértas indifferéntiæ, et non súfficit libértas à coactióne.

101. His Summis Pontifícibus longè ante præíverat S. Thom., *quæst.* 6, *de Malo*, inquiens: «Quidam posuérunt, «quòd volúntas hóminis ex necessitáte «movétur ad áliquid eligéndum, nec «tamen ponébant, quòd volúntas coge«rétur. Non enim omne necessárium est «violéntum; sed solùm id, cujûs princí«pium est extrà. Undè et motus natu«ráles inveniúntur áliqui necessárii, non «tamen violénti (*ut velle esse beátum*)... «Hæc áutem opínio est hærética, tollit «enim ratiónem mériti, vel demériti in «humánis áctibus; non enim vidétur esse «meritórium, vel demeritórium, quod «áliquis sic ex necessitáte agit, quod vi«táre non possit. Est étiam adnumerán«da inter extráneas philosóphiæ opinió«nes, quia non solùm contrariátur fídei, «sed subvértit ómnia princípia philosó«phiæ morális; si enim non sit líberum «áliquid in nobis, sed ex necessitáte «movémur ad voléndum; tóllitur deli«bératio, præcéptum, et punítio, et laus, «et vitupérium, circa quæ Morális Phi«losóphia consístit.» Ergo, ad meréndum vel demeréndum in státu natúræ lapsæ, non súfficit libértas à coactióne, sed étiam requíritur libértas à necessitáte, adeóque libértas indifferéntiæ.

102. Id ipsum docent SS. PP. Inter eos S. Hierónymus, *lib.* 2, *contr. Joviniánum*, inquit: «Líberi arbítrii nos «cóndidit Deus; nec ad virtútem, nec ad «vítia necessitáte tráhimur; alióquin «ubi necéssitas, nec coróna est.» Quæ verba réferens August. *lib. de Nat. et Grat.*, *c.* 65, inquit: «Quis non agnós«cat? Quis non totô corde suscípiat?» et *epist.* 215, *ad Valent.* scríbens, ait: «Fides sancta Cathólica, neque líberum «arbítrium negat, sive in vitam malam, «sive in vitam bonam; neque tantùm ei «tríbuit, ut sinè grátia Dei váleat áli«quid.» Vid. D. Thom. 1.ª 2.æ *quæst.* 13 *art.* 6, qui, teste Antóniô Genuénsi *Elem. Met. par. ult.*, *n.* 13, «de liber«táte acutíssimè, et cæterîs accurátiùs, «et solídiùs disputávit.»

Et profectò: lucidíssimâ D. Thom. doctrínâ circa hóminis libertátem in cíneres, favillásque dissolvúntur deliraménta Thomæ Hobbésii, opuscul. *de libertáte, et necessitáte;* Spinózæ, *cap.* 62; Antónii Collin, *Recherches philosoph. sur la liberté de l' home.*; Helvétii, *lib. de l' Esprit, Dist.* 1, *c.* 4; Thomásii, in *Fundaméntis juris naturális, et géntium*, *c.* 2, 66, *et seqq.*; Joánn. Lockii, in ópere de *intelléctu humáno*, Petri Bælii etc. etc. libertátem hóminis in statu natúræ lapsæ denegántium.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

103. Jansénius, *lib.* 6 *de Grátia Christi*, íntegram téxuit Iliadem auctoritátum S. Augustíni; ex quibus pro Epiphonémate hoc éruit argumentum. Omnis volítio est essentiáliter líbera libertáte arbítrii; Atqui, non omnis volítio est cum indifferéntia, ut constat de amóre Beatitúdinis, et Dei clarè visi: Ergo, etsi homo dicátur in státu natúræ lapsæ, arbítrii libertáte gaudére, nullátenùs infértur, quòd libértas arbítrii sit libértas indifferéntiæ, neque quòd hæc requirátur ad meréndum, vel demeréndum in statu natúræ lapsæ. Majórem sic probat Jansénius: Illud est líberum libertáte arbítrii, quod est in nostra potestáte: Atqui, omnis volítio essentiáliter est in nostra potestáte: Ergo omnis volítio est

éssèntiáliter líbera libertáte arbítrii. Major constat. Minórem sic probat Jansénius: Íllud est in nostra potestáte, quod fit cùm vólumus, et non fit cùm nólumus: Atqui, omnis volítio est hujúsmodi, si enim nolímus, jam non datur volítio, sed nolítio; si áutem vólumus, adest volítio: Ergo, volítio adest si vólumus, et non adest, si nólumus: Ergo, omnis volítio est in nostra potèstáte. Major hujúsce posterióris syllogísmi statúitur à S. Augustíno ut princípium certíssimum, tum *lib. de Spíritu et líttera*, dicénte: «Hoc quis-«què in sua potestáte habére dícitur, «quod si vult, facit; si non vult, non «facit:» tum, *lib.* 3, *de Lib. Arbit. c.*3, inquiénte: «Volúntas ergo nostra, nec «esset volúntas, nisi esset in nostra po-«testáte: Quia, ut inquit *lib.* 3, *de Civit. Dei*, *c.* 10. «Si vólumus, est; si nólumus, non èst:» idémque S. Doctor sexcéntis in locis incúlcat. Hucúsquè Jansénius.

Huic arguménto, quod est Achílles Jansénii, respondémus, distingüéndò hanc ipsíus propositiónem: illud est in nostra potestáte, quod fit cùm vólumus, *si tota rátio*, cur fiat, pótiùs quàm non fiat, sit *quia vólumus*, conced.: si tota rátio, cur fiat, pótiùs quàm non fiat, non sit quia vólumus, sed quia *ita sumus à natura determináti*, neg. Proféctò, allátum S. Augustíni princípium veríssimum est, sed non rectè à Jansénio interpretátum. Cùm áliquid vólumus, hæc volítio, vel potest esse à nobis præcísè quia vólumus, aut sic elégimus; vel potest esse à nobis, quia sic est nobis à natúra impósita. Sic nos vólumus et bonum in commúni, et bonum in particulári: velle bonum in commúni est nobis à natúra impósitum; non ita, velle bonum in particulári, sed tota rátio volèndi bonum in particulári, ex nostra electióne orítur. Augustínus ergo non intèndit, quòd sit in nostra potestáte ea volítio, ad quam sumus à natúra destináti; sed ea tantùm, quæ nostram consequitur electiónem. Hinc idem August., *lib.* 2, *cont. Félicem Manich.*, *c.* 4, inquit: «Cùm Dóminus dicit: aut hoc «fácite, aut illud fácite, potestátem in-«dicat, non natúram.» Ergo, juxta August. quod est in nobis secúndùm natúram, non est in nostra potestáte. «Cùm potéstas datur, necéssitas non impónitur»: ait id. August., *lib. de spíritu, et líttera*, *c.* 30.

104. Instábis: Ipsa volítio summi boni est líbera libertáte arbítrii, ut sæpè S. August. et D. Thom. ínnuunt; Atqui, volítio summi boni est nobis à natúra impósita: Ergo, étiam volítio, quæ est nobis à natúra impósita, est líbera libertáte arbítrii.

Resp. Disting. maj. Volítio summi boni est líbera *quoad specificatiónem*, seu libertáte contrariétatis, neg.: *quoad exércitium*, seu libertáte contradictiónis, subdistínguo: si summum bonum clarè proponátur voluntáti, ut fit in Beátis, neg.: si non clarè proponátur, ut fit in viatóribus, conced. Volúntas ex sua naturáli conditióne determinátur ad amándum summum bonum, seu est à natúra ita determináta, ut si áliquem actum circa summum bonum elíciat, is álius non sit quàm actus volitiónis, seu amóris; et ídeò non est líbera quántùm ad spéciem actûs, quem circa illud elíciat; et hìnc est, quòd omnes hómines naturáliter áppetunt esse beáti. Sed quántùm ad actuále exercítium amóris circa bonum in commúni, volúntas non est naturáliter necessitáta pro omni statu; sed solùm quándò rem, in qua summum bonum consístit, intelléctus evidénter propónit, (id quod contíngit in Pátria); tunc enim, volúntas in illud, non per electiónem, sed naturáli ímpetû

rápitur, imò, tunc ipsum exercítium amándi, pértinet ad summi boni fruitiónem, ideóque non magis potest repudiári, quàm recusári ipsa beatitúdo obláta, quod est impossíbile.

105. Christus fuit liber libertáte essentiálî arbítrii in non peccándo: Atqui, non fuit liber libertáte indifferéntiæ, seu à necessitáte, quia erat essentiáliter impeccábilis: Ergo, libértas indifferéntiæ, seu à necessitáte, non requíritur ad libertátem arbítrii, neque ad meréndum, vel demeréndum, Christus enim non peccándô méruit.

Resp. Christus in non peccándo fuit liber libertáte arbitrii, si *non peccáre* sumátur negatívè, neg.: si *non peccáre* sumátur pro actu positívo, concéd. Explícátur solútio. Non peccáre súmitur *negativè*, quándò quis merè cessat ab actu peccándi, quin tamen áliquem actum elíciat oppósitum peccáto: sic quis dícitur *negatívè* non mentíri, cùm mendácium non profert, ita tamen quod nec verum ásserat: hôc modô Christus in non peccándo non fuit liber libertáte arbítrii, sed à sua natúra determinátus: erat enim ab intrínseco impeccábilis, adeóque sub hoc respéctu nec áliquod contráxit méritum. Non peccáre verò súmitur *positívè* cùm quis nedùm sese ábstinet ab actu peccándi, sed étiam actum élicit peccáto oppósitum. Sic, non mentíri súmitur positívè, cùm quis nedùm non profert mendácium, sed ultériùs veritátem profert mendácio oppósitam. Hôc modô Christus in non peccándo fuit liber libertáte arbitrii, quia nedùm cessávit ab omni actu peccáti, sed etiam actus eliciébat peccáto oppósitos; e. c. nedùm non mentiebátur, sed étiam veritátes proferébat mendácio oppósitas; et cùm dócere veritátes hic, et nunc, sibi proponerétur sub indifferéntia judícii, hi enim actus erant bona particulária, in his áctibus erat liber libertáte arbítrii, seu indifferéntiæ, et hos actus eliciendô, adeóque non peccándô, *sumptô* non peccáre *positívè*, merebátur.

106. Schólion 1.^{m} Pro uberióri prædictórum intelligéntiâ, et pro clavi solutiónis quamplúrium argumentórum, audiátur D. Thomas, *q.* 22 *de Verit.*, *art.* 5, ínquiens: «Natúra, et volúntas «hôc modô sunt ordinátæ, ut ipsa vo«lúntas quædam natùra sit, quia omne, «quod in rebus invenítur, natú«ra quædam dícitur. Et ídeò in vo«luntáte oportet inveníre, non solùm id, «quod voluntátis est, sed étiam quod na«túræ est: hoc áutem est cujúslibet na«túræ creátæ, ut à Deo sit ordináta in «bonum, naturáliter áppetens illud; un«dè et voluntáti ipsi inest naturális qui«dam appetítus sibi conveniéntis boni: «et præter hoc habet appétere áliquid se«cúndùm própriam determinatiónem, «non ex necess táte, (*en líberum arbí«trium*), quod ei cómpetit in quántùm «volúntas est.» Et ib. in *resp. ad* 5.^{m} subdit: «Volúntas, in quántùm est ra«tionális, ad oppósita se habet; hoc «enim est consideráre ipsam, secúndùm «hoc quod est ei próprium; sed prout «est natúra quædam, nihil próhibet, «eam determinári ad unum.»

Schólion 2.^{m} Actus voluntárii líberi, álii sunt ab ipsa voluntáte immediátè procedéntes; et hi dicúntur *elíciti;* álii verò sunt ab áliis poténtiis exercíti; et hi dicúntur *imperáti*. Sunt áutem sex actus à voluntáte elíciti; tres circa finem, scílicet, simplex volítio, inténtio, et fruítio; et tres circa media; vidélicet, consénsus, eléctio, et usus actívus. His sex voluntátis áctibus respóndent ex parte intelléctûs quinque actus dirigéntes, et unus dumtáxat actus ex parte potentiárum executivárum. Ex parte intelléctûs duo circa finem; scílicet, simplex

apprehénsio, et judícium: tres circa média; nempè, consílium, seu consultátio, judícium discretívum mediórum, et impérium. Ex parte aliárum potentiárum, unus dumtáxat intercédit actus, qui usus passívus nuncupátur.

Horum ómnium áctuum hic est ordo, et æconomía. Primus actus est simplex apprehénsio, quâ intelléctus áliquid ut bonum apprehéndit, et voluntáti propónit. Huic áctui respóndet ex parte voluntátis simplex volítio, quæ est nuda complacéntia, et appetítus inéfficax boni propósiti. Dícitur simplex volítio, quia est de fine secúndùm se, et nondùm cum órdine ad média, quibûs finis est comparándus, et ídeò dícitur étiam appetítus inéfficax boni, seu finîs, quia nihil adhuc áppetit respéctû mediórum. Hæc tamen simplex volítio, si sit fortis, intelléctum movet ad examinándum, utrùm istud bonum sit convéniens et adquisíbile; et tunc fit secúndus actus intelléctûs, qui nuncupátur judícium, propónens voluntáti objéctum ut convéniens et acquisítû possíbile: illi judício correspóndet ex parte voluntátis, inténtio, quæ est actus secúndus voluntátis circa finem, quô scílicet, vult finem non tantùm ut conveniéntem, sed étiam ut per média assequíbilem.

His quátuor áctibûs pósitîs circa finem, vî intentiónis movétur intelléctus, et applicátur ad inquirénda média fini obtinéndo cóngrua, et fit tértius actus intelléctûs (primus circa média) qui consílium nuncupátur, seu consultátio de médiis. Huic respóndet ex parte voluntátis, consénsus, quô utilitátem mediórum ápprobat, et áppetit. Vî hujus consénsûs applicátur intelléctus ad discerneéndum, quæ sint média aptióra, et est quártus actus intelléctûs, qui dícitur judícium prácticum, seu discretívum mediórum: cui respóndet ex parte voluntátis eléctio, quâ volúntas unum médium præ álio séligit. Tunc vî electiónis applicátur intelléctus ad executiónem mediórum intimándam, et imperándam poténtiis inferióribus executrícibus; et hic est quintus, et últimus actus intelléctûs, qui impérium appellátur; cui ex parte voluntátis respóndet potentiárum executivárum applicátio, quæ usus activus nuncupátur. Huic applicatióni activæ respóndet ex parte potentiárum voluntáti subditárum, usus passívus, seu ipsa mediórum execútio, virtúte cujûs, finis acquíritur, cui tandem ex parte voluntátis succédit fruítio, quæ est jucúnda quies in fine possésso.

Ili ergo duódecim actus ad opus morále concúrrunt, quàndo non præcipitánter, aut ex sola imaginatióne, sed prudénter, et matúrè perágitur; licèt, quia ádmodùm súbitò fiunt, et súbitò sibi succédunt, vix ab ipso operánte percipiántur, et distingüántur. De his sat fusè agit D. Thom., 1.ª 2.æ *à quæst.* 8, *ad* 17. Sed nobis brevitáti studéntibus sufficit hæc dumtáxat delibásse.

CAPUT IX.

DE ÁCTUUM HUMANÓRUM MORALITÁTE.

Cùm libértas sit totíus moralitátis fundaméntum ; quæstióni de voluntário liberò, quam modò absólvimus, jure succédit quæstio de moralitáte áctuum humanórum.

§ I.

In quo sita sit humanórum áctuum morálitas.

107. Ut quæsíto respondeámus, sit

I. CONCLÚSIO.

Morálitas formáliter consístit in respéctu, quem actus liber voluntátis dicit ad objéctum suum, ut régulis morum subjéctum.

Prob. Concl. Per hoc quòd áliquis actus liber habitúdinem dicit conformitátis cum régulis morum, státim intellígitur moráliter bonus ; et è contrà, si dicat habitúdinem difformitátis, státim intellígitur moráliter malus : Ergo, morálitas formáliter consístit in respéctu, quem actus liber voluntátis dicit ad objéctum suum, ut régulis morum subjéctum. Hinc est, quòd idem actus physicè considerátus potest esse bonus, vel malus, secúndùm quod à divérsis subjéctis elícitur, sub divérso ad régulas morum respéctû. Sic sicárius, et cárnifex occídunt hóminem : occísio à sicário perpetráta, mala est, útpote régulis morum diffórmis : occísio à carnífice, ut justítiæ minístrò, perpetráta, est bona : est enim justa, adeóque régulis morum confórmis. Vide D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 18, *art.* 8, et *quæst.* 19, *art.* 1, *ad* 3. Ergo, etc.

II. CONCLÚSIO.

Probabílius existimámus, nedùm bonitátem, et malítiam, sed étiam indifferéntiam esse moralitátis spécies.

108. Prob. Concl. ex D. Thom., *quæst.* 2 *de malo*, *art.* 5, ajénte : «Si «ergo loquámur de actu moráli secún«dùm suam spéciem, sic non omnis actus «morális est bonus, vel malus, sed áli«quis indíffèrens:» et rursùs, 1.ª 2.æ *quæst.* 92, *art.* 2: «Sunt áutem tres «differéntiæ áctuum humanórum : qui«dam sunt boni ex génere suo ; et res«péctû horum pónitur legis actus præci«pere, seu imperáre : quidam áutem «sunt actus mali ex génere suo, sicut «actus vitiósi ; et respéctû horum lex «habet prohibére : quidam verò ex géne«re suo sunt actus indifféréntes ; et res«péctû horum lex habet permíttere.» Ergo, ex D. Thom. nedùm bónitas, et malítia, sed étiam indifféréntia sunt moralitátis spécies.

109. Prob. 2.° ratióne : Ille actus est verè morális, qui à voluntáte deli-

berâta procédit, cum subjectióne, seu respéctu ad régulas morum : Atqui, dari potest actus, nedum bonus aut malus; sed étiam indífferens, procédens à voluntáte deliberátâ cum subjectióne, seu respéctu ad régulas morum : Ergo, nedum bónitas, et malítia, verùm étiam indifferéntia, sunt moralitátis spécies. Major constat ex dictis *num.* 107. Minor quoad duas prióres partes constat ex dictis ibídem : quoad tèrtiam partem, in qua solùm potest esse difficúltas, hôc exemplô probátur : Qui dúbius an áliquod opus líceat, puta, an líceat hódie laboráre, et opus suspéndit, et cónsulit legem, aut ratiónem, nec labóri indúlget, nisi priùs lex aut rátio respónderit non agi diem festum, adeóque licére laboráre; ille, ut évidens est, deliberátè agit, et cum subjectióne ad legem, quam priùs cònsulit, et cui ita subjícitur, ut ab ópere abstinéret, si id esset à lege vetítum; atque illud tantùm exercet, cùm videt per legem ei relínqui líberum, seu indífferens : Ergo, indifferéntia pértinet étiam ad moralitátis spéciem.

Non tamen indè inferéndum, quòd actus moráles indifferéntes secúndùm spéciem, possint étiam esse indifferéntes in indivíduo, pro quo sit

III. CONCLÚSIO.

Omnis actus deliberátus in indivíduo, seu prout fit hìc et nunc, necessáriò debet esse vel bonus, vel malus.

110. Prob. 1.° ex verbis Christi Dómini, *Luc.*, *c.* 11, *v.* 23, dicéntis : «Qui non est mecum, contrà me est : «et qui non cólligit mecum, dispérgit.» Hic, ut patet, Christus inter esse cum ipso, et contra ipsum; et inter collígere cum ipso, et dispérgere, nullum admíttit médium. Sumus áutem cum Christo, dum bonum operámur; sumus áutem contra Christum, dum operámur malum; simíliter collígimus cum Christo, dum exéquimur bonum; dispérgimus áutem, operántes malum : Ergo, cum juxta Christi verba, non detur médium inter esse cum ipso, et contra ipsum; seu inter collígere cum ipso, et dispérgere; liqüet, nullum extáre médium inter ópera bona, et mala in indivíduo spectáta. Profécto, si triplex esset actiónum genus in indivíduo, quárum áliæ forent bonæ, áliæ malæ, et áliæ indifferéntes, consequéntia Christi non esset legítima, quod absit : nam ex hoc quod áliquis non esset cum eo per bona ópera, non sequerétur státim, quod esset contrà ipsum per ópera mala : sed posset médiô modô se habére, et nec esse cum ipso, nec contra ipsum, scílicet faciéndô opus, quod moráliter nec esset honum, nec malum, sed indifferens.

Hinc August., *epist.* 82 *ad Hieron.*, *c.* 2, inquit : «Sed cavéndum est, vidé- «licet in hac disputatióne (*cæremoniá- «rum legálium*), ne sicut Philósophi, «quædam facta hóminum média dicá- «mus inter rectè factum, et peccátum, «quæ neque in rectè factis, neque in «peccátis numeréntur etc.» Quod répetit, *lib. de Utilit. credéndi*, c. 12, et ádeò clarè, ut indè moverétur Vazquez ad dicéndum, hanc revéràfuísse Augustíni, et Discipulórum ejus, Prósperi, Floréntii, et Angélici Præceptóris, sententiam, vidélicet, omnem actum deliberátum in indivíduo esse bonum, vel malum, et nullum indifferéntem.

111. Prob. 2.° Concl. ratióne innixâ doctrínæ D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 18, *art.* 9. Omnis actus à deliberata ratióne procédens in indivíduo, vel ordinátur ad finem rectæ ratióni cónsonum, et exer-

cétur in circumstántiis, in quibus secúndùm rectam ratiónem est exercéndus; vel ad dictum finem non ordinátur, aut in prædictis circumstántiis non exercétur: si primum, erit actus moráliter bonus: si secúndùm, erit moráliter malus: Atqui, omnis actus à deliberáta ratióne procédens, vel debet ordinári in finem ratióni cónsonum, vel díssonum, et exercéri in circumstántiis rectæ ratióni consentáneis, vel dissentáneis: Ergo, omnis actus deliberátus in indivíduo, debet esse bonus, vel malus.

Ex his patet, qüáre possit dari actus indífferens secúndùm spéciem, quámvis non in indivíduo, quia, vidélicet, ad actum secúndùm spéciem tantùm, requíritur solum objéctum, non verò finis et circumstántiæ, quæ profectò in actu individuáli requirúntur. Undè, cùm sint quidam actus, puta, ambuláre, sedére, stáre etc. qui possunt fieri propter bonum, vel malum finem, in débitis vel non débitis circumstántiis, indè est, quòd hujúsmodi actus sunt secúndùm spéciem indifferéntes, non áutem sic in indivíduo, quia tunc néqüeunt præscíndere à fine, et circumstántiis.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

112. Obj. 1.° Nulla est spécies, cujûs non extet áliquod indivíduum: Atqui, ut dictum est, sunt quidam actus ex sua spécie indifferéntes: Ergo, debent dari actus in indivíduo indifferéntes.

Resp. Dist. maj. Nulla est spécies, cujûs non extet áliquod indivíduum, *cum ea abstractióne, quam dicit spécies*, neg.: *sinè tali abstractióne*, conced. et concéssâ minóre, dist. páriter conseq.: debent dari actus in indivíduo indifferéntes cum abstractióne à bonitáte, et malítia, à quo ábstrahunt actus secúndùm spéciem indifferéntes, neg.: sinè tali abstractióne, sed pótiùs cum determinatióne ad bonitátem, et malítiam, conced. Declarátur solútio: Spécies plerúmquè ábstrahunt à divérsis, et sunt ad illa indifferéntia, ad quæ tamen indivídua illárum non possunt se indifferénter habére. Sic ánimal secúndùm se considerátum, à rationáli, et irrationáli ábstrahit, indifferénter se habens ad utrúmque, utrúmque enim esse potest; indivídua áutem animális non possunt cum tali abstractióne dari, sed necessáriò debent esse vel rationália, vel irrationália: sic símiliter, spécies humána ab omni colóre ábstrahit, et tamen necésse est ejus indivídua ad áliquem colórem determinári, non enim ullus datur, vel dari potest homo, qui non sit vel albus, aut niger, sive fuscus, aut rúbeus etc.

113. Obj. 2.° Nullum datur præcéptum omnes actiónes nostras ad finem honéstum referéndi: Ergo, licèt non referántur, non sunt malæ, nec bonæ, adeóque indifferéntes.

Resp. Neg. anteced. Hómines quidem adstríngimur præcépto naturáli ad vivéndum secúndùm ratiónem, nè *comparémur juméntis insipiéntibus, et símiles fiámus illis*: Ergo, præcéptò naturáli adstríngimur ad præstituéndum finem rectæ ratióni cóngruum, adeóque bonum, actiónibus, quas ágimus deliberátè. Et per Apóstolum, epist. ad Coloss. cap. 3, v. 17, edocémur, quòd *omne, quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi.*

§ II.

De Régulis moralitátis.

Cùm parágraphô præcedéntî statútum sit, moralitátem formáliter sitam esse in respéctu, quem actus liber voluntátis dicit ad objéctum suum, ut régulis morum subjéctum; ordo doctrínæ póstulat, ut quot, et quæ sint hujúsmodi régulæ, è vestígio dilucidémus.

114. Circà hanc matériam sunt qui existimárunt, exístere in órganis corpóreis hóminum instinctum quémdam, qui sit régula morum; ita Robinétus, *De la nat. part.* 3, *c.* 2: fuérunt, qui arbitráti sunt, moralitátem pendére tantùm ab hóminum arte, ac légibûs posítivîs; ita, plures antíqui, ut notat D. Thom., 1, *Ethic.*, *lec.* 3, et quos ætáte recentiórî secúti sunt Spinóza, Hobbésius, cæteríque Atheí, et qui *Theístæ* vocántur: fuérunt, qui dixére moralitátis régulam in imputabilitáte consístere; ita Pufendorfius, *de jur. nat. et gent.*, *lib.* 1, *c.* 5, § 4, *et seqq.* Contrà hos omnes, sit

CONCLÚSIO.

Primordiáles régulæ morum duæ sunt: una extrínseca, et remóta in mente divína exístens, nempè lex ætérna; áltera próxima et intrínseca, et in hómine résidens, scílicet humána rátio, in quantùm legem ætérnam partícipat, eíque subordinátur.

115. Prob. 1, pars Concl. Esse morále in áctibus voluntátis debet primò desúmi per comparatiónem ad finem últimum voluntátis; ex accéssu enim ad ipsum súmitur primordiáliter rectitúdo, et ex recéssu ab ipso súmitur primò obliquitas, seu deféctus in actu voluntário: Ergo, cùm solus Deus sit últimus finis hóminis; prima régula dirígens hóminem in últimum finem in mente divína debet exístere: quia sicut primum princípium creaturárum, quoad esse physicum, est Deus, prima ídea creaturárum exístit in mente divína; ita, prima régula dírigens hóminem in esse moráli debet esse ídea, seu rátio in mente Dei exístens, quæ vocátur lex ætérna, et ex commensuratióne cum ipsa desúmi debet morálitas in actu humáno; qui, si ei conformétur, dicátur bonus moráliter; si ab ea declínet, moráliter malus appellétur.

Hæc compléxus est D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 91, *art.* 1, ínquiens: «Ni«hil est áliud lex, quàm dictámen prác«ticæ ratiónis in Príncipe, qui gubérnat «áliquam communitátem perféctam. Ma«niféstum est áutem, suppósitô quòd «Mundus divinâ providéntiâ regátur, «quòd tota communítas Univérsi gu«bernátur ratióne divínâ. Et ídeò ipsa «rátio gubernatiónis rerum in Deo, si«cut in Príncipe Universitátis exístens, «legis habet ratiónem. Et quia divína «rátio nihil cóncipit ex témpore, sed ha«bet ætérnum concéptum, ut dícitur «Proverb. 8, indè est quòd hujúsmodi «legem opórtet dicere ætérnam.»

116. Prob. 2.ª pars Concl. Illa est próxima régula morum, quæ támquam participátio primæ régulæ dírigit actus moráles: Atqui, tale est dictámen ratiónis prácticæ in hómine exístens: Ergo, rátio in hómine exístens, prout partícipat legem ætérnam, eique subordinátur, est régula próxima, et intrínseca moralitátis humanórum áctuum. Prob. min. Deus, qui est primus dírigens ómnia in finem últimum, dírigit quámlibet rem confórmiter ad ipsíus natúram, ei com-

municándô, prout capax est, participatiónem ipsíus ætérnæ régulæ, quæ sit in síngulis próxima, et intrínseca régula operándi. Sic, cáusis naturálibus commúnicat vim, et inclinatiónem, quâ proximè ad fines suos naturáles dirigúntur; prout lápidi communicávit gravitátem, quâ ad centrum dirígitur; arbóribus vim producéndi fructus juxta genus suum etc. Cùm ergo natúra hóminis sit, ut per ratiónem agat, et per eam in suum últimum finem dirigátur; Deus hómini communicávit participatiónem suæ ætérnæ régulæ, quâ homo próximè in finem últimum dirigátur, et hoc est, quod dictámen ratiónis appellámus: Ergo, dictámen ratiónis, ut próxima, et intrínseca morálium actiónum régula, est agnoscéndum.

Utrámque Conclusiónis partem compléxus est D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 71, *art.* 6, his verbîs: «Régula vo«luntátis humánæ est duplex; una pro«pínqua, et homogénea, scilicet, ipsa «humána rátio: ália verò est prima ré«gula, scilicet lex ætérna, quæ est quá«si rátio Dei.» Vid. ibid., *quæst.* 9, *art.* 4.

117. Ex his infértur, à vero aberrásse Pufendórfium, ejúsque asséclas, puta, Heinéccium, Samuélem Coccéjum etc. contendéntes, actiónum humanárum moralitátem ex solâ lege Dei positivâ esse repeténdam. Ipsi huic falso princípio inníxi, támquàm invéctum ab Scholásticis irridébant, quásdam actiónes moráles natúrâ suâ bonas esse, quásdam verò malas: effutiébant enim, quòd actiónes, quæ dicúntur bonæ, non futúræ tales, si Deus eas lege positivâ non præcepísset; sicut nec futúræ malæ, si Deus lege positivâ non vetásset. In hoc eórum systémate, ódium Dei non foret malum, si Deus lege positivâ illud non prohibuísset, sicut nec amor Dei esset bonus, si Deus lege positivâ non præcepísset. Hæc áutem ómnia à sensu commúni abhórrent, et ab ipsa recta ratióne, quæ præjudíciîs vácua, etsi nulla lex positíva intercéderet, státim bonitátem in amóre Dei; malítiam in Deum odiéndô, deprehéndit. Ergo, præter legem Dei positívam, lex Dei ætérna est agnoscénda, ac ejus participátio in nobis résidens, quæ dictámen rectæ ratiónis appellátur; quibus quæ sunt confórmia dicúntur suâptè natúrâ bona; quæ verò dissentánea, suâptè natúrâ mala, quin eórum bónitas, vel malítia primordiáliter à lege positivâ sit repeténda.

CAPUT X.

DE PRINCÍPIIS CONFERÉNTIBUS ÁCTUI HUMÁNO SPÉCIEM MORALITÁTIS.

118. Luthérus, et Calvínus, alíique quidam hærétici, ásuì fuérunt dogmatizáre, ómnia ópera justórum esse peccáta; tamétsi secúndùm Dei misericórdiam, humánæ non imputéntur fragilitáti. Ad eórum insániam retundéndam, Vide Concil. Trident., *Sess.* 6, *c.* 5, *et* 6; et *can.* 25 his verbîs expréssum: «Si

«quis in quólibet bono ópere justum «saltem veniáliter peccáre díxerit, aut, «quod intolerabílius est, mortáliter..... «tantúmque ob id non damnári, quia «Deus ea ópera non ímputet ad damna«tiónem; anáthema sit.»

Indè ergo constat, non omnes humánas actiónes esse malas. Póstquàm ígitur assignávimus régulas primordiáles, quibus conformári debent actiónes ut sint bonæ, et à quibus si deficiant, sint malæ; discutiéndum súperest an dentur, et quæ sint princípia, quæ próximè cónferant áctui humáno spéciem moralitátis. Pro quibus elucidándis, sit

I. CONCLÚSIO.

Actus humánus primam, seu specíficam bonitátem, vel malítiam desúmit ex suo objécto moráliter considerátô.

119. Prob. ratióne D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst* 18, *art.* 2. Sicut in naturálibus prima, et essentiális bónitas súmitur à forma, quæ dat spéciem, ut in hómine ab ánima rationáli, quæ est ejus forma substantiális; et primum malum súmitur ex defectu formæ, quæ dat spéciem, puta, si id, quod ab hómine generátur, ad ánimam rationálem habéndam non pertíngit; ita in morálibus prima, et specífica bónitas atténditur ex forma, quæ dat spéciem áctui humáno; et prima malítia súmitur ex hujus formæ defectu: Atqui, forma dans spéciem áctui humáno est objéctum moráliter considerátum: Ergo, actus humánus primam, et specíficam bonitátem, et malítiam, desúmit ex suo objécto, moráliter considerátô. Prob. min. Actus humánus est motus, et tendéntia, quibùs volúntas fertur in objéctum sicut in términum; obténtô enim objéctô cessant motus, et tendéntia voluntátis in ipsum: motus áutem, et tendéntia récipit spéciem à término; ut calefáctio, ídeò est calefáctio, quia téndit ad calórem, ut ad términum; grávitas ídeò est grávitas, quia est determináta ad rapiéndum corpus in centrum, támquàm in términum: etc.; Ergo, forma dans spéciem áctui humáno est objéctum.

Dícimus áutem in Conclusióne, ex objécto *moráliter considerátô*, quia objéctum, tantùm entitativè, et materiáliter considerátum, non súfficit ad dandam bonitátem et malítiam áctui moráli: éadem namque pecúnia entitativè considerâta potest esse objéctum, tum boni, tum mali actûs, puta, restitutiónis, et furti; liberalitátis, et avarítiæ: idem cibus, objéctum gulæ, et temperántiæ: éadem fœmina, objéctum actûs conjugális, et adultérii etc. Hic contíngit quod in sciéntiis, in quibus únitas specífica súmitur ex objécto, non in solo esse rei considerátô; sed qüátenus sub eódem lúmine, et eîsdem princípiîs, in suis inferéndis Conclusiónibus procédit: sic páriter prima, id est, specífica actûs morálitas súmitur ex objécto, non in esse rei, sed *moráliter* considerátô, prout scílicet, cónsonat, vel non cònsonat rectæ ratióni. Hinc Osée, *c.* 9, *v.* 1, légitur: *facti sunt abominábiles, sicut ea, quæ dilexérunt.* Quod fáctum légimus, 3 *Reg.*, *c.* 11, comprobátum in Salomóne, et generáliter in ómnibus peccatóribus, qui ídeò tales sunt, quia prosequúntur objécta, rectæ ratióni non cónsona.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

120. Obj. 1.° Actus, qui est indíferens ex sua spécie, non habet suam primam bonitátem, vel malítiam ex suo

objécto: Atqui dantur actus secúndùm suam spéciem indifferéntes: Ergo, non omnis actus humánus desúmit ex suo objecto primam, seu specíficam bonitátem, et malítiam.

Resp. Dist. maj. Actus indífferens ex sua spécie, non habet suam primam bonitátem, vel malítiam ex objécto in státu indifferéntiæ manénte, concéd: in státu indifferéntiæ non persisténte, neg. Actus áliqui sunt ex sua spécie indifferéntes quia sunt de objécto nec præcéptô, nec prohíbitô, sed à lege permíssô. In indivíduo áutem nequit dari actus indífferens, ut dictum est *num.* 110. Actus ergo humánus in indivíduo non fertur in objéctum manens in státu indifferéntiæ; sed quod transit in státum boni, vel mali propter finem, et circumstántias, quibûs circumvestítur. Sic, cùm quis propter salútem ámbulat; ex ambulatióne, quæ est indífferens secúndùm spéciem, et salúte, quæ bonum quoddam est, únicum objéctum integrátur, scílicet, ambulátio salutáris: et ab hoc objécto determinátè bonô, sumit suam primam bonitátem specíficam actus voléntis propter salútem deambuláre.

121. Obj. 2.° Actus intérior voluntátis habet pro objécto actum exterióremquem vult produci: Atqui, actus intérior non áccipit suam specíficam bonitátem, aut malítiam ab actu exterióri, sed pótiùs è convérsô, ut docet D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 20, *art.* 1. Ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Actus voluntátis intérior habet pro objécto actum exterióremquem, ut in intentióne apprehénsum, concéd.: ut in executióne pósitum, neg. Explicátur solútio. Actus extérior potest considerári ut in intentióne apprehénsus; et ut in executióne pósitus. Sic ire ad Templum ad audiéndum Sacrum, potest considerári ut à voluntáte vólitum, adeóque in intentióne apprehénsum, ántequàm exeqüátur; et potest considerári, prout ire ad Templum executióni mandátur. Primô modô actus extérior considerátus, est quidem ut objéctum actûs interióris, et sic actus intérior habet suam bonitátem ab actu exterióri, quia tunc volúntas in intentióne vult objéctum régulis morum consentáneum. Actus verò extérior in executióne pósitus, non est objéctum, sed effèctus actûs interióris voluntátis: ídeò enim de facto itur ad Templum, quia volúntas ex præcedénti intentióne movet membra ad ingrediéndum Templum, ut audiátur Sacrum. Actus áutem extérior sic considerátus, non dat áctui interióri bonitátem, sed partícipat eam ab ipso, qüátenùs ab actu interióri voluntátis in objéctum bonum ordinátur. Et hôc sensû intelligéndus est D. Thom. locô citátô in arguménto: inquit enim: «si «considerétur bónitas exterióris actûs... «secúndùm quod est in executióne ópe«ris, séquitur bonitátem voluntátis, quæ «est princípium ejus:» et *ibid. ad* 3: «volúntas áutem comparátur ad actum «exteriórem sicut cáusa efficiens. Undè «bónitas actûs voluntátis est forma ex«terióris actûs, sicut in cáusa agénte «exístens.

122. Obj. 3.° Áctio humána primam bonitátem háurit à lege ætérna: Ergo, non ab objécto.

Resp. Dist. antecéd. Áctio humána háurit primam bonitátem à lege ætérna, cui debet in indivíduo conformári, támquàm primæ régulæ, conced.: háurit bonitátem à lege támquàm ab objécto, quod det ei speciem, neg. Explicátur: in hac parte lex ætérna se habet ad actus humános, ut ars ad actiónes artíficis. Ártifex áutem non habet pro objécto artem, sed eam tantùm habet pro ré-

gula: pro objécto áutem habet ópera, quæ élicit, quæ quidem ópera si sint confórmia régulis artis, erunt bona artefácta; et in hoc sensu dicúntur habére suam bonitátem à régula. Hæc áutem régula debet diversímodè applicári juxta diversitátem óperum, quæ debet elaboráre ártifex: áliud est enim ædificáre domum, áliud Templum, áliud Castéllum etc. et ab hujúsmodi támquàm ab objécto, accípiunt bonitátem artíficis actiónes. Ex quibus patet, actiónes artíficis accípere bonitátem tum ab arte, tum ab artefáctis; ab arte, támquàm à régula; ab artefáctis, támquàm ab objécto. Simíliter discurréndum est de lege ætérna, respéctû áctuum humanórum. Hi enim ab ipsa accípiunt bonitátem, támquam à régula dirigénte; non áutem támquàm ab objécto specificánte; patet enim divérsæ speciei esse actus prudéntiæ, justítiæ, fortitúdinis, temperántiæ, etc. quod non esset, si actus moráliter boni, desúmerent támquàm ab objécto suam bonitátem specíficam à lege ætérna, hæc enim una est, et non diversárum speciérum.

II. CONCLÚSIO.

Actus humáni áliquam sumunt bonitátem, vel malítiam ex circumstántiis moráliter considerátis.

123. Circumstántiæ actûs humáni dicúntur ea, quæ non sunt ipse actus humánus, sed eum tantùm, támquàm ipsíus accidéntia, circúmstant, sumptâ metáphorâ ex rebus physicis; in quibus ea, quæ non sunt ipsa substántia rei, sed tantùm ejus accidéntia, eam dicúntur circumstáre. His præhábitis

Prob. Conclúsio. Actus humáni sumunt bonitátem, vel malítiam in esse moráli ab eo, quod habet órdinem conveniéntiæ, vel disconveniéntiæ ad ratiónem: Atqui, ex appositióne, vel non appositióne alicújus circumstántiæ habétur ordo conveniéntiæ, vel disconveniéntiæ ad ratiónem: Ergo, actus humáni sumunt áliquam bonitátem, vel malítiam ex circumstántiis moráliter considerátîs, seu quod in idem redit, ex circumstántiis órdinem conveniéntiæ, vel disconveniéntiæ dicéntibûs ad ratiónem. Prob. min. Furtum, e. c. ex se ipso órdinem disconveniéntiæ ad ratiónem impórtat; ast verò, si in magna qûantitáte, si in loco, vel de loco sacro fiat, ei ádditur nova disconveniéntia ad ratiónem: Atqui, quod fiat in magna qûantitáte, vel in loco sacro non est de esséntia furti, sed tantùm ejus áccidens, adeóque circumstántia: Ergo, ex appositióne circumstántiæ súmitur ordo disconveniéntiæ ad ratiónem. Sic páriter, elargíri eleemósynam est secúndùm se ratióni consentáneum; quod áutem elargiátur majóri afféctu, magis indigénti, témpore majóris necessitátis etc., est ejus tantùm áccidens: Atqui, elargíri eleemósynam majóri afféctû, magis indigénti, témpore majóris necessitátis etc., dicit illam conveniéntiam ratióni, quam non dicit simplíciter elargíri eleemósynam: Ergo, ex appositióne etc. Hinc est, quòd cùm omnes dívites mítterent múnera sua in gazophylácium, vídua illa páuper, quæ duo sola æra minúta míserat, testimónió Christi, *Luc. c.* 21, *v.* 3, *et* 4, «plúsquàm omnes misit:» quia illi «ex «abundánti sibi miserunt;... hæc áu«tem ex eo quod deest illi, omnem vic«tum suum, quem hábuit, misit.»

Ab oppósito áutem, si desit áctui áliqua circumstántia débita, deest ipsi áliqua bónitas: sic, quámvis oblátio sacrifícii sit secúndùm se óptima áctio; sacrifícium tamen, quod Cain obtúlit, ut légitur *Gen. c.* 4; non fuit Deo ac-

céptum, quia déerat illi circumstántia pii affèctûs in Deum, et próximum : sic, nec sacrifícium Saúlis, quod légitur 1 *Reg. c.* 13, fuit plácitum Deo, quia óbtulit illud eò témpore quò non debébat ; adeóque témporis déerat circumstántia : Ozías páriter, ut légitur *lib.* 2 *Paralip., c.* 26, reprehénditur eò quòd vellet sacrifícium offérre non servátâ circumstántiâ persónæ offeréntis : et ut légitur *Isäiæ, c.* 1, Israelitárum víctimæ Deo gratæ non erant, quia eas, non eô modô, quô oportébat, offerébant etc. Ergo, ex non appositióne circumstantiárum in órdine moráli, malítiam accípiunt actus humáni. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 18, *art.* 3.

124. Schólion. Ut circumstántiæ bonitátem addant, vel malítiam áctui humáno, tales esse debent, ut áliquid addant áctui, quô benè, vel malè ordinétur ad finem. Undè quæ impertinénter ad finem se habent, ut puta, quod áliquis committat homicídium, vel furtum, férià secundâ, vel tértiâ aut quod éroget eleemósynam horâ octavâ, vel tértiâ etc. non addunt bonitátem, vel malítiam áctui humano.

125. Circumstántiæ áutem, quæ bonitátem, vel malítiam áctibus humánis addunt, sunt septem, et juvándæ memóriæ causâ hoc cármine comprehénsæ :

Quis, Quid, Ubi, Quibûs auxiliis, Cur, Quómodò, Quandò.

Quis, quandò súmitur pro circumstántia, non significat causam efficiéntem, neque dénotat substántiam persónæ operántis, sed ejus státum, seu conditiónem, perindè ac si dicerétur, *qüális ;* véluti ac si dicerémus, an is, qui committit adultérium, sit laicus, aut religiósus ; an matrimónio junctus, aut solútus, etc.

Quid, non impórtat substántiam actiónis, aut objécti, sed ejus qüantitátem, vel qüalitátem : non enim dícitur *circumstántia* furti, quod sit commíssum circa rem aliénam, hoc enim ad esséntiam furti pértinet ; sed quod perpetrátum sit in magna, vel parva qüantitáte ; et quod sit in damnum páuperis, aut dívitis, etc.

Ubi, non significat nudum locum in quo fiat actus, cùm actus necessáriò alícubi excercéri débeat ; sed significat locum certâ qüadam conditióne accidentáli afféctum, ut si furtum perpetrétur in loco sacro, vel prophâno ; aut si adultérium committátur in loco público, vel ábdito, etc.

Quibûs auxiliis, est circumstántia mera instrumênta designans, per quæ quis actiónem exércet humánam : véluti cùm quis álium percutit, vel manû nudâ, vel armátâ ; cùm quis álium sanat, vel ope dæmonis, aut alicújus maléficii, an sinè illa, etc.

Cur, non dénotat eum finem, qui est finis operis : sed finem ei adjúnctum, qui est finis operántis, «sicut, quod for«tis fórtiter agat propter bonum fortitúdinis non est circumstántia ; sed si «fórtiter agat propter liberatiónem Ci«vitátis, vel propter Christum, vel áliud «hujúsmodi,» ut ait D. Thom. 1.ª 2.æ *quæst.* 7, *art.* 3, *ad* 3. Similiter, quod quis éroget eleemósynam ad subveniéndum páuperi, non est circumstántia *cur*, ast verò si páuperi subvéniat ob vanam glóriam, tunc vana glória est circumstántia *cur* illíus actus.

Quómodò, non significat, quòd actus fiat benè, vel malè in génere moris, hoc enim est ab omni actu humáno impræscindíbile ; sed significat quámdam conditiónem ad qüalitátem actûs pertinéntem ; qualis esset in homicídio per insídias, vel apértè ; in percussióne, an intènsè, vel remíssè ; in peccáto luxú-

riæ, an naturáliter, vel contrà natúram etc.

Quandò, est circumstántia temporis, per quam tamen non intellígitur ipsum nudum tempus, in quo fiat áctio, nam omnis áctio debet áliquò témpore exercéri; sed intellígitur quædam témporis condítio, et qüálitas, cujûs considerationem in quibúsdam áctibus opórtet habére; ut, an sit dies festus, qüandò ágitur de omissióne Missæ; an dies jejúnii, qüandò de plúribus refectiónibus ágitur; an tempus pacis, aut belli, qüandò ágitur an fúerit justa, vel injústa spoliátio bonórum à milítibus facta circa suos hostes etc. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 7, *art.* 3.

Árrigant áures Confessárii, et ad circumstántias atténdant ut váleant rectum, et accurátum, ut par est, judícium de áctibus Pœniténtium efformáre.

III. CONCLÚSIO.

Actio humána intérdùm ultrà bonitatem, vel malítiam, quam subit ex objécto, vel circumstántiis, sortítur áliam ex fine operántis.

126. Dícimus in Conclusióne *intérdùm*, quia tantùm aliqüándò et non semper, in actióne humána finis operántis non est álius ab objécto, seu fine óperis; sic non est álius, cùm quis érogát eleemósynam páuperi ex solo fine misericórdiæ, qui est aliénam misériam subleváre; vel cùm quis ex solo amóre justítiæ reddit débitum etc. Hôc prænotátò,

Probátur, et simul explicátur Conclúsio. Si quis e. c. jejúnet, ut méliùs oret; actus ille humánus spéciem moralitátis habet et ex objécto nempè jejúniò, et ex fine operántis, nempè oratióne. Cùm enim bónitas morális sit ipsa confórmitas ad régulas morum, sicut actus ille talem conformitátem habet, et ex objécto, et ex fine, ita ex utráque parte áccipit bonitátem. Nam jejúnium ex se ipso, étiam sublatô fine oratiónis, est actus virtútis, est enim actus abstinéntiæ; et consequénter conformitátem cum régulis morum habet. Simíliter orátio ex se ipsâ, étiam seórsim à jejúnio exércita, est actus religiónis; ac proindè independénter à bonitáte objécti jejúnii habet ad régulas morum conformitátem. Ergo, actus humánus intérdùm speciálem habet bonitátem à fine operántis, distínctam ab ea, quam habet ab objécto; vidélicet, qüándò ex parte finîs operántis datur speciális ad régulas morum habitúdo. Simíliter, si præter malítiam, quam actus humánus subit ex objécto; finis, quem sibi præstítuit óperans, sit étiam malus, actus humánus dúplicem habébit malítiam morálem. Hæc dilucidántur hîs Angélici Præceptóris verbîs 3, *cont. Gentes*, *cap.* 138: «Contíngit «áutem, unum actum duórum vitiórum «esse, dum actus unius vítii ad finem al«térius vítii ordinátur: ut cum quis fu«rátur, ut fornicétur, actus quidem se«cúndùm spéciem suam est avarítiæ; «secúndùm intentiónem verò, luxuriæ. «Eódem áutem modô et in virtútibus «contíngit, quòd actus unius virtútis ad «áliam virtútem ordinátur: sicut cùm «quis dat sua, ut cum áltero amicítiam «hábeat charitátis; actus quidem ex sua «spécie est liberalitátis; ex fine áutem, «charitátis.» Et 2.ª 2.æ *quæst.* 31, *art.* 1, *ad* 2.m, idem Angélicus Doctor inquit: «Nihil próhibet, actum, qui est «própriè unius virtútis elicitivè, attríbui «álteri virtúti, sicut ordinánti (*talem «actum*) ad suum finem.» Id ipse Angélicus Doctor, 2.ª 2.æ *quæst.* 124, *art.* 2, ad 2.m éxplicat hôc exemplô: «Mar-

«tyrium est actus charitátis, ut impe-«rántis ; fortitúdinis áutem, ut elicién-«tis.» Ergo, in actu bonô tum ex objécto, tum ex fine operántis, duplex bónitas invenítur, quæ à dúplici virtúte procédit ; una, quæ procédit à virtúte eliciénte actum ; áltera, quæ procédit à virtúte, quæ actum ímperat, seu órdinat ad finem, quem agens sibi præstítuit : undè martyrium bonitátem óbtinet fortitúdinis, quæ est virtus à qua elícitur ; et rursùs bonitáte exornátur charitátis, quæ est virtus martyrium órdinans ad Dei glóriam.

127. Hìc sédulò adverténdum cum D. Thoma dudùm laudátô, quòd objèctum exterióris actûs «dupliciter po-«test se habére ad finem voluntátis. «Unô modô sicut per se ordinátum ad «ipsum ; sicut benè pugnáre per se or-«dinátur ad victóriam (*quam inténdit, «qui pugnat*). Aliô modô per áccidens, «sicut accípere rem aliénam, per ácci-«dens ordinátur ad dandam eleemósy-«nam.» Indè infértur, quòd si objèctum actûs exterióris per se ad finem ordinétur ; bónitas, vel malítia, quæ est ex objécto, sub bonitáte, vel malítia, quæ est ex fine, continébitur, ad modum, quô differéntia continétur sub eo géne-re, cujûs est differéntia ; prout album est sub génere colóris ; rationále sub génere animális etc. Si verò, ait D. Thomas, *objéctum non est per se ordinátum ad finem* (operántis), differéntia specífica, quæ est ex objécto, non est per se determinatíva ejus, (differéntiæ), *quæ est ex fine ; nec è convérso. Undè una istárum speciérum non est sub ália ; sed tunc actus morális est sub duábus speciébus, quási disparátîs.* Indè infértur, quòd tunc actus morális est in dúplici spécie bonitátis, vel malítiæ, ut patet in eo, qui furátur, ut mæchétur.

128. Nec videátur mirum, quòd idem actus, qui secúndùm natúram est unus tantùm, sit in dúplici spécie secúndùm esse morále considerátus. Étenim, ut D. Thom. 1.ª 2.æ *q.* 18, *art.* 7, *ad* 1.^m, peracútè ait, «secúndùm substán-«tiam suam non potest áliquid esse in «duábus speciébus, quárum una sub ál-«tera non ordinétur. Sed secúndùm ea, «quæ rei advéniunt, potest áliquid sub «divérsis speciébus continéri ; sicut hoc «pomum secúndùm colórem continétur «sub hac spécie, scílicet, albi ; et se-«cúndùm odórem, sub spécie benè re-«doléntis. Et simíliter actus, qui se-«cúndùm substántiam suam est in una «spécie natúræ, secúndùm conditiónes «morales superveniéntes, ad duas spé-«cies referri potest.» Ex his benè perpénsis, véritas Conclusiónis patet.

129. Cùm in naturálibus possit idem subjèctum retinére bonitátem quoad áliquid, et tamen esse malum quoad áliud ; ut habére pulchros óculos, et nasum defórmem ; et simíliter in artificiálibus, idem opus secúndùm unam partem esse légibus artis confórme, et tamen secúndùm áliam diffórme ; inter Theólogos controvértitur an id idem in morálibus contíngat, vidélicet, an éadem áctio possit esse bona ex objécto, et tamen simul mala atténtô operántis fine, vel álià circumstántiâ.

Pro hac matéria dilucidánda, et Auctóribûs conciliándis, prætermíttere nequímus, actum ex objécto bonum, dupliciter posse ínfici fine, vel circumstántîs pravîs : primò, ita ut malus finis, seu pravæ circumstántiæ, sint cáusa totális, et adæquáta, eliciéndi actum ex objécto bonum. In hoc casu, honéstas actûs ex objécto boni, non appétitur propter se ; sed tantùm se habet ut merum médium útile ad malum perpetrándum. Rem exémplô demonstrámus.

Puélla páuper stipem rogans occúrrit júveni lasciviénti; hic expléndæ libídinis occasiónem nactus, dumtáxat eô fine illam expléndi, puéllæ páuperi érogat eleemósynam, et quidem ita afféctus, ut illam non erogáret, si finem pravum se non obtentúrum créderet. Hic, ut patet, eleemósyna non est vólita propter se, sed únicè ut est médium ad luxuriándum. Secúndò, actus ex objécto bonus, ita potest pravô fine, vel pravîs circumstántiîs ínfici, ut neque finis, neque circumstántiæ, sint cáusa totális, et adæquáta eliciéndi actum ex objécto bonum; sed ad ipsum eliciéndum movet étiam ipsa bónitas objécti, adeóque actus ex objecto bonus non est merum médium, et únicè útile ad consequéndum malum; sed bónitas objécti etiam propter se appétitur. Esto exémplum. Cùm quis próximi miséria motus ex sincéro fine misericórdiæ vult illi eleemósynam erogáre; sed quia páuper petit in público, subíntrat stímulus vanitátis, quæ étiam movet ad eleemósynam erogándam; tunc vana glória etsi aliqüáliter móveat, non est tamen tota, et adæquáta cáusa impartiéndi eleemósynam, hujus enim bónitas in hoc casu étiam movet ad agéndum. Hîs præjáctîs, sit

IV. CONCLÚSIO.

Actus ex objécto bonus, si inficitur fine, aut circumstántiîs pravîs, quæ sint illius cáusa totális, et adæquáta, est tótus malus.

130. Prob. Cum quis e. c. dat eleemósynam propter vanam glóriam, aut luxúriam, ita ut luxúria, vel vana glória sit cáusa totális, et adæquáta eleemósynam erogándi; honéstas eleemósynæ nullátenùs propter se appétitur, sed dumtáxat appétitur ut médium captándæ glóriæ, et exercéndæ luxúriæ: Atqui, quod únicè appétitur ut médium ad assequéndum malum, est malum: Ergo, actus ex objécto bonus etc. Prob. Major: in dato casu in Majóri propositióne expréssô, non adest ália cáusa voléndi eleemósynam, quam malum inánîs glóriæ, aut luxúriæ; si enim ália esset, hujúsmodi mala jam non essent cáusa totális et adæquáta, ut suppónitur: Ergo, tunc eleemósyna nullátenùs inténditur propter se, adeóque appétitur tantùm ut médium ad malum assequéndum. Cujùs étiam est evidens arguméntum, quòd etsi eleemósyna nullam habére posset ex objécto bonitátem, et posset tamen deservíre ad malum inténtum assequéndum; nihilóminùs ut médium opportúnum appeterétur; Atqui, quod appétitur tantùm ut médium ad malum, est malum. Ergo, etc.

131. Prob. 2.° Actus, qui ex nulla parte est conformis dictámini rectæ ratiónis, et prudéntiæ, est totus malus: Atqui, erogátio eleemósynæ in casu præcedénti probatióne expressô, ex nulla parte est conformis dictámini rectæ ratiónis, et prudéntiæ: Ergo, etc. Major ex se patet: nam talis actus est totáliter régulis morum diffórmis. Prob. Min. Recta rátio damnat, quod bonum únicè desérviat malo, aut únicè ad malum ordinétur: Atqui, in casu propósito, eleemósyna erogátur únicè ut desérviat malo, adeóque ad malum únicè ordinátur: Ergo, etc.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

132. Obj. 1.° Cùm quis érogat eleemósynam præcisè, et únicè propter vanam glóriam, vana glória est cáusa totális et adæquáta actûs erógandi eleemósynam: Atqui, nihilóminùs erogátio

eleemósynæ rémanet actus bonus: Ergo, etc. Prob. min. Ille actus est bonus, cujûs objéctum est bonum: Atqui, eleemósyna, seu subveníre páuperi, est objéctum bonum: Ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Ille actus est bonus, cujûs objéctum formáliter, et in ratióne objécti, est bonum, conc.: cujûs objéctum materiáliter tantùm, et in ratióne entis, est bonum, neg. Et dist. min. eleemósyna, seu subveníre páuperi, in casu arguménti, est objéctum bonum materiáliter, et in ratióne entis, conc.: formáliter, et in ratióne objécti, neg. Et neg. conseq. In hoc ergo actu, *volo dare eleemósynam únicè, et præcisè propter vanam glóriam*, objéctum formále hujus voluntátis non est eleemósyna, ut quid honéstum, sed ut purum médium ad malum, et instruménturn mali, secúndùm quam ratiónem est malum; undè formáliter in ratióne objécti ab hac volitióne concupíti non est objéctum bonum. Nec huic observatióni oppónitur, quòd finis est quid extrínsecum objécto, adeóque ejus non mutat natúram; id enim verum est, sí objéctum appétitur ratióne sui, non verò si appetátur únicè, et præcisè ratióne finîs. Tunc enim istud objéctum v. g. *eleemósyna* inclúditur in objécto volitiónis finis, nempè vana glória: hæc enim non est vólita quomodocumque, sed ut assequénda per tale médium, nempè eleemósynam; undè si accurátè loqui velímus, oportet dícere, erogántem eleemósynam únicè ob inánem glóriam, non propónere sibi pro objécto eleemósynam *misericórdem*, sed eleemósynam *vanam*; ita ut vánitas sit tantùm extrínseca eleemósynæ materiáliter, et in ratióne entis considerátæ; non áutem si formáliter, et in esse moris spectétur.

133. Obj. 2.° Cùm actus fídei elícitur præcisè ob vanam glóriam, hæc est cáusa totális, et adequáta talis actûs fídei: Atqui, hujúsmodi actus fídei nihilóminus est bonus, nam procédit à virtúte supernaturáli fídei: Ergo, etsi finis malus sit cáusa totális actûs ex objécto boni, hujúsmodi actus non totáliter malus evádit.

Resp. Dist. minor.: hujúsmodi actus fídei procédit à virtúte supernaturáli, si sermo sit de actu intérno fídei, conc.: si sermo sit de actu extérno, neg. Explicátur solútio. Actus fídei potest esse vel intérnus, vel extérnus. Intérnus est, cùm quis corde tantùm credit revelátis: extérnus áutem, cum quis verbîs, vel factîs fídei veritátes profitétur. De actu intérno concédimus quòd à virtúte supernaturáli fídei procédit, adeóque quòd hic actus intérnus sit bonus: de actu verò extérno, nempè confessióne fídei, cujûs cáusa totális, et adæquáta únicè sit vana glória, negámus quòd à virtúte supernaturáli fídei procédat; eò quia actus fídei supernaturális est princípium justificatiónis nostræ, et est à grátia; implícat áutem, actum, cujûs totális cáusa est vana glória, esse princípium justificatiónis nostræ, et à grátia procédere: Ergo, actus fídei, de quo in argumento, non est bonus, quia non procédit à virtúte fídei, sed à vítio vanæ glóriæ. Undè Hierónymus ad illa verba, *epist. ad Galat., c. 5. Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi*, ait: «Martyrium «ipsum (quod útique est actus extérnus «fídei), si ídeò fiat, ut admiratióni, et «láudi habeátur à frátribus, frustrà sán«güis effúsus est.»

V. CONCLÚSIO.

Actus ex objécto bonus, qui ita infícitur fine, aut circumstántiîs pravîs, quin sint totális et adæquáta cáusa ejus, potest esse ex objécto bonus, et ex circumstántiis, vel fine malus.

134. Prob. 1.° Actus ex objécto bonus, puta, eleemósyna, factus partim propter honestátem virtútis misericórdiæ, partim propter vanam glóriam, aut cum áliqua ália circumstántia veniáliter prava, rétinet bonitátem ex objécto, non obstánte concúrsu ulterióris finis, vel circumstántiæ veniáliter malæ. Ergo, Actus ex objécto bonus etc. Prob. antecéd. Honéstas eleemósynæ in casu propósito non amátur præcísè, et únicè propter vanæ glóriæ finem, aut áliquam circumstántiam veniáliter pravam, suppónimus enim, prædícta non esse cáusam totálem, et adequátam eleemósynæ erogándæ; sed honéstas eleemósynæ tunc amátur in se, et propter se: Atqui, amáre bonum in se, et propter se, est bonum: Ergo, eleemósyna in prædícto casu, est actus ex objécto bonus, licèt ex fine, vel circumstántiis veniáliter pravîs, sit malus.

135. Prob. 2.° à posterióri. Si levis inordinátio finis, vel circumstántiæ, ita infícceret totum actum, ita ut in eo nihil posset remanére bonitátis; vix ullum actum étiam in viris sanctis licéret reperíre bonum, quod nimis durum, et absúrdùm appáret: Ergo, etc. Prob. antecéd. Paucíssima sunt ópera, étiam in viris sanctis, quibûs in hac vita, vel non desit áliqua débita circumstántia, vel non immísceátur áliqua prava, puta, vanæ glóriæ, amóris proprii, nímiæ complacéntiæ, tepiditátis etc.: sic paucíssimi sunt pœniténtes, quorum pœniténtiam non comitétur áliquis excéssus, aut defléctus; paucíssimi Superióres, qui in correctiónibus áliquem non patiántur excéssum zeli, aut iræ; paucíssimi Concionatóres, qui qüantúmvis glóriæ Dei zelô inflammáti, inter auditórum appláusus, alicújus vanæ complacéntiæ titillatióne non moveántur; paucíssimi oránies, qui levem non admíttant distractiónem etc. Undè S. Gregórius, *lib.* 35 *Moral.*, *c.* 16, inquit: «Si de iis «opéribus divínitùs distrícte discútimur, «quis inter ista rémanet salútis locus, «qüándò et mala nostra, pura mala sunt, «et bona, quæ nos habére crédimus, pu«ra bona esse nequáquam possunt?» Id, quod confírmat Régius Vates, qui, *Psalm.* 74, *v.* 2, lóquens in persóna Dei, ait: «Cùm accépero tempus, ego «justítias judicábo;» et quidem ádeò stríctè, ut ipse Régius Vates, *Psalm.* 142, *v.* 2, Dóminum deprecarétur, inquiens: «Non intres in judícium cum «servo tuo: quia non justificábitur in «conspéctu tuo omnis vivens.» Et Isaías, *cap.* 64, *v.* 6: «Et facti sumus ut im«múndos omnes nos, et qüási pannus «menstruátæ univérsæ justítiæ nostræ.» Hæc áutem intelligénda sunt, ut patet, de lévibus defléctibus, constat enim, áliquos, nempé Sanctos, esse à grávibus immúnes. Ergo, actus, ex objécto bonus, qui ita infícitur fine, aut circumstántiîs pravîs, quin sint totális, et adeqüáta cáusa ejus, potest esse ex objécto bonus, et ex circumstántiis, vel fine, malus.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

136. Obj. 1° Apost., 2.ª *ad Corint.*, *c.* 6, inquit: «Quæ participátio justí«tiæ cum iniquitáte, aut quæ societas «lucis ad ténebras?» Undè Augustínus, *lib. contra mendac.*, *c.* 7, *et* 15, inquit: «Nihil postet dici absúrdius, quàm opus

«áliquod esse simul justum, et injús-«tum:» Atqui, si actus esset bonus ex objécto, malus áutem ex fine, et circumstántiis pravîs, ipsum ita inficiéntibûs, ut non sint cáusa totális ipsíus, esset actus simul justus, et injústus, et esset participátio justítiæ cum iniquitáte: Ergo, falsa est Conclúsio.

Resp. Allátas auctoritátes contra nostram Conclusiónem non militáre. Non quidem Apóstolus, nam ut ex contéxtu appáret, predíctis verbîs solùm inténdit monére Corínthios, ut à convíctu, et consórtio infidélium segregaréntur. Verba ergo Apóstoli solùm evíncunt, nullam *debére* fieri societátem justítiæ cum iniquitáte infidelitátis; quod non negámus. Neque Augustínus, quia locô citátô intén dit tantùm, quòd ea, quæ sunt *intrínsecè* mala, nullô bonô fine possunt cohonestári, adeóque non possunt esse simul justa, et injústa lethâliter.

137, Qbj. 2.° Nullus actus potest esse bonus, nisi sit conformis judício prudéntiæ: Atqui, actus, qui sit vitiátus áliquô fine, vel circumstántiâ, etsi levíssimis, non est conformis judício prudéntiæ: Ergo, stáre non potest Conclúsio. Prob. Min. Judícium prudéntiæ non est de objecto præcísè, sed dé ipso ut circumstántiis vestítô; dictat enim Prudéntia, non solùm bonum esse faciéndum, sed esse faciéndum benè, seu propter finem bonum, et cum ómnibus débitis circumstántiis: Ergo, actus, qui sit vitiátus etc.

Resp. Dist. Min. Actus, circumstántiâ áliquâ etsi lèvíssimâ vitiátus, non est conformis judício prudéntiæ ex omni parte, concéd. ex nulla parte, neg. Actus ergo bonus ex objécto, áliquâ circumstántiâ vitiátus, ex hac parte non est quidem prudéntiæ consentáneus; ast verò, quoad honestátem, quam habet ex objecto bono propter se amátô, est prudéntiæ conformis. Animadvértere enim opórtet, prudéntiam duo præcípere; primum, bonum esse propter se amándum, et prosequèndum; secúndùm, id benè, et cum ómnibus circumstántiis débitis esse faciéndum. Actus ergo, qui fertur in bonum propter se, sed non cum ómnibus débitis circumstántiis, est partiálî judício prudéntiæ conformis, ex parte cónsonus, ex parte díssonus; consequénter nec purè malus, nec purè bonus, sed mixtus.

138. Obj. 3.° Si idem actus posset esse partim bonus, et partim malus, sequerétur, quòd simul posset esse meritórius, et demeritórius præmii: Atqui, hoc implicat: Ergo, implicat, quòd actus sit ex objécto bonus; et ex fine, vel circumstántiâ malus.

Resp. Dist. Maj. Actus partim bonus, partim malus, esset simul meritórius et demeritórius sub eódem respectu, neg.: sub divérso, conced: et negat. min. neg. conseq. Minimè proféctò implicat, actum partim bonum, partim malum, esse respéctu diversórum meritórium, et demeritórium; actus enim charitáte verè informátus, sed áliquâ levi circumstántiâ vitiátus, est actus partim bonus, partim malus; et tamen simul meritórius, et demerítórius, sed respéctû diversórum: ex qua parte enim est bonus, seu charitáte informátus, meritórius est vitæ æternæ; ex qua parte verò est veniáliter vitiátus, non est meritórius vitæ æternæ, sed pótiùs dignus pœnæ temporális, vel in hac, vel in áltera vita, luéndæ.

Pro corónide hujúsce matériæ, inquírimus an volúntas ut bona sit, conformári débeat, et quómodò, voluntáti divínæ? Pro quo sit

VI. CONCLÚSIO.

Volúntas ut bona sit, debet esse cum divína voluntáte confórmis.

139. Prob. 1.° Régius Vates, *Psalm.* 142, Deum rogábat dicens: «Doce me «fácere voluntátem tuam:» et hoc ídeò rogábat, quia probè nóverat, voluntátem non esse bonam, nisi voluntáti Dei sit confórmis. Iterum: Christus, *Matth.*, c. 26, Patrem oráns ajébat: «Non sicut «ego volo, sed sicut tu.» Hâc oratióne nos dócuit, voluntátem nostram debére esse confórmem voluntáti divínæ, ut recti simus.

Rursùs: *Epist.* 1.ª *Joan.*, c. 2, légitur: «Qui áutem facit voluntátem Dei, «manet in ætérnum:» quod útique est tantùm proprium bonam habéntium voluntátem, etc. E convérsò, in Scriptúra redargüuntur qui suam, et non Dei, voluntátem fáciunt: ut Isáiæ, c. 58, sub his verbis: «In die jejúnii invenítur vo«lúntas vestra, etc.» Hinc August. in psalm. 32, super illud: «Rectos decet «collaudátio», inquit: *Qui sunt recti?* et respondet: *Qui dirigunt cor secúndùm voluntátem Dei.* Ergo, volúntas, ut sit bona, debet esse cum divína voluntáte confórmis.

140. Volúntas divína est régula voluntátis humánæ, vid. *num.* 115. Atqui, volúntas humána, ut sit bona, debet esse confórmis suæ régulæ: Ergo, volúntas humána, ut sit bona, debet esse confórmis voluntáti divínæ.

141. Priúsquàm in bona luce collocémus, vidélicet, quómodò volúntas humána ut bona sit, débeat voluntáti divínæ conformári, observándum est, voluntátem humánam dupliciter posse divínæ conformári voluntáti; nempè aut in vólito materiáli, aut in vólito formáli. Qüandò homo vult idem objéctum, seu eámdem rem, quam Deus vult, conformátur voluntáti divínæ in vólito materiáli: qüandò áutem vult eámdem rem, et sub eádem ratióne, sub qua Deus eam vult, conformátur voluntáti divínæ in vólito formáli. Hæ duæ conformitátes possunt inveníri separátæ, sic quándo Deus volébat mortem Christi, quam volébant Judæi, erat ibi confórmitas voluntátum Dei, et Judæórum in vólito materiáli, minimè verò in vólito formáli; Deus quippe volébat mortem Christi propter humáni géneris redemptiónem; Judæi áutem non ita, síquidem ex ódio, et invídiâ erga Christum, ejúsdem volébant mortem. E contrà, quoque repe-rítur aliqüandò confórmitas voluntátis creátæ, ac divínæ in vólito formáli, et tamen non in vólito materiáli: sic Apóstolus volébat dissólvi, et esse cum Christo, Deus áutem tunc volébat, eum non dissólvi, sed in córpore manére; erat ergo ibi diffórmitas in vólito materiáli, cum tamen adésset perfécta confórmitas in vólito formáli; Deus enim, et Páulus volébant quidem divérsa, sed sub eádem ratióne boni, scilicet, boni divíni.

142. Observándum prætérea, voluntátem nostram posse duóbus modis voluntáti divínæ in vólito, sive materiáli, sive formáli, conformári. Unô modò positivè, ut cum nos vólumus positivè id ipsum quod Deus vult, et quidem sub cádem ratióne, sub quâ Deus vult; sic volúntas humána Christi fuit positivè confórmis voluntáti Patris, quia vóluit idem, quod Pater volébat, et quidem sub eádem ratióne. Áliô modò volúntas creáta potest esse voluntáti divínæ conformis qüási negativè, et hoc contíngit, cùm nullum elícimus actum circa id, quod est à Deo vólitum; sumus tamen ita dispóniti, quòd si circa illud foret à nobis áliquis actus exercéndus, hic ac-

tus non foret aversiónis à voluntáte divína, sed conformitátis, et quidem sub eádem ratióne (saltem in generáli) sub qua Deus vult. Sic Sáulus qüandò Christum interrogávit: *Dómine, quid me vis fácere?* etsi nullum actum positívum elíceret circa id quod erat à Deo vólitum, ignorábat enim id quid esset; tamen sese ostendébat dispósitum ad exercéndum actum divínæ voluntáti conformem. His præmíssis, sit

VII. CONCLÚSIO.

Cùm Deus áliquid præcípit, vel próhibet, tenémur voluntátem nostram, voluntáti divínæ conformáre, étiam in vólito materiáli.

143. Prob. hàc brevíssimâ ratióne. Tenémur ea fácere, quæ Deus præcípit; et ea omíttere, quæ próhibet: áliàs non essémus factóres legis, sed tantùm auditóres, de quibus scriptum est, quod non justificabúntur: Atqui, nequímus fácere quod Deus præcípit, nec omíttere quæ próhibet, nisi nostra volúntas conformétur divínæ in vólito materiáli: Ergo, etc. Hinc jure meritóque laudátur Abraham, tum qüandò vóluit, tum qüandò nóluit mortem fílii sui Isaac. Cùm enim vóluit, existimávit Deum ipsi reápse præcípere fílii sui immolatiónem; cùm áutem nóluit, ídeò nóluit, quia reápse cognóvit, Deum ipsi prohibére hanc fílii sui mactatiónem.

VIII. CONCLÚSIO.

Cùm Deus áliqua nobis propónit tantùm sub consílio, non sic tenémur voluntátem nostram divínæ conformáre, qüási debeámus ea velle implére: sed satis est, quòd ea reputémus támquam bona, et salutária.

144. Prob. Certum est, fidéles commúniter non obligári ad intrándum in Religiónem, vel ad Virginitátem servándam; de qua Christus, *Matth., cap.* 29, ait: *qui potest cápere, cápiat;* et Apóstolus, 1.ª *ad Cor. cap.* 7, inquit: *Præcéptum Dómini non hábeo; consílium áutem do.* Certum prætérea, fidéles non obligári ad ómnia bona sua relinquénda, et in paupertáte voluntáriâ vitam ducéndum, quámvis Christi consílium sit de ómnibus relinquéndîs. Addimus, quòd ipsum consílii vocábulum hoc impórtat, ea vidélicet, quæ dumtáxat sunt consílii, non esse præcépti; et proptéreà fidéles ad ea adimplénda reguláriter non obligári. Quia tamen ea, quæ Deus cónsulit, non possunt non esse valdè bona, ídeò non licet ipsa vel contémnere, vel támquam vília æstimáre: sed opórtet illa habére támquam bona, et salutária.

145. Petes: quid dicéndum de his, quæ Deus permíttit?

Resp. Qüantùm ad ea, quæ Deus nec præcípit, nec cónsulit, neque étiam potest præcípere, vel consúlere, sed tantùm permíttit; non tenémur voluntátem nostram ita conformáre voluntáti divínæ, ut positívè velímus aut ea, quæ sic permíttit, aut quòd ea nobis permíttat: sed súfficit, quòd ejus permissiónem non reprehendámus, et contra illam non obmurmurémus. Rátio in promptu est, tum quia non licet vellè peccáta; hæc

áutem sunt, quæ Deus tantùm permíttit: tum quia non licet étiam velle, ut Deus permíttat, nos peccáre; undè Christus nos edócuit oráre Patrem: *Et ne nos indúcas in tentatiónem; sed libera nos à malo;* quámvis dum peccámus, non póssumus obmurmuráre contra Deum, eò quòd hoc permíttat; tum quia et líberè peccámus; tum quia Deus nihil permíttit nisi ex cáusa rationábili sibi cógnitâ.

IX. CONCLÚSIO.

Volúntas humána tenétur semper conformári voluntáti divinæ in vólito formáli.

146. Prob. Vólitum à Deo formáliter, seu vólitum formále, est bonum divínum, et commúne, finísque últimus: Atqui, volúntas humana nequit esse recta, nisi bonum particuláre, quod ipsa vult, réferat ad bonum commúne, et divínum, támquam ad últimum finem: Ergo, volúntas humána ut sit recta, debet ómnia, quæ vult, referre in bonum commúne, et divínum: Hoc áutem est voluntátem humánam conformári divínæ in vólito formáli: nam velle áliquid propter eúmdem finem, propter quem Deus vult, est velle sub eádem ratióne, seu propter eámdem ratiónem formálem, propter quam Deus vult ea, quæ vult; Ergo, volúntas humána tenétur etc.

147. Schólion magnópere adverténdum. Contíngit áliquid esse bonum, si atténditur áliqua rátio particuláris; quod idem bonum non est, si atténditur rátio universális. Sic, bonum est, quòd uxor velit suum marítum vívere, atténtâ ratióni particulári quòd ipse est útilis famíliæ; non est tamen bonum, quòd Judex velit eúmdem marítum vívere, atténtâ hâc ratióne universáli quòd ipse sit nóxius Reipúblicæ. Tunc volúntas, tum Júdicis, tum uxóris, recta est; Júdicis quidem, eò quia dum vult occisiónem maléfici, vult id quod bonum est secúndùm ratiónem universálem: mulíeris áutem mortem sui maríti noléntis volúntas bona est, quia vult id quod est bonum secúndùm ratiónem particulárem, nempe, vívere marítum ad famíliam sustentándam. Útraque ergo volúntas quámvis non conformétur voluntáti Dei in vólito materiáli, conformátur tamen in vólito formáli, cum scílicet útraque velit, sicut Deus vult illas velle. Vid. D. Thom., 1.ª 2.ª *quæst.* 19, *art.* 10, et S. August. in *Enchirid., cap.* 101, in hanc rem ajébat: «Aliqüandò bonâ voluntáte homo vult «áliquid, quod Deus non vult..... támquam si bonus fílius Patrem velit ví«vere, quem Deus bonâ voluntáte vult «mori.» Cujûs ratiónem reddit Eadmérus lib. de S. Ansélmi similitudínibus, *c.* 160, inquiens: «Non enim semper «velle debémus quod Deus vult, sed «quod Deus vult nos velle debére. Vó«luit enim Deus B. Martínum ab hac «vita tóllere: sed, si ejus discípuli hoc «tunc voluíssent, crudéles útique exti«tíssent. At noluérunt quod Deus vó«luit; sed voluérunt quod Deus vóluit «eos velle debére, et viam justítiæ te«nuére.» Ergo, etsi nolímus quod Deus vult, id est, etsi non conformémur Deô in vólito materiáli; dúmmodò tamen velímus id quod Deus vult nos velle, conformámur ipsi in vólito formáli: et cum semper teneámur velle, quod Deus vult nos velle; liqüet quod semper teneámur voluntáti divínæ in vólito formáli conformári. Vid. D. Thom,, *quæst.* 23 *de Verit., art.* 7.

Hæc nullam dubitatiónem vidéntur habére, qüandò, qui áliquid sub bona ratióne vult, ignórat, num Deus hoc

ipsum velit, an ejus oppósitum. Verùm, qüando sive per revelatiónem, sive per áliud indubitábile médium innotéscit, quid Deus materiáliter velit, operósiùs inquiréndum est, an in hoc casu teneámur voluntáti divínæ conformári, nedùm in vólito formáli, verùm étiam in vólito materiáli. Pro quo sit

X. CONCLÚSIO.

Qüandò nobis certò innotéscit quid Deus materiáliter velit, nostram voluntátem voluntáti divínæ in vólito materiáli non tenémur semper ita conformáre ut debeámus actû positivô velle quidquid scimus Deum velle: sed ita tenémur voluntátem nostram divínæ conformáre, ut ágnitam Dei voluntátem témpore, ac loco approbémus, ac res à Deo vólita nobis pláceat, sub ea ratióne quâ est à Deo vólita.

148. Prob. 1.ª Pars ab inconveniénti. Si in prædícto casu tenerémur semper voluntátem nostram conformáre divínæ in vólito materiáli, voléndô actu positivô quod scimus Deum velle, nulla nobis remanérent ópera consílii: Atqui, hoc patet esse falsum: Ergo, etc. Prob. maj. Cum Deus áliquid nobis propónit sub consílio, illud est bonum à Deo vólitum, ita tamen quòd non simus obligáti ad illud amplecténdum: Atqui, si tenerémur actû positivô velle quidquid scimus Deum velle, essémus obligáti ad amplecténdum illud quod Deus nobîs propónit dumtáxat sub consílio: Ergo, si actû positivô tenerémur velle quidquid scimus Deum velle, nulla nobîs ópera consílii remanérent, quod nullô pactô est sustinéndum, cùm plura nobis dumtáxat sub consílio proponántur.

149. Prob. 2.ª pars Conclusiónis. Non licet repugnáre Deo; ipsi áutem repugnáret qui rem áliquam sub ea ratióne, sub qua scit esse à Deo vólitam, non approbáret, aut voluntáriam de illa concíperet displicéntiam: Ergo, tenémur voluntátem nostram divínæ conformáre, ut ágnitam Dei voluntátem témpore, ac loco approbémus, ac res à Deo vólita nobîs pláceat, sub ea ratióne sub qua est vólita à Deo.

150. Prob. 2.° Tenémur Deum laudáre in ómnibus opéribus ejus: Ergo, ómnia quæcúmque agnóscimus esse vólita à Deo, tenémur témpore, ac loco ita approbáre, ut ea nobîs pláceant sub ea ratióne, qua sunt à Deo vólita; alióquin possémus non laudáre Deum in alíquibus ejus opéribus. Prob. anteced. *Epist. ad Ephes.*, *c.* 5, légitur: «Grátias agén-«tes semper pro ómnibus:» 1.ª *ad Thess.*, *c.* 5: «In ómnibus grátias ági-«te etc. etc.» Hinc S. Leo, *serm. de jejúnio:* «Cùm Deus bonos nos esse «velit quia bonus est, nihil nobîs debet «de ejus judíciis displicére: nam non per «ómnia illi grátias ágere, quid est áliud, «quàm ex quádam eum parte reprehén-«dere? Quod placet Deo, pláceat et «ómnibus nobis.» Hinc Hierónymus, *epist.* 25 *ad Páulam*, super óbitu Blesillæ cónsolans ajébat: «Necésse est, ut «qui se dicit crédere in Christo; in óm-«nibus Christi judíciis gáudeat. Sanus «sum; grátias réfero Creatóri: Lán-«güeo; et in hoc láudo Dómini volun-«tátem.» Hinc, ut de cæteris taceámus, August., *lib.* 1, *de Symb. ad Catech.*, *c.* 3, inquit: «Quod plácuit «Dómino bono, non displíceat servo: «quod plácuit Médico, non displíceat «ægróto.» Ergo, semper tenémur voluntátem nostram ita divínæ conformáre, ut ágnitam Dei voluntátem témpore, ac loco approbémus, ac res à Deo vólita

nobîs pláceat, sub ea ratióne, quâ est à Deo vólita.

151. Petes: Ex dictis séquiturne, quòd non líceat tristári de morte Paréntum, vel amicórum, vel de áliis advérsis, quandóquidem dum ea áccidunt, satis ipso rei evéntu cognóscitur, quòd sint vólita à Deo?

Resp. Non sequi: Cum et Sápiens eam tristítiam concédat *Eccl.* c. 22, dicens: *Super mórtuum plora, déficit enim lux ejus:* et exémpla súppetant Sanctórum qui super charórum suórum morte tristáti sunt: sic Abrahæ, *Gen.*, c. 23: Isaác., *Gen.*, c. 24: Jacob, *Genes.* 37: Christi, *Joan.* 11; aliorúmque plurimórum. Quod ex dictis séquitur est id tantùm, quòd non licet tristári de eórum morte (idem dic de áliis advérsis) secúndùm eam ratiónem, ob quam scimus esse vólitam à Deo, eò quòd ea sic apprehénsa, nobîs placére débeat, ac approbári. Hinc D. Thomas, 1 *Sent. Dist.* 48, agnóscit, áliquem piè de morte Patris, vel alicújus útilis Ecclésiæ dolére; et 1.ª 2.æ *q.* 19, *art.* 10, bonam dicit esse voluntátem uxóris, quæ bonum suæ famíliæ considerándò vult marítum latrónem non occídi, quantúmvis Judex propter bonum públicum ipsíus velit occisiónem; modò tamen non in tantùm se exténdat volúntas uxóris, ut bonum públicum ímpedíre velit ad hoc ut suum bonum privátum conservétur; quemádmodum ipse S. Doctor restríngit 3 *p.*, *q.* 18, *art.* 6.

Hæc ergo sédulò perpéndant Confessárii, ne prætermíttant suos Pœniténtes, ut par est, objurgáre, qui de advérsis ádeò usque tristántur, ut contra Divínam Providéntiam videántur obmurmuráre.

§ II.

An actus extérior addat bonitátem, vel malítiam áctui interiori volu.

152. Nómine actûs voluntátis hìc intellígimus actum intérnum, qui nimírum à voluntáte procédit, et ab ea tamquam próprius actus ejus elícitur. Nómine verò actûs exterióris intellígimus omnem álium actum, qui ab ália quidem, quàm voluntátis, poténtiâ elícitur; ab ipsa tamen voluntáte imperátur. His prælibátis, sit

CONCLÚSIO.

Si volúntas sit de se dispósita, ut non operétur, vel quia non potest, vel quia ei non sese offert occásio operándi, paráta tamen ad operándum si posset; tam bona est, vel mala simpliciter, cum actu exterióri, ac sinè illo.

153. Prob. Concl. Non operári, in casu Conclusiónis, est involuntárium simpliciter: ut áutem ait D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 20, *art.* 4; «involun«tárium sicut non merétur pœnam, vel «præmium in operándo bonum, ita non «tollit áliquid de præmio, vel pœna, si «homo involuntárié simpliciter defíciat «ad faciéndum bonum, vel malum.» Quod áutem nihil tollit de præmio, aut de pœna, nihil tollit de bonitáte aut malítia actûs: Ergo, cum volúntas est paráta ab operándum, et involuntárié simpliciter ab operándo desístit, tam bona est, vel mala simpliciter, cum actu exterióri, ac sinè illo.

Hanc veritátem confírmat S. August., *lib.* 1 *de Lib. arbitr.*, c. 3, ínquiens:

«Si cui étiam non contíngat facúltas «concumbéndi cum cónjuge aliéna, pla«num tamen áliquô modô sit, id eum «cúpere, et si potéstas detur, factúrum «esse; non minùs reus est, quàm si in «ipso facto deprehenderétur.» Id áutem ita mente altè repósitum habébat Augustínus, ut *epist.* 102, *ad Deo grátias, quæst.* 4, statúerit, quòd voluntátis afféctus, (id est, actus intérior voluntátis) *ómnium factórum, meritorúmque mensúra est.* Hinc idem S. Parens, *lib. de bono conjugáli, c.* 21, ajébat: «Sicut non «est impar méritum patiéntiæ in Petro, «qui passus est, et in Joánne, qui pas«sus non est: sic etc.» Hæc áutem assérere nequivísset S. Doctor, nisi pro certo habuísset, Joánnem parátum fuísse ad patiéndum, si sibi obláta fuísset occásio patiéndi, prout fuit obláta Petro; adeóque voluntátem Joánnis fuísse æquè bonam sinè actu exterióri, ac bona fuit Petri volúntas cum exterióri actu. Hinc *Matth., c.* 5, *v.* 28, scriptum est: «Omnis qui víderit muliérem ad concu«piscéndum eam, jam mœchátus est eam «in corde suo.»

Véritas, quam tuémur, étiam suum habet in áliis Scriptúræ sacræ locis fundaméntum. Nam ex *Genes., c.* 22, líquet, quòd etsi Abraham fílium suum Isaac non occíderit; quia tamen occídere parátus erat, ut Dómini jussiónem impléret, laudátur, ac si revérà, ac de facto occidísset: Dóminus enim, ibi, *vv.* 16, *et* 17, sic est eum allocútus: «Quia «fecísti hanc rem, et non pepercísti fí«lio tuo unígénito propter me: Bene«dicam tibi etc.» Sic, *Marc., c.* 12, vídua illa, quæ sola duo æra minúta misit in gazophylácium, juxta Christum plùs ómnibûs misit; quod verum non esset, nisi voluntátem habuísset plûs ómnibûs mitténdi, si facúltas adfuísset: Ergo, volúntas illíus víduæ fuit á Christo æstimáta mélior, quàm volúntas alió… rum, qui plùs miserunt: Ergo, volúntas, si de se sit dispósita ad operándum extériùs, et tamen non operátur, vel quia non potest, vel quia ei sese non offert occásio, tam bona est, vel mala simplíciter, cum actu exterióri, ac sinè illo.

154. Animadverténdum tamen cum D. Thom., *quæst.* 2, *de Malo, art.* 2, *ad* 8, dicénte: «Qui habet voluntátem «dandi eleemósynam, et non dat, quia «non habet facultátem; tantúmdem me«rétur, qüántùm si daret, per compa«ratiónem ad præmium essentiále, quod «est gáudium de Deo: hoc enim præ«mium respóndet charitáti, quæ ad vo«luntátem pértinet. Sed per comparatió«nem ad præmium accidentále, quod est «gáudium de quocúmque bonô creátô, «magis merétur, qui non solùm vult da«re, sed dat: gaudébit enim, non solùm «quia dare vóluit, sed quia dedit, et ex «ómnibus bonis, quæ ex illa datióne «provenérunt. Et simíliter, si considerétur qüántitas demériti per comparatió«nem ad pœnam essentiálem, quæ con«sístit in separatióne à Deo, et dolóre «exíndè proveniénte; non minùs deme«rétur, qui solà voluntáte, quàm qui vo«luntáte, et actu peccat; quia hæc pœ«na est contémptus Dei, qui réspicit vo«luntátem: sed qüantùm ad pœnam se«cundáriam, quæ est dolor de quocúm«que áliô malô, sic magis demerétur, «qui actû, et voluntáte peccat: habébit «enim dolórem, non solùm de eo, quod «malè vóluit; sed étiam de eo, quod «malè fecit, et de ómnibus malis, quæ «de ejus malefício provenérunt. Undè et «pœnitens, qui pœnam futúram pœni«tendô prævenit, de ómnibus tálibus do«let.» Hæc D. Thom., ex cujus verbis simul confirmátur nostra Conclúsio, et in bona luce collocátur.

155. Schólion: Contíngere potest, in ipsa perpetratióne óperis extérni, voluntátem inténdi, magísque, vel étiam diutúrniùs áffici ad bonum, vel malum, quod concupíscit; ut contíngere solet in áctibus delectabílibus, puta, venéreis: in quibus, ut ait D. Thom., *quæst.* 2, *de Malo*, *art.* 2, *ad* 8: «Volúntas augétur, «qüasi remótô frænô ratiónis, quæ ante «actum aliquáliter remurmurábat:» vel ab oppósito, potest accídere, voluntátem in perpetratióne óperis externi pótiùs remitti, et cítiùs cessáre; ut evenire solet in áctibus pœnálibus, et maceratiónibus córporis: in quorum exercítio volúntas pótiùs remítti solet, quàm augéri: tunc certum est, per actum extérnum augéri, vel mínui actûs interióris bonitátem, vel malítiam. Verúmtamen, non prætermitténdum, quòd istud augméntum, vel disminutiónem actus extérior præstat, non per se, et ratióne sui, sed solùm per áccidens; in qüantùm scílicet, occasióne óperis extérni contíngit, actum intérnum voluntátis fieri, vel diuturniórem, vel minùs inténsum, minúsve diutúrnum. Hinc August., lib. *de cura gerénda pro mórtuis*, *c.* 5, cùm dixísset, genuflexióne, mánuum extensióne, córporis postratióne, aliísque id genus actiónibus extérnis hómines utíliter exercéri, ratiónem subjúngit ínquiens: «Sed hinc magis «seípsum éxcitat homo ad orándum, ge«mendúmque humíliùs; atque fervén«tiùs. Et, nescio quómodo, cum hi mo«tus córporis fieri, nisi motu ánimi præ«cedénte, non possint, eísdem rursùs ex«tériùs visibíliter factis, ille intérior in«visíbilis, qui eos fécit, augétur: ac per «hoc cordis afféctus, qui, ut fierent ista, «præcéssit, quia facta sunt, crescit.

CAPUT XI.

DE CONSCIÉNTIA.

156. Esse consciéntiam nihil nôtius; omnes enim sive docti, sive ignári, consciéntiam clamant. Quid sit áutem consciéntia, non ita notum, cum quidam conténdant ad voluntátem pertinére, álii verò ad intelléctum; quidam volunt esse hábitum, álii verò poténtiam, álii tandem esse actum. Pro quibus elucidándis sit

§ I.

Quid sit consciéntia?

157. Consciéntia, si etymológiam nominis attendámus, vel est idem, ac *cordis sciéntia*, vidélicet, sciéntia patens soli hómini, qui eam in corde habet; ita eam áccipit Hugo Victorínus, *lib. de ánima*, *c.* 11: vel est idem ac *conclúdens sciéntia;* ita D. Antonínus, 1 *Part.*,

tit. 3, *c.* 10: vel est idem, ac cum *álio sciéntia*, quia non est sciéntia præcisè, sed applicátio sciéntiæ ad opus; et hæc vidétur significátio magis ad rem accédens; undè D. Thom., *quæst.* 17, *de Verit.*, *art.* 1 inquit: «Nomen cons-«ciéntiæ significat applicatiónem scién-«tiæ ad áliquid» undè conscire dícitur «qüasi simul scire.»

158. Si verò rem per nomen consciéntiæ significátam spectémus, consciéntia definíri potest ex D. Thom., 1 *Part.*, *quæst.* 79, *art.* 13: quòd sit judícium, seu actus intelléctûs, quô áliquis ápplicat suam sciéntiam prácticam, seu dictámen ratiónis, ad áliquid agéndum.

Ibídem tamen obsérvat S. Dr., quòd «quia hábitus est princípium actus, «qüandóque nomen consciéntiæ attribúi-«tur primo habítui naturáli, scílicet «Syndéresi, sicut Hierónymus in Glos-«sa Ezech. c. 1, Syndéresim conscién-«tiam nóminat... consuétum enim est, «quòd cáusa, et efféctus per ínvicem no-«mínentur.»

Re áutem matúrè perpénsâ, patet, differéntiam interésse syndéresim inter et consciéntiam, eò quòd syndéresis nóminat hábitum princípia práctica proponéntem; consciéntia verò nóminat actum intelléctûs tália princípia ad particúláres casus applicántis. Sicut enim in speculabílibus datur hábitus principiórum, qui tantùm circa princípia versátur; et deíndè sciéntia ex hujúsmodi princípiis particuláres conclusiónes ínferens; ita in prácticis datur syndéresis, quæ est hábitus, qui circa princípia opebílium, seu princípia práctica, versátur; et consciéntia, quæ in particulári ad agéndum hìc et nunc éadem ápplicat princípia.

His áddimus, quòd consciéntia non est poténtia, consciéntia enim depóni potest; poténtia áutem, cum sit propíetas ánimæ, neque depóni potest, aut variári; neque est hábitus (adeóque nec syndéresis) nam ómnis hábitus, vel est naturális, vel infúsus, vel adquisítus; consciéntia áutem non est hábitus naturális, quia hic hábitus idem apud omnes reperítur; non omnes áutem eámdem consciéntiam habent: neque est hábitùs infúsus, quia hábitus infúsus semper est rectus; consciéntia áutem qüandóque non est recta: neque est hábitus adquisítus, quia sic in hómine non adésset consciéntia priusquàm per multos actus eam adquisivísset. Restat ergo, quòd consciéntia sit actus. Quod ut osténdat D. Thomas, 1 *p. q.* 79, *art.* 13, inquit: «Consciéntia «próprié loquéndô est actus. Et hoc pa-«tet, tum ex ratióne nóminis, tum «étiam ex his, quæ secúndùm commú-«nem usum loquéndi consciéntiæ attri-«buúntur. Consciéntia enim secúndùm «proprietátem vocábuli impórtat órdi-«nem sciéntiæ ad áliquid, nam cons-«ciéntia dícitur cum álio sciéntia. Ap-«plicátio áutem sciéntiæ ad áliquid fit «per áliquem actum. Undè ex ista ra-«tióne nóminis patet, quòd consciéntia «sit actus.»

«Idem áutem appáret ex his, quæ «consciéntiæ attribuúntur. Dícitur enim «consciéntia testificári, ligáre, vel ins-«tigáre, vel étiam accusáre, vel étiam «remordére, sive reprehéndere. Et hæc «ómnia consequúntur applicatiónem ali-«cújus nostræ cognitiónis, vel sciéntiæ «ad ea, quæ ágimus. Quæ quidem ap-«plicátio fit triplíciter. Unô modô, se-«cúndùm quòd recognóscimus áliquid «nos fecísse, vel non fecísse, secúndùm «illud *Eccle.* 7, *v.* 23. Scit sciéntia «tua, te crebrò maledixísse áliis: et se-«cúndùm hoc, consciéntia dícitur testi-«ficári. Aliô modô, applicátur secún-«dùm quòd per nostram consciéntiam

«judicámus, áliquid esse faciéndum, «vel non faciéndum: et secúndùm hoc, «dícitur consciéntia ligáre, vel instigá-«re. Tértiò modò applicátur, secúndùm «quòd per consciéntiam judicámus, quòd «áliquid, quod est factum sit benè fac-«tum, vel non benè factum: et secún-«dùm hoc, consciéntia dícitur excusáre, «vel accusáre, seu remordére. Patet «áutem, quòd ómnia hæc consequún-«tur actuálem applicatiónem sciéntiæ ad «ea, quæ ágimus. Undè, própriè lo-«quéndò consciéntia nóminat actum.»

Ex his patet, consciéntiam posse, ut innúimus, definíri: Judícium, seu actus intelléctûs, quò áliquis ápplicat suam sciéntiam prácticam, seu dictámen rationis, ad áliquid agéndum.

§. II.

De divisióne consciéntiæ.

159. Consciéntia sumi potest, vel ex parte objécti, vel ex parte assénsûs. Ex parte objécti divíditur in rectam, seu bonam, aut veram; et in non rectam, seu malam, aut falsam.

Consciéntia recta, bona, et vera, est: quæ dictat, esse bonum id, quod revéra est bonum, et confórme legi, tam in se, quàm atténtîs circumstántiîs; seu etiam dictat esse malum id, quod revéra in se, et atténtîs circumstántiis malum est. Consciéntia verò non recta, mala, et falsa, est: quæ vel objéctum malum propónit, vel objéctum bonum non benè, sed malò modò, aut non cum débitis circumstántis.

160. Consciéntia ex parte assénsûs divíditur in certam, probábilem, dúbiam, scrupulósam, et erróneam.

Consciéntia certa est, quæ nullâ hæsitatióne, ac formídine rationábili, ánxia est de oppósito.

Consciéntia probábilis est, quæ ex princípiis tantùm probabílibus dictat áliquid esse lícitum, vel illícitum, cum rationábili formídine partis oppósitæ.

Conscientia dúbia est suspénsio intelléctûs neutrî partî contradictiónis assentiéntis; quod duplíciter potest contíngere; nempè, vel quia adsunt ratiónes æquè probábiles pro utráque parte, et tunc dícitur cõsciéntia *dúbia positivè;* vel quia intelléctus nullas habet ratiónes, vel pro affirmatíva, vel pro negatíva parte, et tunc dícitur consciéntia *dúbia negativè.*

Consciéntia scrupulósa est, quæ ex futílibus et prorsùs contemnéndîs motívîs júdicat áliquam actiónem esse malam. Hîc sédulò adverténdum, non esse idem judicáre, ac timére áliquam actiónem esse malam: nam qui tantùm timet áliquam actiónem malam esse, non júdicat esse malam, nam solus timor non est judícium.

Consciéntia errónea est quæ ex falsis princípiis, reputátis tamen veris, dictat áliquid esse lícitum, vel illícitum, quod non est revéra tale: si hæc falsa princípia, vera reputántur invincibíliter, consciéntia dícitur invincibíliter errónea; si áutem vincibíliter, consciéntia dícitur errónea vincibíliter.

§. III.

An ágere contra consciéntiam sit peccátum?

161. Priúsquàm quæsíto respondeámus, animadvértere oportet, consciéntiam aliqüandò áliquid propónere sub præcépto ut e. c. *paréntes esse honorándos:* sub prohibitióne, ut *non mœchándum:* aliqüandò tantùm sub consílio, ut *castitátem vovére:* aliqüandò sub permissióne, ut *ambuláre; certîs*

diébûs vesci cárnibûs etc. Patet áutem, consciéntiam dictántem áliquid sub consílio tantùm, vel sub permissióne, non obligáre. Undè D. Thom. in 2, *Dist.* 39, *q.* 3, *art.* 3, *ad* 6, inquit: «Quándò «consciéntia dictat álicui, quòd bonum «est fácere áliquod opus consílii, si non «facit, non peccat, quia non apprehén«dit ut bonum débitum, et necessárium «ad salútem, et præcépto súbjacens:» quæ rátio à fortióri evíncit pro his, quæ consciéntia dictat esse permíssa. Restat ergo difficúltas solùm circa consciéntiam áliquid vel sub præcépto, vel sub prohibitióne proponéntem. Pro cujus dificultátis solutióne, sit

CONCLÚSIO.

Núnquàm licet ágere contra consciéntiam, tam præcipiéntem, quàm prohibéntem: sive consciéntia sit vera, sivè errônea, étiamsi vincibíliter erret.

162. Prob. 1.° ex D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 19, *art.* 5, hoc princípium statuénte: *Omnis volúntas discórdans à ratione, sive recta, sive erránte, semper est mala.* Discordáre áutem à ratióne, sive rectâ, sive erránte, etsi vincibíliter erret, idem est, ac ágere contra consciéntiam, sive rectam, sive erántem, etsi vincibíliter erret: Ergo, núnquàm licet ágere contra consciéntiam etc. Minor patet: nam consciéntia, ut dictum est *num.* 158, est actus rationis prácticæ ad áliquid agéndum, vel non agéndum: undè discordáre à consciéntia est discordáre à ratióne. Prob. major. Bónitas, et malítia voluntátis pendet ex objécto, non quidem secúndùm suam natúram spectátò, sed secúndùm quòd à ratione propónitur: (*Vid. num.* 119.) Ergo, si rátio, etsi erróneè vincibíliter, dictat rem, quæ bona, vel indifferens est, esse malam, et prohíbitam, ac nihilóminus volúntas in eam ferátur; volúntas erit mala, quia fertur in id, quod rátio apprehéndit, ac propónit ut malum, sive ut prohíbitum. Simíliter, si rátio dictet, rem quæ mala est, esse bonam, ac præcéptam, nec tamen volúntas in eam rem ferátur; volúntas est mala, quia non fertur in bonum, quod rátio apprehéndit, ac propónit ut præcéptum. Hæc compléxus est D. Thom. locô laudátô hîs verbîs: «Non «solùm quod est indifferens potest accí«pere ratiónem boni, vel mali per ácci«dens; sed étiam id, quod est bonum «potest accípere ratiónem mali; vel il«lud, quod est malum, ratiónem boni, «propter apprehensiónem ratiónis: pu«ta, abstinére à fornicatióne, bonum «quoddam est, tamen in hoc bonum non «fertur volúntas nisi secúndùm quòd à «ratióne propónitur. Si ergo proponá«tur ut malum à ratióne erránte, fer«tur in hoc sub ratióne mali. Undè vo«lúntas erit mala, quia vult malum, non «quidem id, quod est malum per se, sed «id, quod est malum per áccidens, (*vi«délicet*) propter apprehensiónem ra«tiónis. Et simíliter; crédere in Chris«tum est per se bonum, et necessárium «ad salútem. Sed volúntas non fertur «in hoc, nisi secúndùm quòd à ratióne «propónitur. Undè, si à ratióne propo«nátur ut malum, volúntas ferétur in «hoc ut malum, non quod illud sit ma«lum secúndùm se, sed quia est ma«lum per áccidens ex apprehensióne ra«tiónis.»

163. Prob. 2.° ex Jure, *c.* 13, *de rest. spoliat.*: «Quidquid fit contra cons«ciéntiam ædificat ad gehénnam:» Atqui, sive consciéntia sit vera, sive errónea etsi vincíbilis, qui agit contra ipsam, agit contra consciéntiam: Ergo,

núnquàm licet ágere etc. Hinc Innocent. III. Cap. *per tuas de simónia*, Mónachô, qui ex quorúmdam relatióne didícerat, se ab Epíscopo fuísse simoniacè in Subdiáconum ordinátum, rescripsit, nè ab eódem Epíscopo superióres Órdines susciperet; nisi priùs talem consciéntiam deposúerit: «sed contra «consciéntiam ad superióres Órdines non «ascéndat; nè fortè ædíficet ad gehén«nam.»

164. Quibúsdam fórsitan facésset negótium, consciéntiam, étiam vincibíliter erróneam, vim obligándi obtinére. Sed præstat audíre D. Thom. hanc rem illustrántem, et simul nostram Conclusiónem confirmántem, *quæst.* 17, *de Verit.*, *art.* 4, sic enim habet: «Diver «símodè tamen recta consciéntia, et er«rónea ligat: recta quidem ligat simplí«citer, et per se; errónea áutem se«cúndùm quid, et per áccidens. Dico «áutem; rectam ligáre simplíciter; quia «ligat absolútè, et in omnem evéntum: «si enim áliquis hábeat consciéntiam de «vitándo adultério, istam consciéntiam «sinè peccáto non potest depónere; «quia in hoc ipso, quod eam depónceret, «errándò gráviter peccáret: eà áutem «manénte, non potest prætermítti in «actu sinè peccáto: undè absolútè li«gat, et in omnem evéntum. Sed cons«ciéntia errónea non ligat, nisi secún«dùm quid, et sub conditióne. Ille enim, «cui dictat consciéntia, quòd teneátur «ad fornicándum, non est obligátus, ut «fornicatiónem sinè peccáto dimíttere «non possit nisi sub hac conditióne, si «talis consciéntia duret. Hæc áutem «consciéntia removéri potest absque pec«cáto. Undè talis consciéntia non óbli«gat in omnem eventum, potest enim «áliquid contíngere, scílicet, depositio «consciéntiæ, quò contingénte, ultérius «non ligátur. Quod áutem sub condi«tióne tantùm est, secúndùm quid esse «dícitur.»

165. Schólion. Consciéntia vincibíliter errans habet vim obligándi, quia propónit áliquid ut à Deo præcéptum, aut prohíbitum: undè ad rem D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 19, *art.* 5, *ad* 1, ait: «Rátio errans judícium suum propónit «ut verum, et per cónsequens, ut à «Deo derivátum, à quo est omnis véri«tas.» Ex quo séquitur, quòd qui agit contra consciéntiam, etsi vincibíliter errántem, vult ágere contra id, quod hìc et nunc exístimat esse à Deo præcéptum; vel juxta id, quod exístimat esse à Deo prohíbitum: undè hìc et nunc legem Dei contémnit, adeóque peccat. Núnquam ergo licet ágere contra consciéntiam etsi vincibíliter errántem.

166. Corollárium. Ex his suà sponte fluit, differéntiam inter consciéntiam erróneam vincibilem, et invincíbilem, non in eo esse sitam, ut invincíbilis liget, non áutem vincíbilis; cum enim útraque júdicet, áliquid secúndùm legem Dei faciéndum esse, vel omitténdum, in vi obligándi ex hoc judício proveniénte pares sunt: sed differre in hoc, quòd consciéntia vincibíliter errónea potest, et debet depóni; consciéntia verò errónea invincibíliter cum non possit depóni; nec debet: nemo enim ad impossíbile tenétur.

Cùm obligatióne áutem deponéndi consciéntiam vincibíliter erróneam stáre potest obligátio operándi secúndùm illam, dum non depónitur: nam obligátio ad deponéndam consciéntiam vincibíliter erróneam, non óritur ex eódem princípio, à quo óritur obligátio operándi secúndùm illam quámdiù non depónitur. Obligátio enim ad deponéndam consciéntiam, óritur ex lúmine naturáli dictánte, quòd qui non adhíbuit sufficiéntem diligéntiam ad cognoscéndum quid justum

sit, et potest talem adhibére diligéntiam, ad eam adhibéndam teneátur; lúmine enim naturáli dignóscimus, nos non témerè, sed prudénter debére procédere ad operándum; áliàs nos metípsos committimus periculô: et scríptum est: *qui amat periculum, in illo perîbit.* Ast verò, obligátio operándi secúndùm consciéntiam, etsi vincibiliter erróneam, dum non depónitur, óritur ex dictámine proponénte legem, seu præceptum, et obligatiónem ejus hic, et nunc urgéntem. Undè, ut ait D. Thomas, *q.* 17, *de Verit.*, *art.* 4, *ad* 1.^m^: «Quámvis id, quod dictat errónea cons-«ciéntia, non cónsonum sit legi Dei; ta-«men accípitur ab erránte, ut ipsa lex «Dei: et ídeò per se loquéndô, recédit à «lege Dei:» quod proféctò citra peccátum esse non potest.

§ IV.

De consciéntia dúbia.

167. Dubitátio esse potest, aut speculatíva, hoc est, in commúni; aut práctica, hoc est, in particulári. Dubitátio speculatíva est, qüandò de re áliquâ, vel de áliquâ propositióne dubitátur, sit ne secúndùm se bona, an mala; licita an illícita; vera, an falsa. Dubitátio verò práctica est, qüandò quis in particulári dúbitat, an hìc, et nunc, sibi líceat hanc actiónem vel perpetráre, vel omittere; manetque hærens, ac suspénsus: et hæc est próprié consciéntia dúbia.

Alíquibus facéssit negótium, quòd áliquis possit esse dúbiùs speculatívè, re universáli spectátâ, et non sit dúbius práctícè, re in particulari atténtâ. Veriùs tamen álii exístimant hoc fíeri posse; proptérea quòd longè áliter proponátur res in universáli, et áliter in particulári: nam in universáli res considerántur absolútè, et secúndùm se; in particulári verò secúndùm circumstántias loci, témporis, personárum etc.; quæ efficiunt, ut quod dúbium érat an esset licitum, hic et nunc licitum judicétur, vel è contrà. Hinc potest quis in universáli dúbius esse, an diébus festis líceat ágere iter, môlere, píngere etc.; qui tamen in particulári casu, puta, necessitátis, occurrénte, júdicet sibi hìc et nunc hæc licére. Hîs præmíssîs, sit

I. CONCLÚSIO.

Contra dúbium, quod est solúm speculativum, et in universáli, aliquándò ágere licet.

168. Prob. 1.° Juxta S. Augustínum, *lib.* 22 *contra Faustum*, *c.* 75. Homo, Rege præcipiénte, licitè potest belláre, ut paci cívicæ sérviat, quámvis fortè dubitáre possit, an sit justum bellum, inquit enim: «Cùm ergo vir justus, «si fortè sub Rege, hómine étiam sacríle-«gô, mílitet, rectè possit, illô jubénte, «belláre cívicæ pacis órdinem servans, cui «quod jubétur, vel non esse contra Dei «præcéptum certum est; vel utrum sit, «certum non est; ita ut fortásse reum «Regem fáciat iníquitas imperándi, in-«nocéntem áutem mílitem osténdat ordo «serviéndi.»

169. Prob. 2.° Dúbitans de valóre matrimónii à se contrácti, esto, stánte talî dúbiô, non possit pétere débitum; potest tamen et debet rédderé débitum, ut docet D. Thom. in *Supplement*, *quæst.* 55, *art.* 9, *ad* 3. Nec proptéreà dicéndum, quòd dúbitat in praxi an sit peccátum mortále id, quod agit, quia in praxi formáre debet judícium, quòd hoc sibi líceat, cum non ignóret, esse álteri reddéndum id, quod est in illíus possessióne. Hæc doctrina habétur cap.

Lítteras de Restitutióne spoliatórum : Cap. *Si Virgo* 34, quæst. 2 : Cap. *Inquisitióni* de Sent. excommunic, c. 45. Ubi Innocéntius III idem decérnit. Patet áutem, dubitántem de Matrimónii valóre à se contrácti, dúbium habére speculatívum de tali matrimónio; contra quod dúbium licitè agit cùm reddit débitum; Ergo, contra dúbium, quod est solùm speculatívum, aliqüandò ágere licet.

170. Prob. 3.° Consciéntia non dicit sciéntiam speculatívam; sed judícium prácticum applicatívum ad opus: Vid. *num. 158*. Qui áutem speculatívè, et qüasi in abstracto flúctuat, potest in praxi, pensátîs circumstántiîs, dúbium depónere, ac judícium prudens efformáre, hìc, et nunc sibi licére, quod agit. Hæc enim duo, non habent ad ínvicem oppositiónem, cùm non sit ejúsdem de eódem: nam dúbium speculatívum est de objécto, vel operatióne secúndùm se considerátîs: judícium áutem prácticum est de objécto, et operatióne, non præcísè secúndùm se, sed spectátîs circumstántiîs, quæ tamen circumstántiæ debent esse tales, ut indúcant ad formandum judícium prudens de oppósito, áliàs non deservírent ad lícitè agéndum contra dúbium speculatívum.

II. CONCLÚSIO.

Númquàm licet ágere cum dúbiô práctico, seu cum consciéntiâ práctice dúbiâ.

171. Prob. 1.° Qui habet consciéntiam práctice dúbiam circa áliquod objéctum, seu operatiónem, dúbitat hìc et nunc de bonitáte vel malítia ejus: Atqui, qui operátur práctice dúbius de bonitáte, vel malítia operatiónis, censétur velle peccátum, quod númquàm licet: Ergo, númquàm licet ágere cum dúbio práctico, seu cum consciéntia práctice dúbia. Prob. min. Qui operátur, vult illam operatiónem, ejúsque objéctum : Ergo, qui operátur práctice dúbius de bonitáte, vel malítia operatiónis, vult eam etsi mala sit, ac malum sit ejus objéctum: hoc áutem est velle peccátum: Ergo, etc. Rem exémplô illustrámus. Si quis vult áliquid fácere, de quo atténtîs ómnibûs circumstántiîs, dúbitat, an sit futurum amíco suo gratum, vel ingrátum; jure meritóque censétur non curáre an ejus lædat amicítiam, vel non; quô únicô factô dícitur legem amicítiæ violáre: Ergo, simíliter censéndus erit non ágere secúndùm legem amicítiæ erga Deum, is, qui áliquid agit, de quo práctice dúbitat, an Deo grátum sit, vel ingrátum.

172. Eccli., *c.* 3, *v.* 27, légitur: *Qui amat perículum, in illo perìbit* : Atqui, amat perículum is, qui consciéntiam práctice dúbiam habens, procédit ad operándum, sive operátio bona sit, sive mala; committit enim se periculô operándi malè: Ergo, in illo periculo periìbit. Hinc D. Thom., *Quodlib.* 8, *art.* 13, docet, quòd qui dubitandô práctice, an líceat plures præbendas habere, eas súscipit, *periculô se committit, et sic procul dúbiô peccat; útpotè magis habens benefícium temporále, quàm própriam salútem.*

§ V.

De consciéntia probábili.

173. Probábile, secúndùm nóminis etymológiam, est id, quod potest probári: secúndùm rem áutem, est id, quod appáret verum, seu verisímile: hinc probabílitas divérsos subit gradus, secúndùm quòd sunt divérsa motíva, ob quæ áliquid verum appáret, seu verisímile.

174. Motívum, seu fundaméntum

NOVARIATE LIBRARY

probabilitátis, est duplex: intrínsecum scílicet, et extrínsecum; et ídeò duplex est probabílitas, intrínseca, et extrínseca. Fundaméntum intrínsecum, sunt ratiónes petítæ ex ipsíus rei natúra, proprietátibûs, cáusís, efféctibûs, et étiam ex partis oppósitæ inconveniéntibus. Fundaméntum extrínsecum, est auctóritas Doctórum, qui hanc tenent, vel tenuére opiniónem; quæ tamen auctóritas non movet, nisi qüátenùs isti Doctóres præsumúntur, hanc opiniónem propter graves ratiónes dócere, aut docuísse. Undè probabílitas extrínseca, magis ex Doctórum mérito, et eruditióne, atque ex eórum stúdio, et diligéntiâ in re examinándâ, quàm ex eórum número est æstimánda; possunt enim decem, vel plures Doctóres áliquam opiniónem tenére, quórum auctóritas non multò magis ad ejus probabilitátem confert, quàm auctóritas unius, quem fortè sinè rei exámine, ac discussióne secuti sunt, sicut aves avem sequúntur. Profectò difficilè examinári valet, quot Doctóres ad fundándam alicújus opinió-nis probabilitátem extrínsecam requirántur, quandóque enim suffícere possunt, puta, qüátuor, aut quinque, cùm tamen áliàs non suffíciant decem, aut plures, secúndùm quòd scílicet, sciúntur, aut præsumúntur plûs, minúsvè ingéniò pollére, eruditióne, et probitáte, rem sériò, et sédulò expendísse, pártium stúdiô vácuos etc. Hæc enim non número appendúntur, sed póndere. Hoc unum certò constat, ad fundándum probabilitátem extrínsecam non suffícere unius junióris, et modérni Scriptóris auctoritátem; Alexánder enim VII, hanc damnávit propositiónem: *Si liber sit alicújus junióris, et modérni debet opinio censéri probábilis, dum non constat, rejéctam esse à Sede Apostólica, uti improbábilem.* Hæc áutem intelligénda sunt de probabilitáte *absolúta;* eò quia, si de probabilitáte respectívâ loquámur unius vel Doctóris, vel Párochi, vel Confessárii, vel altérius viri prudéntis auctóritas potest quandóque illitteráto, plebéjo, ac rústicô suffícere, ut probábile cénseat quod eis ab ipsis propónitur. Vid. infra *num. 177.*

175. Ex his fluit, probábile esse posse, *tenúiter probábile; sólidè probábile; probabílius, ac probabilíssimum.* Tenúiter probábile talî innítitur moméntô, ut non váleat assénsum viri prudéntis ad se pertráhere. Sólidè probábile est, quod fundaméntô ádeò gravî tam intrínsecô ratiónis, quàm extrínsecô, nempè auctoritátis Doctórum innítitur, ut capax sit viri prudéntis fléctere assénsum, lícèt non removeat ab ipso omnem de oppósito formídinem. Probabílius est, quod fundaméntô innítitur graviórî, quàm id quod est tantùm probábile, quámvis non exclúdat omnem formídinem de oppósito, dum opínio contrária, etsi minûs verisímilis appáreat, potest tamen aliquándò esse vera. Probabilíssimum fundaméntô innítitur ádeò gravî, ut opínio oppósita non appáreat ámpliùs gráviter probábilis: attámen quóniam probabilíssimum, adhuc intrà fines certitúdinis non continétur, licèt intrà fines probabilitátis, príncipem obtíneat locum, non exclúdit omnem formídinem, quòd opínio ipsi oppósita possit esse vera.

Consciéntia, prout alícui ex prædíctis grádui probabilitátis innítitur, dícitur vel tenúiter probábilis, vel sólidè probábilis, vel probabílior, vel probabilíssima.

Sédulò adverténdum est, quòd quámvis prædíctæ consciéntiæ ad gradum certitúdinis non pertíngant, deservíre tamen possunt ad operándum, quándò per princípium, saltem reféxum, póssumus judicáre certò, nos lícitè operári, in nobis existénte talî, vel talî probabilitátis gradu: pro quibus elucidándis, sit

I. CONCLÚSIO.

Númquàm licet ágere cum opinióne tenúiter probábili.

176. Prob. Númquàm licet ágere imprudénter: Atqui, qui agit cum opinióne tenúiter probábili, imprudénter agit: Ergo, etc. Prob. min. Innocéntius XI, hanc damnávit propositiónem: «Generátim dum probabilitáte, sive in«trínsecâ, sive extrínsecâ, quantúmvis «TÉNUI, modò à probabilitátis fínibus «non exeátur, confísi áliquid ágimus, «semper prudénter ágimus.» Ergo, qui agit cum opinióne tenúiter probábili, imprudénter agit.

Prob. 2.° Ex commúni prolóquio, *parum pro nihilo reputátur:* Atqui, probabílitas ténuis parum habet de probabilitáte: Ergo, pro níhilo est reputánda: Ergo, secúndùm ipsam non licet ágere.

Prob. 3.° ratióne. Ténuis probabílitas nequit vera probabílitas appellári, sicut ténuis fortitúdo, et ténuis perítia, non possunt dici vera fortitúdo, ac vera perítia; sed pótiùs dicéndæ sunt debílitas, et imperítia: Ergo, non licet secúndùm ténuem probabilitátem operári.

II. CONCLÚSIO.

Licet ágere cum opinióne sólidè probábili, quándò sola reperítur.

177. Díximus in Conclusióne, *quándò sola reperítur*, quia aliquándò potest esse cum ália oppósita, étiam sólidè probábilî, in quo casu quid tenéndum sit, sequéntibûs aperiémus Conclusiónibûs.

Prob. Concl. Opínio sólidè probábilis gravî nititur fundaméntô, aptô ad attrahéndum assénsum viri prudéntis: Atqui, licet ágere juxta hujúsmodi fundaméntum: Ergo, licet ágere cum opinióne sólidè probábili, quándò sola reperítur. Prob. min. *Eccli.* c. 6, *v.* 35, légitur: «In multitúdine Presbyterórum «prudéntium sta, et sapiéntiæ illórum, «ex corde conjúngere, ut omnem nar«ratiónem Dei possis audíre:» Ergo, licet ágere secúndùm id, quod sibi merétur assénsum virórum prudéntium.

Et méritò quidem: nam supponéndum est, viros prudéntes non statúere, áliquid honéstum esse, ac lícitum, nisi post diligéntem veritátis inquisitiónem, ac post sérium exámen ratiónum, citra passiónem, et culpam; si enim áliter egíssent, inter prudéntes non forent annumerándi. Ex quo séquitur, id, quod viri prudéntes honéstum júdicant, ac lícitum, sólidè probábile esse, nedum extrínsecâ, sed étiam intrínsecâ probabilitáte; quia prudénter æstimátur, viros probos, ac prudéntes, non nisi gravî, et sólidò fundaméntô ductos, in eam ivísse sententiam.

Mónitos áutem vólumus Tyrónes, quòd cùm sólidè probábile, non sit omnímodè certum; potest decúrsû témporis reddi minùs probábile, quía nova possunt inveníri moménta, seu ratiónes, quæ suo póndere víncant eas, quibûs ea innitebátur probabílitas: et sic erit minùs probábilis in conspéctu probabiliórís: et tunc, quid agéndum sit declarábit séquens

III. CONCLÚSIO.

In concúrsu dúplicis opiniónis, quárum una sit minùs probábilis favens libertáti; áltera sit probabilior favens legi; non licet opiniónem minùs probábilem sequi.

178. Prob. Concl. Qui áliter ágeret ac propónitur in Conclusióne, imprudénter ágeret; non enim potest quis sincérus veritátis amátor æstimári, neque ut prudens eléctor habéri, quándò cùm non potest ássequi id, quod est certè verum, non conátur ássequi, et elígere id, quod cognóscit magis ad verum accédere; quin pótiùs éligit id, quod cognóscit minùs ad verum appropinquáre: Atqui, ita operarétur, qui, relictâ opinióne probabilióre favénte legi, sequerétur minùs probábilem favéntem libertáti: Ergo, in consénsu dúplicis etc. Prob. maj. Nequíret dici sincérus modéstiæ amátor, qui elígeret id, quod cognóscit minùs ad modéstiam accédere, relínquens id quod ei appáret magis ad modéstiam appropinquáre; (qui discúrsus formári valet in sexcéntis áliis matériis): Ergo, à pari, nequit dici sincérus veritátis amátor, aut prudens eléctor etc. Cùm ergo, qui éligit minùs probábile in concúrsu propabilióris, éligat id, quod minóribùs nítitur fundaméntis, relictò eò, cujùs fundaménta sunt solidióra; per se maniféstum fit, ipsum elígere id, quod ipsi appáret minùs ad verum accédere, illud prætermitténdò, quod ipsi appáret magis ad verum appropinquáre: quod profectò magnam árgüit imprudéntiam, adeóque non licére. Hæc trádere vidétur August. *lib.* 1, *contra Académicos*, *c.* 3, inquiens: «Quisquis minùs instánter, «quàm opórtet, veritátem quærit, is ad «finem hóminis non pervénit. Quisquis «áutem, tantum quántum homo potest, «ac debet, dat óperam inveniéndæ veri«táti, is etiámsi eam non invéniat, beá«tus est. Totum enim facit, quod ut «fáciat, ita natus est.» Qui áutem relictâ opinióne probabiliórî, amplécitur minùs probábile, *minùs instánter*, quàm opórtet, veritátem quærit: *nec tantum quántum potest dat óperam inveniéndæ veritáti:* Ergo, juxta princípia Augustíni non facit *totum*, quod ut fáciat natus est. Ergo, non licet etc.

IV. CONCLÚSIO.

Cùm ágitur de honestáte actiónis, et concúrrunt duæ opiniónes æquè probábiles, quarum una favet legi, áltera favet libertáti; nequímus sequi eam, quæ favet libertáti, nisi per áliquod princípium, vel diréctum, vel reféxum, hæc opinio reddátur probabilior.

Qui huic extrémæ parti conclusiónis nolint acquiéscere, rejícere cogúntur Morále S. Alphónsi Maríæ de Ligório systema, quod huic, quod propónimus, innítitur princípiò; quodque est máxima suæ doctrínæ Morális pars, quam Benedíctus XIV, Clemens XIII, Pius VI, Pius VII, Leo XII, Pius VIII, Gregórius XVI, et Pius IX, felíciter regnans, nedùm non rejíciunt, sed et ápprobant, et comméndant.

179. Dícimus in Conclusióne, *cùm ágitur de honestáte actiónis*, quia sunt quidam casus peculiáres in quibus non ágitur præcisè de honestáte actiónis, sed étiam de facto, quod per minórem, vel majórem probabilitátem resólvi non potest; et tunc, quod est útius, est amplecténdum. Rem exemplîs illustrá-

mus. Si quis venátor dúbitat, an objéctum, quod ante ejus óculos observátur, homo sit vel fera, licèt probabíliùs esse feram arbitrétur, non licébit ei tamen illud ferire ; nam si revérà est homo, eum vulnerándò, licèt ex opinióne probabilióri, quòd sit fera, illíus damnum non vitat, ad quod vitándum tenétur. Sic simíliter, Médico fas non est, uti áliquâ medicínâ de qua dúbitat an profutúra sit, vel nocitúra, sed tenétur pro infírmi salúte remédia tutióra adhibére ; hîs enim omíssîs, periculum non eváderet nocéndi próximo, quod númquàm licet. Parî modô, Judex non potest expoliáre eum, qui est in legítima possessióne rei controvérsæ, nisi Actor eas áfferat ratiónes, quæ nedùm probabilióres sint, verùm étiam convincéntes, adeóque tutæ. A fortióri, in matéria fídei, et salútis ætérnæ, nedùm est illícitum sequi opiniónem minùs probábilem, ut dicébat propositio 4 damnáta ab Innocéntio XI ; sed nec lícitum est, sequi probabiliórem, aut probabilíssimam ; sed quisque tenétur ad amplecténdam tutam, nempè Religiónem Cathólicam : in hac enim solâ reperiúntur Sacraménta, et ália média ad salútem ætérnam consequéndam necessária, quibûs omíssîs, nemo suæ beatitúdinis jactúram vitáre valet, etsi áliqua ex áliis Religiónibus sibi videátur probabilíssima. Simíliter, quándò ágitur de iis, quæ requirúntur ad valórem Sacramentórum, non licet sequi id, quod alícui vidétur probabílius, sed id quod est tútius ; sacraméntum enim adésse nequit, nisi reípsà ponántur ea, quæ Deus ad Sacraméntum præscrípsit.

Proptéreà jure, meritóque fuit ab Innocéntio XI, proscrípta hæc propositio : *Non est illicitum in Sacraméntis conferéndis, uti opinióne probábilî de valóre Sacraménti, relictâ tutióre, nisi id vetet Lex, convéntio, aut periculum gravîs damni incurréndi.* Advértere tamen opórtet, quòd in dúplici casu licet uti opinióne probábilî circa valórem alicújus Sacraménti, vidélicet, cùm quis versátur in casu extrémæ necessitátis ; vel cùm præsúmitur Ecclésiam supplére in quibus potest, ut Sacraméntum reddátur válidum. Vid. S. Alphónsum Maria de Ligório, *Tract.* 1, *de Consciéntia*, *c.* 3, *num.* 26, *et* 27. Hîs præmíssîs

180. Prob. Conclúsio quoad 1 Partem. In æquilíbrio opiniónum circa honestátem actiónum, agens versátur in dúbio práctico honestátis ipsárum, tunc enim opiniónes æquáles se habent, sicut æquália póndera in bilánce, quam suspénsam tenent, quin in unam pótiùs quàm in áliam partem inclinétur : Ergo, qui in æquilíbrio opiniónum pro lege, et pro libertáte, séligit eam, quæ favet libertáti, non potest dici quòd sequátur ratiónem, sed próprium cómmodum, nam in æquilíbrio fundamentórum, nisi tútius, seu quod est secúndùm legem, eligátur, elígitur quod commódius est, non quod rationabílius ; eò quia, si dicit, se elígere opiniónem favéntem libertáti, quia hæc opínio, puta, tribûs innítitur moméntîs, páriter opínio favens legi tribûs moméntîs, vel ratiónibûs fulcítur, suppónitur enim quòd pro utráque parte sunt æquáles : Ergo, in casu conclusiónis, opínio favens libertáti, nequit dici rationabílior opinióne favénte legi, sed tantùm commódior : Ergo, qui, datô casû, éligit opiniónem favéntem libertáti, éligit id, quod commódius est, non quod rationabílius. Qui áutem ita operátur, imprudénter éligit, imprúdens namque, et culpábilis est eléctio, quæ ratióne non dúcitur, sed solô afféctû ad eam partem, quæ commódior evádit, et prout esset in casu de quo ágimus, cum perículo divínæ offén-

sæ. Nec in hac parte fas est hallucinári existimándò, in æquilíbrio ratiónum dubietátem expélli à voluntáte, hòc ipsò quòd mens suadeátur sibi licére eam selígere opiniónem, quæ est commódior. Non ita quidem. Intelléctus enim est poténtia necessária, et compéllitur dubitáre in æquilíbrio ratiónum. Impossíbile est ergo, quòd solò voluntátis impériò, dubietas tollátur, cùm sunt pro utráque parte, æquália moménta, seu ratiónes: sic, si quis inter dapes æquáli póndere ratiónum dubitáret, essent nec ne venénò infectæ; quámvis volúntas vellet sibi persuadére non adésse venénum; intelléctus tamen nequíret dubietátem depónere, nec posset non vidére, se vitæ amitténdæ perículo commíttere, eîsdem dápibûs vescéndò. Volúntas ergo, eligéndò opiniónem libertáti favéntem, in concúrsu altérius opiniónis æquálîs pónderis in favórem legis, cum se perículo peccándi commítteret, procul-dúbiò peccáret, ut verbîs D. Thomæ concludámus.

181. Prob. Concl. quoad 2.^m^ partem. Clemens III, cap. *Capellínus*, eam tenet opiniónem, *quæ melióri, ac subtilióri nititur ratióne*: Atqui, opínio probabílior, in concúrsu minùs probábilis, melióri ac subtilióri nítitur ratióne: Ergo, in concúrsu opiniónum, quárum una favet Legi, quæ sit minùs probábilis, áltera verò probabílior et favens libertáti, hanc amplécti licet.

Prob. 2.° Si in concúrsu opiniónum, non licéret sequi probabiliórem libertáti favéntem, neque licéret eam sequi etsi probabilíssimam. Atqui, hoc dici nequit: Ergo, licet sequi probabiliórem, etc. Prob. maj. Si non licéret sequi probabiliórem pro libertáte, in concúrsu minùs probábilis pro lege, esset quia probabílior non exclúdit omnem formídinem, quòd vera sit ea, quæ stat pro lege: Atqui, neque probabilíssima exclúdit omnem hujúsmodi formídinem: Ergo, si in concúrsu opiniónum etc. Atqui, hoc dici nequit: Prob. min.: Alexánder VIII, hanc damnávit propositiónem: *Non licet sequi opiniónem inter probábiles probabilíssimam*: Ergo, etc.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

182. Obj. 1.° Ut quis lícitè operári qüeat, debet esse certus moráliter de suæ actiónis honestáte: Atqui, qui agit ductus opinióne étiam probabiliórî pro libertáte, nequit esse moráliter certus de actiónis honestáte, cùm opínio étiam probabílior semper impórtet formídinem partis advérsæ: Ergo, non licet sequi opiniónem étiam probabiliórem pro libertáte.

Resp. 1.° Hoc arguméntum nihil probáre, quia nimis probat: si enim áliquid probáret, sequerétur indè, nec lícitè posse nos ágere secúndùm opiniónem probabilíssimam, cùm hæc étiam certitúdinem non impórtet, útpotè intra fines probabilitátis inclúsa: est áutem, ut díximus, damnátum ab Alexándro VIII, assérere, non licére sequi opiniónem inter probábiles probabilíssimam.

183. Resp. 2.° Dist. min.: qui agit ductus opinióne étiam probabiliórî pro libertáte, in ea tantùm opinióne sisténdò, nequit esse moráliter certus de actiónis honestáte, concéd.: si per áliud princípium, sive intrínsecum, sive extrínsecum, sive diréctum, sive reflexum, rédditur certus de honestáte actiónis, neg. Id perspícuum fit exémplò Júdicis, qui atténtîs, quæ afferúntur pro et contra reum, probabíliùs exístimat esse absolvéndum, ipsúmque absólvit certus de absolutiónis honestáte, hòc-

ce reflexò principiò innixus: *in dúbio favéndum est reo.* Sic páriter; qui bonâ fide póssidet agrum; si ab álio revocátur in dúbium, debet quidem diligénter examináre, sitne ager suus, vel altérius; ast verò, dum non constat de jure altérius, non tenétur álteri agrum réddere, sed illum retinére potest, eóque uti, quia ipsa posséssio probabíliùs reddit agrum esse possessóris: probábilius, ínquimus, quia ipsa posséssio súperat ratiónes, quas pro se addúcit adversárius, dum non sunt certæ, sed tantùm probábiles: undè posséssor agri certus est de honestáte suæ actiónis possessivæ, innixus hôc principiò Juris: *in dúbio mélior est conditio possidéntis.*

184. Obj. 2.° Qui agit ductus opinióne probabiliórî, agit opinándò; Atqui, qui agit opinándò, nequit esse certus moráliter de honestáte suæ actiónis: Ergo, etc.

Resp. 1.° Si hoc argumèntum alicújus esset pónderis, étiam probáret, non licére sequi opiniónem probabilíssimam, quod falsum est, ut díximus *num.* 181, *prob.* 2.°

Resp. 2.° Dist. maj. Qui agit ductus opinióne probabiliórî, agit opinándò, si merè sistat in opinióne, concéd.: si ultériùs innítitur principiò certò de honestáte suæ actiónis, neg.: seu ut álii dicunt, agit opinándò *objectivè*, concéd.: *subjectivè*, neg.: Fatémur, quòd qui agit cum opinióne étiam probabiliórî, agit quidem opinándò *objectivè*, id est, circa veritátem rei; quia semper habet formídinem ne propósitio contrária sit vera: ast verò non agit opinándò *subjectivè*, seu circa honestátem suæ actiónis; quia per princípium reflexum certus rédditur quòd opiniónem probabiliórem amplecténdò, prudénter, et honéstè operátur. Vid. exémpla relàta in *num.* 183.

185. Obj. 3.° D. Thomas, *Quodlib.* 8, *art.* 13, inquit: «Illud, quod ágitur «contra legem, semper est malum, nec «excusátur per hoc, quod est secúndùm «consciéntiam:» Atqui, qui séquitur opiniónem probabiliórem, númquàm potest esse certus, quòd non agat contra legem: Ergo, númquàm potest esse certus, quòd non agat malum: Atqui, qui non est certus, quòd non agat malum, non potest sibi efformáre consciéntiam certam de honestáte sui actûs: Ergo, qui sequitur opiniónem probabiliórem, númquàm potest efformáre sibi certam de sui actûs honestáte consciéntiam.

Resp. Dist. maj. Secúndùm D. Thom. quod ágitur contra legem, semper est malum, vel materiáliter, vel formáliter, conc. semper est malum, formáliter, neg. Hanc fuisse mentem S. Doctóris, constat ex his suis verbis, 2.ª 2.æ *q.* 70, *art.* 2: «In áctibus humánis, su«per quibus constituúntur judícia, non «potest habéri certitúdo demonstratíva, «eò quòd sint circa contingéntia, et va«riabília; et ideò súfficit probábilis cer«titúdo, quæ in plúribus veritátem at«tíngat, etsi in paucióribus defíciat.» Ut patet, probábilis certitúdo, in quibus defíciat, stat contra legem, et ad id índucit, quod contra legem est. Quod contra legem est, est quidem malum materiáliter, sed non semper formáliter, secúndùm S. Thomam, si enim ita sensísset, non asseruísset, quòd «súfficit «probábilis certitúdo, quæ in plúribus «veritátem attíngat, etsi in paucióribus «defíciat.» Sic ergo, qui séquitur opiniónem probabiliórem, númquàm quidem potest esse certus, quòd non agat materiáliter contra legem, aut quòd non agat malum materiáliter; potest tamen esse certus, quòd neque contra legem, neque malum agat formáliter, habens enim opiniónem probabiliórem, habet

eam probábilem certitúdinem, quæ in plúribus veritátem attíngit, etsi in aliquibus possit defícére, quæ certitúdo, vade D. Thomâ, ac rei veritáte, súfficit, ne quis malum formáliter commíttat. Res ita se habet, vade, ínquimus, nedùm D. Thomâ, sed et rei veritáte; nam qui séquitur opiniónem probabiliórem, si fortè non attíngat veritátem, eam invincibíliter ignórat, adhíbuit enim omnem, quam pótuit, diligéntiam ad eam inveniéndam; et ignorántia, quæ humanô studiô vinci non potest, est invincíbilis. Ignorántia áutem invincíbilis excúsat à transgressióne formáli legis, adeóque à malo formáliter, licèt forsan quæ ex ignorántia invincíbili fíunt, sint contra legem materiáliter, adeóque et materiáliter mala.

Horum robur mínimè infríngunt hæc, quæ ex D. Thoma in argumento referúntur verba: *nec excusátur per hoc, quod est secundùm consciéntiam;* lóquitur enim S. Doctor de consciéntia vincíbili, non áutem de invincíbili; hanc enim excusáre apértè docet 1.ª 2.æ *q.* 6, *art.* 8, addúcens exémplum ejus, qui «diligéntiâ adhíbitâ nésciens áliquem «transíre per viam prójicit sagíttam, quâ «intérficit transeúntem.»

§ VI.

De consciéntia scrupulósa.

186. Consciéntia scrupulósa est ea, quæ ex levi motívo, ánxia est de honestáte alicújus actiónis, ac sæpè formídat peccátum, ubi peccátum non est. Quæritur ergo, an líceat ágere contra hujúsmodi consciéntiam? Pro quo sit

CONCLÚSIO.

Consciéntia scrupulósa contemnénda est, et deponénda.

Prob. Consciéntia scrupulósa est quædam ánimi ægritúdo, pacem interiórem turbans, devotiónem tollens, acédiam gignens, et máxima rémora in vitæ spirituális progréssu; imò dispósitio ad gravíssima peccáta desperatiónis, blasphémiæ, infidelitátis, suicídii etc. perpetránda; prout experiéntiâ compértum est, sæpè sæpiùs contigísse: Ergo, consciéntia scrupulósa pótiùs à Deo abdúcit, quàm ad Deum dírigit: Atqui, quod à Deo pótiùs abdúcit, quàm ad Deum dírigit, est contemnéndum, et deponéndum. Ergo, consciéntia scrupulósa etc.

187. Prob. 2.° Consciéntia scrupulósa ad summum nítitur ténuî probabilitáte: Atqui, quod solùm tenúiter probábile est, contemnéndum est, ac deponéndum: Ergo, consciéntia scrupulósa contemnénda est, et deponénda. Major patet ex notióne consciéntiæ scrupulósæ: Minor patet ex hac propositióne ab Innocéntio XI, proscríptâ: *Generátim dum probabilitáte... quantúmvis ténui... confísi áliquid ágimus, semper prudénter ágimus.* Conseq. legítimè infértur.

188. Petes: Quid agéndum sit ei, qui scrúpulis labórat?

Resp. Quemádmodum in arte médica multum ínterest nosse cáusas, et orígines morbi, ut conveniéntia possint aptári remédia; (undè Poëta generátim canébat: *Felix, qui rerum pótuit cognóscere cáusas*); ita in curándo scrupulórum morbo, inspiciéndæ sunt cáusæ et orígines hujus spirituális ægritúdinis: non enim una eadémque medicína cunctis cónvenit scrupulósis; áliter enim cu-

rándus est, qui ex ignorántia; áliter, qui ex tentatióne dæmonis; áliter, qui ex naturáli complexióne; áliter, qui ex nímia abstinéntia, aut immoderátîs vigíliîs; áliter, qui ex supérbia; áliter, qui ex nímia cum scrupulósis familiaritáte, scrúpulîs labórat. Hinc DD. multas équidem, et divérsas assignant régulas, pro dirigéndis, ac curándis scrupulósis, quas omnes sigillátim pérsequi, opus elementáre non pátitur: ne tamen Tyrónes in hac matéria jejúnos relinquámus, dícimus cum B. Alphónso María de Ligório, *Hom. Apost.*, *Trac.* 1 *de Conscién.* *c.* 1, *n.* 8, Quòd revéra post oratiónem nullum scrupulósis remédium efficácius quàm omnímoda Directóri obediéntia. Hinc ante ómnia, Confessárius pœniténti scrupulóso suádeat hoc duplex princípale princípium. Primum, quòd, ubi evidénter non appáret peccátum, coram Deo tutò incédit si Patri obtémperat spirituáli, tunc enim non hómini sed ípsimet Deo obtémperat, dixit enim: *Qui vos audit, me áudit.* Ita (proséquitur idem S. Alphónsus), docent omnes Doctóres, et Magístri spirituum cum S. Bernárdo, S. Antonino, S. Francísco Salésio, S. Philíppo Nério, S. Therésia etc. Secúndum princípium, quod Confessárius opportúnè instillábit pœniténti scrupulóso, est, quòd major scrúpulus, qui debet eum ángere, est inobediéntia, propter hanc enim, magno se expónit periculô ncurréndi grávia mala, quæ in prima probatióne Conclusiónis indigitâvimus.

His confórmiter, ajébat S. Francíscus Salésius: «éxpedit quiéscere, dum à «Patre spirituáli intélligit, se benè pro«grédi, quin ejus rei cáusam perquírat. «Númquàm périit obédiens.» Cui concors est S. Philíppus Nérius dum (in vita *l.* 1, *c.* 20) asserébat, quòd qui obsequebátur Confessário, se certum faciébat, Deo non redditúrum de suis opéribus ratiónem. Hæc ádeò vera sunt S. Joánni de Cruce, ut *Tract. de spinis*, *Coll.* 4, §. 1, *n.* 8, díxerit: non satisfíeri de eo quod dicit Confessárius, esse supérbiam, et in fidem peccátum. Qui plura desíderet, ádeat Sylvium 1.ª 2.æ *quæst.* 19, *art.* 5, aliósque Auctóres, quibus lícuit fusiórî cálamô de hac matéria pertractáre.

TRACTÁTUS

DE VIRTÚTIBUS ET VÍTIIS.

Cùm actus humáni álii sint honésti, álii verò peccaminósi; post tractátum de áctibus humánis in génere, subjúngimus tractátum de virtútibus, quibûs actus humáni fiunt honésti; et de vítiis, quibûs fiunt peccaminósi.

CAPUT PRIMUM.

DE VIRTÚTIBUS.

§ I.

Quid sit virtus.

189. Omíssîs váriîs acceptiónibûs, quibûs sumi potest hoc nomen *Virtus;* eam hìc súmimus pro dispositióne, et facultáte superáddita poténtiis humánîs, quâ operatiónes eárum, bonæ, conveniéntes, et rectæ reddúntur.

Virtus sic sumpta rectè cum D. Thom. 1.ª 2.æ *quæst.* 55, *art.* 4, definitur. «Bona quálitas mentis, quâ rectè vívi«tur, quâ nullus malè útitur, quam Deus «in nobis, sinè nobis operátur.» Hanc definitiónem ipse S. Dr. ibid., fatétur se non invenísse, sed ex Augustíno divérsis in locis, et præcípuè in 2, *de lib. arbitr.*, collegísse. Advértit tamen ibid. idem Angélicus Dr. últimam definitiónis partem, vidélicet, *quam Deus in nobis, sinè nobis operátur*, soli virtuti infúsæ convenire: *quæ quidem particula si auferátur, reliquum definitiónis erit commúne ómnibus, et acquisitis, et infúsis*, ut conclúdit ibid S. Dr.

Explicans D. Thom. definitiónis verba inquit: Ut discernátur virtus, ab his quæ semper se habent ad malum, dícitur, *quâ rectè vívitur;* ut áutem discernátur ab his, quæ se habent quandóque ad bonum, quandóque ad malum, dícitur *quâ nullus malè útitur:* quod

tamen ita est intelligéndum, ut ibid. ad 5, éxplicat S. Dr., «quòd virtúte potest «áliquis malè uti támquàm objéctô, pu«ta cùm malè sentit de virtúte, cùm «odit eam, vel supérbit de ea; non áu«tem támquàm princípio usûs, ita scí«licet, quòd malus sit actus virtútis.» Quam eámdem explicatiónem tenet S. August., *lib.* 2, *de lib., arbitr., c.* 19. Sic qui supérbit e. c. de virtúte, virtus est objéctum illíus supérbiæ; non verò est princípium, à quo procédat actus supérbiæ; sed hujúsmodi princípium non est virtus, sed vítium. Cùm áutem ádditur in definitióne (quoad virtútem infúsam), *quam Deus in nobis sinè nobis operátur;* intelligéndum venit, ut *ibid. ad* 6, éxplicat D. Thom.: «Quòd «virtus infúsa causátur in nobis à Deo «sinè nobis agéntibus, non tamen sinè «nobis consentiéntibus... quæ verò per «nos agúntur, Deus in nobis cáusat, non «sinè nobis agéntibus: ipse enim operá«tur in omni voluntáte, et natúra.» Quod et trádidit August., *Serm.* 169, *de verb. Apost., c.* 11, ínquiens: «Si«nè te fecit te Deus. Non enim adhibuís«ti áliquem consénsum, ut te fáceret «Deus: Quómodò consentiébas qui non «eras? Qui ergo fecit te, sinè te, non te «justíficat sinè te. Fecit nesciéntem; «justíficat voléntem.» Volens áutem est conséntiens. Ergo, Deus non justíficat nos sinè nobis consentiéntibus, si sumus, ut suppónitur, adúlti: qui tamen non póssumus dici agéntes, non enim sumus cáusa grátiæ, et habituális justítiæ, quibûs justi efficimur.

Animadvértimus tandem, quòd cùm in definitióne Virtútis dícitur *bona quálitas mentis*, nómine *mentis* intelligéndus venit, nedùm intelléctus, sed et volúntas, ac étiam appetítus sensitívus prout império subest voluntátis, ac intelléctûs, sic enim ratiónem partícipat, ideóque subjéctum potest esse virtútis, undè commúniter est ab ómnibus recéptum, quòd fortitúdo est in irascíbili, temperántia in concupiscíbili, sicut prudéntia in intelléctu, prout et in voluntáte justítia.

§ II.

De divisióne virtútum.

190. Sumptâ virtúte generátim, scílicet, pro eo, quod pérficit poténtiam ad objéctum suum rectè attingéndum; dividitur virtus in intellectuálem, morálem et theológicam.

191. Virtus intellectuális nuncupátur ea, quæ intelléctum pérficit, in órdine ad verum. Verum áutem, áliud est tantùm cognoscíbile nobis, non verò à nobis operábile, ut cœlum, terra, réliqua eleménta primordiália etc. quæ quidem cognóscere póssumus, mínimè verò fácere: áliud áutem est verum práctícum, quod nempè nos, nedùm valémus cognóscere, sed étiam ad opus redúcere; sic, nedùm cognóscimus structúram machinárum, et efféctus ex ipsis proveniéntes; verùm étiam totum hoc póssumus ópere complére. Indè fluit, quòd virtútes intellectuáles, áliæ sunt speculatívæ, áliæ prácticæ; illæ sunt, quæ perfíciunt intelléctum ad attingéndum verum, quod non est à nobis operábile, sed tantùm cognoscíbile; hæ áutem, quæ perfíciunt intelléctum ad attingéndum verum, quod nos nedùm cognóscere, sed étiam ad opus redúcere valémus.

192. Virtútes intellectuáles speculatívæ, tres commúniter adnumeránturi; vidélicet, Intelligéntia, seu hábitus primórum principiórum speculabílium; Sapiéntia, quæ pérficit intelléctum ad verum per cáusas altíssimas attingéndum;

et Sciéntia, quæ intelléctum pérficit, ut per cáusas inferióres ad cognitiónem veri pertíngat.

Virtútes verò intellectuáles prácticæ, duæ commúniter recipiúntur, vidélicet, Ars, et Prudéntia. Hinc, Ars dícitur *recta rátio factibílium* : Prudéntia verò, *recta rátio agibílium*. Ut hæ duæ definitiónes non videántur unum idémque sonáre, animadverténdum est cum D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 57, *art.* 4. Quòd *fácere* et *ágere*, in eo différunt, quòd *fácere* significat actum transeúntem in exteriórem matériam, eámque immutántem: sicùt ædificáre, secáre, píngere etc., quæ sunt própria artis, adeóque méritò ars dícitur: recta rátio factibílium. *Ágere* verò, est actus in ipso agénte pérmanens, ut appétere, amáre, elígere etc., qui actus prout sunt in agénte regulári debent, et regulántur quidem per prudéntiam; undè hæc méritò, recta rátio agibílium nuncupátur.

193. Virtus morális dícitur, quæ pérficit poténtiam ad attingéndum bonum secúndùm régulas morum. Licèt Prudéntia inter virtútes intellectuáles adnumerétur, quia ut díximus, *num.* 192, intelléctum pérficit ad verum prácticum attingéndum; nihilóminus ad virtútes moráles, étiam máximè pértinet, qüátenùs versátur in regéndo appetítu circa eligibília, seu ea, quæ sunt propter finem. Hinc D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 61, virtútem morálem in qüátuor generáles spécies vidélicet, *Prudéntiam*, *Justítiam*, *Temperántiam* et *Fortitúdinem*, distríbuit. Hæ virtútes commúniter cardináles appellántur, quia in his véluti cardínibus omnis bona, honéstaque vita versátur. Prudéntia namque tota est in dirigéndo secúndùm ratiónis órdinem humánas actiónes: temperántia, in moderándo, seu frænándo concupiscéntias: fortitúdo, in aggrediéndo, et sustinéndo étiam perícula mortis: justítia, quæ régulat actiónes extérnas ad álterum; quæ tamen non una, sed múltiplex est secúndùm divérsum modum solvéndi álteri débitum; áliter enim rédditur æquáli per justítiam commutatívam; áliter Superióri, ut Deo, per Religiónem, Paréntibus, ac Pátriæ per pietátem; áliter minóri per justítiam distributívam, seu legálem; áliter ex pacto, vel ex promísso; áliter ex benefício suscépto etc. Parî modò, non una, sed múltiplex est virtus morális passiónum regulatíva. Circa passiónes enim appetítûs irascíbilîs, quæ ad oppósita ordinántur, divérsæ extant virtútes ad eas ordinándas; fortitúdo enim régulat timóres, et audácias; magnanímitas, spem et desperatiónem; mansuetúdo dénique, iras. Nihilóminùs, cùm motus passiónum appetítûs concupiscíbilîs secúndùm quemdam órdinem sese consequántur, ad amórem enim séquitur concupiscéntia, et ad concupiscéntiam delectátio, ad passiónes appetítûs concupiscíbilîs moderándas, súfficit una virtus, nempè, temperántia.

194. Corollárium. Ex his séquitur, cum virtúte moráli passiónes esse posse, non quidem inordinátas, sed ratióne moderátas, et frænátas: quò atténtò, Peripatétici cum Stóicis non conciliántur; isti enim passiónes ánimæ in sapiénte esse nequíre astruébant; illi verò passiónes simul cum virtúte esse posse admittébant, non qualescúmque, sed quæ sunt ad médium redúctæ, id est, rectâ ratióne regulátæ. Indè fluit, virtútem esse posse cum tristítia, moderátâ tamen, et sub ratióne ordinátâ, cujûs contrárium asserébant Stóici asseréntes, tristítiam in ánimo Sapiéntis inveníri nequíre, quorum os óbstruit tristítia quæ fuit in Christo, in quo virtus in summo fuit.

195. Virtútes moráles, áliæ sunt acquisítæ, áliæ verò infúsæ. Ambæ convéniunt in matéria, différunt áutem in motívo, seu objécto formáli, et modô illud attingéndi: utrúmque enim in virtútibus morálibus est naturále; in infúsis verò est supernaturále. Rem exémplô declarámus. Temperántia, tum acquisíta, tum infúsa, convéniunt quidem in matéria, útraque enim delectabília gustûs, et tactûs moderátur; non tamen convéniunt in motívo, seu objécto formáli, et in modo illud attingéndi: temperántia enim acquisíta, médium quærit tantùm secúndùm régulam ratiónis humánæ, et in órdine tantûm ad bonum natúræ, puta, sanitátem córporis, et líberum usum ratiónis naturális, puta, ut stúdio libériùs vacáre possit: temperántia áutem infúsa quærit médium secúndùm régulam fídei, et legis divínæ, et in órdine ad finem supernaturálem, quæ ídeò sæpé præscríbit arctiórem abstinéntiam, quàm temperántia acquisíta. Hæc, quæ de temperántia acquisítâ et infusâ annotávimus, fácilè est adinveníre in áliis virtútibus morálibus acquisítis, et infúsis, eas ad ínvicem comparándô.

196. Nos non præterit, quosdam virtútes moráles per se infúsas admitténdas non esse existimáre; sed eas admitténdas, confórmiùs appáret Scriptúræ, Pátribus, et Auctoritáti Ecclésiæ; Scriptúræ quidem, nam Sapiéntiæ, *cap.* 8, *v.* 7, de divína Sapiéntia dícitur, quòd *sobrietátem, et justítiam docet, et prudéntiam, et virtútem.* Docére áutem respectû divínæ Sapiéntiæ non verba proferéndô fit, sed causándô; nec áliter certè quàm per infusiónem; quod et ipsa Scriptúra vidétur innúere, ibid. enim *v.* 5, præmíserat: *quid Sapiéntiâ locuplétius, quæ operátur ómnia?* Hùc tendit étiam illud Provérb., *cap.* 8, *v.* 14. *Meum* (id est à me) *est consílium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo.* 2.° Pœniténtiam, quæ virtus morális est, donum Dei esse, habétur Act. Apost., *cap.* 11, *v.* 18, dum dícitur, quòd *et Géntibus pœniténtiam dedit Deus ad vitam.* De prudéntia quoque ad præceptórum supernaturálium observántiam necessáriâ constat, esse à Deo infúsam, nam *Epist. ad Rom., cap.* 8, prudéntia spíritûs à Deo esse per Christum, osténditur: quæ áutem à Deo sunt per Christum, infúsa sunt, non lúmine, aut ópere humánô acquisítâ.

Ex Patribus. D. Gregórius, *homil.* 5 *in Ezech.*, lóquens de Spíritu Dei sic ait: «In Sanctórum quippe córdibus juxta «quásdam virtútes semper pérmanet; «juxta quásdam verò recessúrus venit, et «ventúrus recédit. In fide étenim, spe, «atque charitáte, et in bonis áliis, sinè «quibus ad cœléstem Pátriam non potest «perveníri, sicut est, humílitas, cástitas, «justítia, atque misericórdia, perfectórum «corda non déserit. In Prophetíæ verò «virtúte, doctrínæ facúndiâ, miraculórum «exhibitióne, eléctis suis aliquándò adest, «aliquándò se súbtrahit.» His verbis, ut consideránti patet, docet Gregórius, Spíritum S. permanénter in ánima justi habitáre, non solùm per fidem, spem, et charitátem, quæ quidem sunt virtútes theológicæ; sed étiam per humilitátem, castitátem, justítiam, etc., quæ sunt virtútes moráles; ad differéntiam donórum Prophétiæ, et miraculórum, quibûs aliquándò adest justis Spíritus Dei, et à quibus aliquándò abest: Atqui, tam virtútes theológicæ, quàm dona Prophétiæ etc., sunt in ánima per infusiónem; Ergo, étiam virtútes moráles. Prætérquamquòd, per virtútes moráles acquisítas non dícitur Spíritus S. in nobis habitáre. Vid. Augustin *Tract.* 8 *in* 1, *Epist. Joán.* Álios étiam Sanctos existimásse, prout S. Gregórius, ex verbis

Concílii Viennénsis mox adducéndis constat.

197. Concílium enim Viennénse, (seu Clemens V, in eo Concílio), relátîs diversîs Doctórum opinionibûs circa infusiónem habituum, quæ fit in baptísmo, inquit: «Nos attendéntes generálem ef-«ficáciam mortis Christi, quæ per bap-«tísmum applicátur páriter ómnibus «baptizátis; opiniónem, quæ dicit, tam «párvulis, quàm adúltis conférri in bap-«tísmo informántem grátiam, et virtú-«tes, támquàm probabiliórem et dictis «Sanctórum, et Doctórum modernórum «Theológiæ magìs cónsonam, et concór-«dem, Sacrò approbánte Concíliò, dúxi-«mus seligéndam.» Et hæc ádeò prævá-luit in Ecclésia, ut Cathechísmus Romanus, *P.* 2, *c.* 2, § I, efféctus baptísmi núměrans, qui cum grátia tribuúntur, ábsque hæsitatióne dicat: «ádditur no-«bilíssimus ómnium virtútum comitátus, «quæ cum grátia divínitùs infundún-«tur.»

198. Tandem, præter virtútes moráles dantur áliæ virtútes, quæ theológicæ appellántur, quia homo ad beatitúdinem supernaturálem évehi debet, tam per illustratiónem intelléctûs, quàm per voluntátis rectitúdinem. Undè opórtuit istis duábus poténtiis, divínitùs dari áliqua princípia, quæ illas ad órdinem elevárent supernaturálem. Quoad intelléctum datur fides, ope cujûs intelléctus capit ea, quæ sunt divínitùs revelàta. Quoad voluntátem verò, non unum, tantùm, sed duplex opórtuit infúndi princípium; unum quò volúntas uniátur per afféctum último fini supernaturáli; et hoc est cháritas; álterum áutem, quò volúntas inténdat últimum illum finem ássequi per média supernaturália, et hoc est spes. Et hæ virtútes appellántur theológicæ, quia Deum ut finem supernaturálem habent pro objécto inmediáto. Ex quo patet, has virtútes spécie distíngui ab intellectuálibus, et morálibus supra recensítis; objéctum enim istárum, est áliquid quod humánâ ratióne potest comprehéndi; objéctum verò illárum, Deus est, qüátenùs cognitiónis, et inclinatiónis naturális vires excédit, et est illárum immediátum objéctum, quod nulli álii virtúti, étiam infúsæ, cómpetit. Sed de his fúsiùs, cùm de virtútibus theológicis in particulári erit sermo.

§ III.

An virtútes moráles in médio consistant?

199. Nihil vulgátius, quàm quòd virtus débeat consístere in médio. Id áutem ut explicétur qüáliter in virtútibus morálibus contíngat, prænotáre opórtet, duplex esse médium, nempè *médium rei, et médium ratiónis.* Médium rei est illud, quod ex ipsa natúra rei ita est determinátum, et fixum, ut sit semper unum, et indivisíbile, nec pro loco, témpore, persónâ, aliìsve circumstántiîs variétur. Médium verò ratiónis est illud, quod ex ipsa natúra rei non est determinátum, fixum, et unum, sed variátur pro loco, témpore, persónâ, et circumstántiîs: et médium ratiónis appellátur, non quia in rebus non sit; sed quia à prudéntia, et ratióne taxátur, et definítur ponderátîs ómnibûs, quæ sunt ponderánda. Ut áutem obsérvat D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 64, *art.* 2, médium ratiónis aliquándò conjúngitur cùm médio rei, non áutem semper. Tunc cum médio rei conjúngitur, quándò taxátur à ratióne per comparatiónem ad res: tunc verò non conjúngitur, quándò taxátur à ratióne per comparatiónem ad persónam, aliásve circumstántias. Hìs prælibátîs, sit

I. CONCLÚSIO.

Virtútes moráles, nempè, fortitúdo, et temperántia, quæ circa passiónes versántur, in médio ratiónis consístunt, et non in médio rei.

200. Prob. Concl. Médium ratiónis, ut à médio rei contradistínctum, est illud quod à ratióne taxátur secúndùm comparatiónem ad persónam, et circumstántias: Atqui, hæ virtútes moráles, nempè, fortitúdo, et temperántia, consístunt in médio, quod à ratióne taxátur secúndùm comparatiónem ad persónam, et circumstántias: Ergo, prædictæ virtútes in médio ratiónis, non verò in médio rei, consístunt. Major patet ex prænotámine. Prob. min. Médium, puta, temperántiæ, non est certa quántitas cibi ómnibus accommodáta; sed secúndùm prudéntiam variátur juxta divérsas persónas divérsæ complexiónis, et in cádem persóna pro divérsis tempóribus, et divérsis circumstántiis, puta, labóris, ægritúdinis etc.

Tum de fortitúdine, tum de temperántia ita D. Bernárdus, *lib. de Consideratióne, c.* 8, loquebátur: «Vides for«titúdinis matrem esse prudéntiam: nec «fortitúdinem, sed temeritátem esse, «quémlibet áusum, quem non parturívit «prudéntia. Hæc item est, quæ inter «voluptátes, et necessitátes média, quá«si quædam árbitra sedens, utrimquè «certîs limítibùs distérminat fines; istis «assignans, et præbens quod sat est: il«lis, quod nimis est, demens; et sic ex «altérutro tértiam formans virtútem, «quam dicunt temperántiam. Nempè in«temperántem ipsa considerátio censet «tam cum, qui necessáriis pertináciter «denit, quàm qui indúlget supérfluis.» Ex quibus patet, fortitúdinem, et temperántiam consístere in médio, non rei, sed quod ipsis præfígit prudéntia, considerátîs rerum circumstántiis.

201. Ad rem confert observáre cum D. Thoma, 1.ª 2.æ *q.* 64, *art.* 1, *ad* 2, quasdam reperíri virtútes, quæ licèt primâ fronte videántur versári circa extréma, consístunt tamen in médio. «Sic «est in magnificéntia, et magnanimitáte: «nam si considerétur qüántitas absolúta «ejus in quod tendit magníficus, et «magnánimus, dicétur extrémum, et «máximum: sed si considerétur hoc ip«sum per comparatiónem ad álias cir«cumstántias, sic habet ratiónem mé«dii: quia in hoc máximum tendunt hu«júsmodi virtútes secúndùm régulam «ratiónis, id est, ubi opórtet, et quán«dò opórtet, et propter quod opórtet; «excéssus áutem, si in hoc máximum «tendátur, quándò non opórtet, vel ubi «non opórtet, vel propter quod non opór«tet; defléctus áutem est, si non tendá«tur in hoc máximum, ubi opórtet, et «quándò opórtet.» Hucúsquè D. Thomas, quibus ibídem *ad* 3, subdit: «Éa«dem rátio est de virginitáte, et pau«pertáte, quæ est de magnanimitáte. «Ábstinet enim virgínitas ab ómnibus «venéreis, et paupértas ab ómnibus di«vítiis, propter quod opórtet, et secún«dùm quod opórtet, id est, secúndùm «mandátum Dei, et propter vitam ætér«nam. Si áutem hoc fiat secúndùm quod «non opórtet, id est, secúndùm áliquam «superstitiónem, vel étiam propter iná«nem glóriam, erit supérfluum: si áu«tem non fiat, quándò opórtet, vel se«cúndùm quod opórtet, est vítium per «defléctum, ut patet in transgrediénti«bus votum virginitátis, vel paupertá«tis.»

II. CONCLÚSIO.

Justítia, quæ est virtus morális circa operatiónes, quæ sunt ad álterum, consistit in médio rei, non tamen exclúsô médió ratiónis.

202. Prob. Conclúsio, quoad 1 partem. Ut díximus in prænotámine, médium rei est illud, quod ex ipsa natúra rei determinátum est, et fixum, nec variátur pro loco, témpore, alîsque circumstántiîs : Atqui, in hoc médio invariábili consístit justítia : Ergo, justítia consístit in médio rei. Prob. min. Cuicúmque reddéndum sit mútuum, vel solvéndum rei emptæ prétium, aut restituéndum ablátum, mínimè atténtô, quòd is, cui hæc sunt reddénda, pauper sit, vel dives ; vir, aut múlier ; adúltus, vel senex etc., justítia præscríbit ei, qui mutuávit decem, reddénda decem ; vendénti rem valóris vigínti, solvénda vigínti ; ei, cui abláta sunt centum, solvénda centum ; etc. Ergo, justítia in médio rei invariábili consístit.

203. Hic tamen magnóperè animadvértere opórtet, hanc æqualitátem, quam réspicit justítia, esse dúplicem : unam, scílicet, (quam quidam vocant aritmétlicam) quantitátis ad quantitátem, seu tanti pro tanto ; et hanc æqualitátem réspicit justítia commutatíva, ad quam pértinent exémpla in probatióne alláta : álteram verò (quam quidam geométricam appéllant), proportiónis ad proportiónem ; et hanc æqualitátem réspicit justítia distributíva, quæ materiáliter, non dat ómnibus æquáliter, sed unicuíque secúndùm quod ejus éxigunt mérita : sic habénti erga Respúblicam mérita ut octo, si dentur centum ; habénti verò mérita ut quátuor, dentur quinquagínta ; etsi non detur utríque éadem quántitas materiáliter, datur tamen éadem proportionáliter : undè nedùm justítia commutatíva, sed étiam distributíva médium rei servat. Vid. D. Thom., *lib.* 5, *Ethic. lect.* 5, et 2.ª 2.æ *quæst.* 38, *art.* 10.

204. Prob. 2.ª pars Conclusiónis. Justítia juxta genus suum est virtus morális : Atqui, omnis virtus morális consístit in médio ratiónis : Ergo, justítia étiam consístit in médio ratiónis. Prob. min. Omnis actus virtútis morális debet per prudéntiam regulári : Atqui, prudéntia atténdit omnes circumstántias loci, témporis, etc. ex quibus médium ratiónis desúmitur : Ergo, omnis virtus morális consístit in médio ratiónis : Ergo, justítia, cùm sit virtus morális, étiam in médio ratiónis consístit.

Et quidem méritò : nam virtus nedùm debet fácere bonum, sed étiam *benè* : undè etsi quis reddéndô alícui quod suum est, fáciat bonum, potest tamen contíngere, quòd non faciat *benè* : puta, si álteri, quod suum est rédderet in circumstántiis indébitis, aut quas prudéntia non ápprobat, prout contíngeret, si quis rédderet gládium furióso, aut ei, quem scíret eô usúrum ad álium occidéndum etc. Hinc liqüet, justítiam álteri debére réddere quod suum est, et sic médium rei servat ; et id debet éxequi in circumstántiis per prudéntiam præscríptîs, et sic servat médium ratiónis.

III. CONCLÚSIO.

Virtútes theológicæ per se non consístunt in médio ; sed solùm per áccidens, et ex parte nostrî.

205. Prob. 1 pars. Concl. verbîs Angel. Præceptóris, 1.ª 2.æ *quæst.* 64, *art.* 4 : «Médium virtútis accípitur per «conformitátem ad suam régulam, vel «mensúram, secúndùm quòd contíngit «ipsam transcéndere, vel ab ea defí«cere. Virtútis áutem theológicæ du«plex potest áccipi mensúra. Una qui«dem secúndùm ipsam ratiónem virtú«tis ; et sic mensúra, et régula virtútis «theológicæ est ipse Deus : fides enim «nostra regulátur secúndùm veritátem «divínam, cháritas áutem, secúndùm «bonîtátem ejus, spes áutem, secúndùm «magnitúdinem omnipoténtiæ, et pietá«tis ejus : et ista est mensúra excédens «omnem humánam facultátem : undè «númquàm potest homo tantùm dilíge«re Deum, quántùm díligi debet ; nec «tantùm crédere, aut speráre in ipsum, «quántùm debet. (*Hinc Eccli.*, c. 43, «*v.* 23 : Benedicéntes Deum exaltáte «illum, quántùm potéstis : major enim «est omnî láude). Undè multò minùs «potest ibi esse excéssus (*scilicet ex par«te objécti, seu régulæ, id est Dei*) ; et «sic bonum talîs virtútis non consístit «in médio ; sed tantò est mélius, quán«tò magis accéditur ad summum.»

206. Prob. 2.ª pars Concl. verbîs étiam D. Thom. ibid. «Ália régula, vél «mensúra virtútis theológicæ, est ex «parte nostra : quia etsi non possímus «ferri in Deum, quántùm debémus ; de«bémus tamen ferri in ipsum, credén«dô, sperándô, et amándô secúndùm «mensúram nostræ conditiónis. Undè «per áccidens potest in virtúte theológica considerári médium, et extréma, «ex parte nostra.» Nos enim non debémus crédere, nec speráre, nec amáre nisi ea, et eô fine, et eô modô, quæ et quibûs nos crédere, speráre et amáre cónvenit. Virtútes enim theológicæ habent pro objécto materiáli, non solùm Deum, sed étiam ália, quæ crédúntur, quæ sperántur, quæ amántur ; et circa hæc, tum quoad substántiam, tum quoad modum, tum quoad finem, quem sibi áliquis præstítuat, potest esse áliquis excéssus, vel deféctus ex parte nostrî. Ut Tyrónibus res clárior fiat, hæc subjícimus exémpla. Si quis créderet Deum revelásse quod non revelávit, esset excéssus in credéndo ; si verò non créderet revelásse quod revelávit, esset defáctus. Simíliter, si quis speráret, Deum sibi datúrum glóriam, étiam sinè méritis ; esset excéssus in sperándo ; è convérsò, si non speráret glóriam, étiam suppósitîs méritîs, esset defáctus : primum esset præsúmptio ; álterum, desperátio : inter quæ extréma, média est spes. Parî modô, si quis amáret próximum, sed non propter Deum, esset defáctus in amándo : si verò dilígeret próximum, et quidem propter Deum, sed plûs quàm seípsum, esset excéssus in diligéndo. Ergo, ex parte nostrî, et per áccidens, potest esse excéssus, vel defáctus circa virtútes theológicas, adeóque ex hoc cápite possunt virtútes theológicæ in médio consístere. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 64, *art.* 4, in solut. argumentór., et *quæst. unic. de Spe, art.* 1, *ad* 7.

NOVA LIBRARY

§ IV.

De connexióne virtútum morálium.

207. Præmitténdum est cum D. Thoma, 1.ª 2.æ *quæst.* 65, *art.* 1, virtútem posse áccipi vel in státu imperfécto, vel perfécto. Virtus in státu imperfécto impórtat solùm áliquam inclinatiónem in nobis existéntem, ad opus áliquod de génere bonórum faciéndum, sive talis inclinátio sit à natúra, seu ex naturáli complexióne, sive ex assuetúdine áctuum circa áliquam datam matériam; sed quæ inclinátio sit, vel débilis, et crebrîs agitáta tentatiónibûs; vel fortis quidem, sed per prudéntiam, quæ est virtútum morálium ánima, non satis reguláta.

Exémplum primi est in eo, qui íncipit virtútem cólere: talis enim post áliquos repetítos actus sentit quidem in se virtútis hábitum inchoári, sed qui adhuc tener est, et ad plenæ virtútis maturitátem, et vigórem non attíngit, ádeò ut ingruéntibûs tentatiónibûs de fácili deprehendátur succúmbere. Exémplum secúndi est in eo, qui vel naturálî pronitáte, vel longâ assuetúdine in bono cujúsdam virtútis solidátus, prudéntiæ discretióne hunc afféctum non regit. Id vidére est in Páulo, nondùm à Christo vocátô, qui Mosáycæ legis observatiónibûs bonîs, et piis imbútus, summô religiónis zelô eas propugnábat, et benè; pósteà verò propalátô Evangélio, culpábilîs ignoránticæ ténebrîs involútus, amíssô prudéntiæ regímine, laudábilem zelum in perniciósum furórem commutávit.

Virtus in státu perfécto est, quæ utráque istâ dote præstat, scílicet, perféctâ subjectióne ad prudéntiam, et stábilî contra omnes tentatiónes firmitáte: seu, ut D. Thom. ibid. definit, *quæ inclínat in bonum opus BENE agéndum*. His prælibátis, sit

I. CONCLÚSIO.

Virtútes moráles in státu imperfécto, non sunt ad ínvicem connéxæ.

208. Prob. Concl. Experiéntiâ constat, étiam in homínibus perditíssimis áliquod imperféctæ virtútis alicújus vestígium relucére, cùm respéctu cæterárum nec umbram in ipsis internóscere valeámus. Sic non semel, qui injústus est, útpotè rétinens aliéna, nec servis suis débita reddens stipéndia, aliquándò tamen vel in voluptátibus temperátum, vel in periculis fortem se præbet. E convérsò, vidémus, áliquem ex naturáli complexióne, vel ex áliqua consuetúdine, esse ad ópera liberalitátis promptum, qui tamen vítiô luxúriæ inquinátur, thorum invádens aliénum, vel álîs spurcítiîs carnem suam maculándô. Ergo, virtútes moráles in státu imperfécto, non sunt connéxæ.

209. In hujus confirmatiónem addúcimus auctoritátem D. Gregórii, qui *lib.* 21, *Moral.*, *cap.* 1.°, póstquàm dixit, áliquos esse pudícos, sed non húmiles; áliquos húmiles, sed non misericór-«des etc. inquit: Certum est, quia nec «cástitas in ejus corde vera est, cui hu-«mílitas deest:» et póstea conclúdit: «Una ítaque virtus sinè áliis, aut omninò «nulla est, aut imperfécta.» Ergo, virtútes moráles in státu imperfécto, non sunt ad ínvicem connéxæ.

—

II. CONCLÚSIO.

Virtútes moráles in státu perfécto, sunt ad ínvicem connéxæ.

210. Prob. Conclúsio semper fuit apud Patres Ecclésiæ, et apud antíquos Philósophos receptíssima. Apud Patres quidem, nam Ambrósius super Lucam, *cap.* 6, inquit: «Connéxæ sibi sunt, «concatenatæque virtútes, ita ut qui «unam habet, plures habére videátur.» Augustínus, *lib.* 6.° *de Trinitáte, cap.* 4.°, ait: «Virtútes, quæ sunt in ánima «humána, nullô modô separántur ab ín«vicem.» Hierónymus, *Epist.* 127, *mant.* 38, *de Virt.* tenet: quòd virtútes «hærent sibi, et inter se ita nexæ «sunt: ut qui unâ caruérit, ómnibûs cá«reat.» Bernárdus, *in Serm. de Annunt.*, ait: «Nec possunt esse virtútes, «si ab ínvicem separéntur.» Gregórius, *lib.* 1.° *Moral.*, *cap.* 39: «Neque enim «verè virtus est, si mixta áliis virtúti«bus non est.» SS. áutem Patres his in locis fuísse locútos de virtútibus in státu perfécto, constat observánti, quòd virtútes in státu imperfécto non sunt connéxæ, ut in præcedénti Conclusióne manet statútum.

Hanc étiam fuísse antiquórum Philosophórum mentem, liqüet ex his Hierónymi verbis *in cap.* 16 *Isáiæ*: «Phi«losophórum quoque sententia est, hæ«rére sibi virtútes:» et, ut de cæteris taceámus, Cícero, *lib.* 2.° *Tuscul.*, inquit: «Si unam virtútem conféssus es «te non hábere, nullam necésse est te «habitúrum.» Quæ útique, ut jam observávimus, de virtútibus in státu perfécto tantùm valent intélligi.

211. Prob. Concl. ratióne. Perfécta virtus inclínat ad retinéndum bonum sibi próprium, contra quascúmque passiónes insurgéntes, et in omni evéntu, secúndùm dictámen rectæ ratiónis, seu prudéntiæ: Atqui, nulla virtus hoc potest fácere, absque præsídio, atque consórtiô aliárum virtútum: Ergo, nulla virtus potest esse perfécta, nisi cum áliis virtútibus connectátur. Prob. minor: Virtus perfécta inclínat hóminem, non tantùm in áliquem, sed in omnem actum sibi próprium: contíngit áutem actus próprios alicújus virtútis impedíri, non tantùm per passiónes illi virtúti diréctè contrárias, sed étiam, per álias quascúmque passiónes áliis virtútibus oppósitas: sic e. c. actus castitátis non solùm impedítur per passiónes concupiscéntiæ, quæ ipsi diréctè opponúntur, sed étiam per passiónes timóris, avarítiæ, inánîs glóriæ, et simílium, ádeò ut, cástitas, non solùm per inordinátas concupiscéntiæ passiónes, verúm étiam per inordinátos timóres, per avarítiam, inánem glóriam, vel ambitiónem amittátur; virtus enim nedùm corrúmpitur ex contráriis própriis, támquàm ab hóstibus intráneis; sed étiam ex aliárum virtútum contráriis, támquàm ab hóstibus extráneis: hinc Gregórius, *lib.* 21 *Moral.*, *c.* 1, ajébat: «nec prudéntia vera «est, quæ justa, témperans, et fortis non «est: nec perfécta temperántia, quæ «fortis, justa, et prudens non est: nec «fortitúdo, quæ prudens, témperans, et «justa non est: nec vera justítia, quæ «prudens, fortis, et témperans non «est.» Ergo, nulla virtus potest inclináre ad retinéndum bonum sibi próprium, contra quascúmque passiónes insurgéntes, nisi præsídiô atque consórtiô aliárum virtútum fulciátur.

Id ipsum inductióne comprobátur. Non semel, qui mitis est, ex libídine fit crudélis; ita David mitíssimus, ob amórem Bethsabée, marítum ejus neci expósuit: ita Judex circa justítiam benè afféctus, sed pecuniárum ávidus, non

semel munéribûs à recto judício deturbátur; undè múnera dicúntur *óculos sapiéntium excæcáre:* ita múlier pudíca, sed ambitiósa, metu infámiæ potest éffici adúltera; ut cóntigit Lucrétiæ, quæ, teste Líbiô, mortis metu non fracta, timóre infámiæ victa, verò consénsit adultério: ita fortis, sed voluptuósus, potest voluptátum illécebris emolliri, ut patet in Annibale, quem non Romána virtus, sed Campániæ delíciæ fregérunt: apud Poëtas, Hércules ipse Ómphalæ Lydiórum Regínæ amóre captus, fertur, ejus jussu, óperam dedísse lanifício, et qui Mundi terror fúerat, istíus Muliérculæ indignatiónem formidásse. Ergo, ut virtus sit perfécta, debet fundári in appetítu omni ex parte rectô, et contra cujúslibet vítii impugnatiónes confirmátô; quod quidem non per unam dumtáxat virtútem præstátur, sed necéssum est, ut ómnium virtútum morálium præsidiô, et consórtiô appetítus fulciátur: sicut urbs, ut sit perféctè secúra, non súfficit, quòd dumtáxat ex áliqua parte murîs, qüantúmvis inexpugnabílibûs tegátur, sed necéssum est, ut claudátur murîs nulla ex parte hostíbus apértîs.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

212. Obj. 1.° Si virtútes forent connéxæ, Sancti habérent in hac vita omnes virtútes: Atqui, juxta Hierónymum, *lib. adver. Pelag.*, *c.* 7, nullus Sanctórum, quámdiù in isto corpúsculo est, cunctas potest habére virtútes: Ergo, virtútes moráles non sunt ad ínvicem connéxæ.

Resp. Disting. minor. Secúndùm Hierónymum, nullus Sanctórum potest omnes habére virtútes in sensu Pelagianórum, concéd.: in sensu cathólico, neg. Pelagiáni existimábant, áliquem posse omnes virtútes táliter habére, ita ut ábsque ullo peccáto posset vitam dúcere. Hunc Pelagianórum sensum non esse cathólicum, August., *Epist.* 29, tradit, ínquiens: «Quis áutem sinè áli-«quo peccáto? quis ergo sinè áliquo «vítio, id est, fómite quodam, vel quasi «sinè radíce peccáti, cùm clamet, qui «supra pectus Dómini recumbébat: Si «dixérimus quia peccátum non habémus, «nos ipsos decípimus, et véritas in no-«bis non est?» Hierónymus ergo, agnóscens, quemádmodùm Augustínus, Sanctos in hac vita áliquem deféctum, vel nævum posse habére, negábat, áliquem eórum posse habére omnes virtútes, nam si quis eas habéret, absque omni peccáto víveret, ut contendébant Pelagiáni: id áutem únicè Beátæ Vírgini crédimus esse concéssum.

213. Obj. 2.° Idem Hierónymus in *c.* 1, *epist. ad Ephes.*, ajébat: «Nunc «Deus per partes in síngulis est; in álio, «justítia; in álio, cástitas; in álio, tem-«perántia; in álio, sapiéntia; in álio, «fortitúdo; et difficile est, étiam in «sanctis viris, atque perféctis, omnes «páriter esse virtútes:» Atqui, si virtútes moráles forent connéxæ, abs dúbiô inveniréntur in viris sanctis, atque perféctis: Ergo, virtútes non sunt connéxæ.

Resp. Dist. major. Et Hierónymus lóquitur de virtútibus quantùm ad usum, et excelléntiam, concéd.: quantùm ad hábitus neg. Proféctò: divérsi diversímodè se habent in virtútum exercítio, dum unus in una virtúte excéllit, peculiaritérque eam colit; álius in ália: ut proínde quamvis quisque córum omnes hábeat virtútes secúndùm hábitum, singulàriter tamen unam habére dicátur, eò quòd in illa magis sese exérceat, ac magis excéllit. Sic in martyribus prædicátur fortitúdo, et constántia, quia in

hisce virtútibus excelluére; nihilóminùs tamen, nisi omnes álias habuíssent virtútes, non fuíssent fortes in prælio: undè D. Gregórius, *homil. II in Evang.*, lóquens de Vírgine Mártyre inquit: «Nec enim Sancta hæc cujùs hó«diè natália celebrámus, mori pro Dó«mino potuísset in córpore, si priùs à «terrénis desidériis mórtua non fuísset «in mente.» Hanc, quam in solutióne expónimus, doctrínam accípimus étiam à S. Ambrósio, qui, *lib.* 5, *in c.* 6 *Luc.*, póstquàm dixit, virtútes esse connéxas, subdit: «Quanta hospitálitas in Abra«ham, quanta humílitas, quanta sáncti«tas, ut frátris fílium ab hoste serváret! «et quanta abstinéntia, ut nihil de præ«da quæreret! Sed quia Fide præsti«tit, Fídei præ cæteris méruit princi«pátum.»

214. Obj. 3.° S. Augustínus, *epist.* 29, ábsque ambágibus tradit: «Non «enim ista divína senténtia est, quâ dí«citur: Qui unam virtútem habúerit, «omnes habet; eíque nulla inest, cui «una defúerit:» Atqui, si virtútes moráles forent connéxæ, qui unam habéret, omnes habéret; eíque nulla inésset, cui una deésset: Ergo, juxta August. virtútes moráles non sunt connéxæ.

Resp. cum D. Thoma, *in* 3, *Dist.* 36, *art.* 1, *ad* 6. *Dist. maj.* Et Augustínus dicit hanc senténtiam, de connexióne virtútum, non esse divínam senténtiam, intélligens in hoc loco per tò *divinam* id solùm, quod est in Scriptúra expréssum, concéd.: intélligens hanc senténtiam esse falsam, et divínæ sapiéntiæ contráriam, neg. Ne cui hæc solútio videátur gratúita, legátur ipsémet August. in probat. Conclusiónis addúctus: et in hac ipsa sua epístola 29 ex qua sumúntur verba, quæ nobis objiciúntur, ubi póstquàm osténderit, fortitúdinem Catilínæ, non véram fortitúdinem fuísse, conclúdit: «Si fortitúdo esset; non «vítium, sed virtus esset: Si áutem «virtus esset, à cæteris virtútibus, tám«quàm inseparabílibùs commítibùs, non «relinqüerétur.» Ergo, juxta Augustínum virtútes moráles sunt ad ínvicem connéxæ.

215. Obj. 4.° Perseverántia est virtus: sed, non omnes, qui habent áliquas virtútes, habent perseverántiam, décidunt enim quandóque ab ipsis: Ergo, virtútes non sunt connéxæ.

Resp. Dist. maj. Perseverántia in quantùm significat firmum propósitum perseverándi in bono, est virtus, concéd.: in quantùm impórtat continuatiónem in bono usque ad finem vitæ, est virtus, neg. Sciéndum est enim, perseverántiam posse sumi dupliciter: 1.° pro hábitu mentis, quô quis firmum habet propósitum perseverándi in bono, usque in finem: 2.° pro actuáli, et reáli continuatióne in bono, usque ad finem vitæ. Hæc duo ab ínvicem distíngui, erúitur ex Conc. Trid., *Sess.* 6, *can.* 16, definiénte: «Si quis díxerit, justi«ficátum, sinè speciáli auxílio Dei in «accépta justítia perseveráre posse..... «anáthema sit.» Constat áutem, justificátum habére propósitum perseverándi in bono, si enim hôc propósitô caréret, jam esset malè afféctus, adeóque non esset justus: et tamen ultra hoc propósitum, quod secum involvit justificátio; ut quis reáliter, et de facto in bono persevéret, Concílium Tridentínum requírit, non speciálem virtútem, sed *speciále Dei auxílium* superádditum justificáto virtútes habénti: Ergo, perseverántia sumpta pro continuatióne in bono usque in finem, haudquàquám virtus est appellánda; quális est habénda, sumpta pro propósito perseverándi usque in finem, quod quidem propósitum

in omni habénte virtútes reperítur. Sed de his ubériùs, cum de grátia agémus.

216. Obj. 5.° Virgínitas est vírtus: Atqui, conjugáti matrimóniô uténtes néqüeunt habére virginitátem, etsi hábeant omnes álias virtútes: Ergo, virtútes non sunt connéxæ.

Resp. Dist. minórem.: Conjugáti... néqüeunt hábere virginitátem, quoad integritátem carnis, quæ est *materiále* virginitátis, concéd.: néqüeunt habére virginitátem, quoad suum formále, neg.: et dist. conseq.: virtútes non sunt connéxæ quoad suum materiále, concéd.: quoad suum formále, neg. Solutiónem áccipimus ex D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 152, *art.* 3, *ad* 2, ajénte: «Quod con«néxio virtútum accípitur secúndùm «illud, quod est formále in virtútibus, «id est, secúndùm charitátem, vel se«cúndùm prudéntiam, non áutem se«cúndùm id, quod est materiále in vir«tútibus. Nihil enim próhibet alícui vir«tuóso suppétere matériam unius virtú«tis, non áutem matériam altérius; si«cut pauper habet matériam temperán«tiæ, non áutem, matériam magnifi«céntiæ. Et hòc modô alícui habénti «álias virtútes, deest matéria virginitá«tis, id est, intégritas carnis; tamen «potest id, quod est formále in virgi«nitáte, habére, ut scílicet, hábeat in «præparatióne mentis, prædíctæ inte«gritátis conservándæ propósitum, si «hoc sibi compéteret; sicut páuper po«test in præparatióne ánimi habére pro«pósitum magníficos sumptus faciéndi, «si sibi compéteret; et simíliter ille, «qui est in prosperitáte, habet in præ«paratióne ánimi propósitum advérsa «æquanímiter tolerándi: et sinè hac «præparatióne ánimi, non potest esse «áliquis virtuósus.»

Eídem doctrínæ innixi, dícimus, imméritò quosdam objícere, innocéntes, qui númquàm peccavérunt, pœniténtiæ virtútem non habére. Non habent quidem quoad suum materiále, quod est peccáta commíssa flere; habent tamen quoad suum formále, quod est propósitum pœniténdi, si in peccátum inciderent. Undè D. Thom., 1 *Part.*, *quæst.* 95, *art.* 3, státuit, et probat, virtútem pœniténtiæ in Adámo adhuc innocénte, extitísse.

217. Ex hucúsque dictis circa virtútes, sat supérque patet, quàm imméritò Voltáirius in *Dict. Phil.*, *art. Vertu* áliam non agnóverit virtútem quàm quæ sit *Beneficéntia erga próximum*, subdens: «At quid contínget de virtú«tibus cardinálibus, et theológálibus? «Pleræque eárum in Schólis remansé«runt..... quid vero? Nullæne admit«téndæ erunt virtútes, præter illas, «quæ próximo sunt útiles? Quómodò «possum eas admíttere?» Idque, ipse Voltáirius sibi blandítur probáre, ínquiens: «In societáte vívimus: nobis «ígitur revérà bonum non est, quod bo«num societátis non éfficit.»

Ast verò, ex ipso Voltáirii princípio, ejus retundúntur adsérta. Etenim juxta ipsum, «nobis revérà bonum non est, «quod bonum societátis non éfficit.» Societas áutem, de qua lóquitur Voltáirius, coäléscitnè ex lapíllis, ex arbóribus, ex brutis, an ex éntibus rationálibus? Si ergo societas humána, ex síngulis homínibus coäléscit; nonnè quod síngulos hómines pérficit, in bonum redúndat societátis? Nonnè perféctio partium in bonum redúndat totius? Quàm pulchra, quàm ordináta, quàm mirábilis sese próderet societas, cujûs membra ómnibûs essent tum cardinálibûs, tum theológálibûs exornáta virtútibûs! Tunc enim vitam véluti Adámi innocéntis, non verò peccatóris, in societá-

te, seu in quodam paradíso, agerémus. Tunc síquidem non pullulárent, prout modò púllulant, intemperántia in juvénibus, infidélitas in conjugátis, injustítia in próximum, imprudéntia in agéndo ex ímpetu passiónum, fraus, dolus, crudélitas etc. etc. quæ ómnia ob deféctum virtútum in particuláribus, in damnum vergunt societátis. Sed quid dicéndum de virtútibus theologálibus? Per illas certè benè afficimur erga Deum: et si non sumus benè affécti erga Deum, quáliter benè affécti érimus erga societátem, cujûs Deus princípium est, et finis? Proféctò: Voltáirius ipse, si tum cardinálibûs, tum theologálibûs virtutibûs fuísset instructus, non fuísset, sicut modò est, societáti exitiális. Ipse ergo, si suo velit stáre princípio, vidélicet, quòd illud «nobis revérà bonum «non est, quod bonum societátis non «éfficit,» convíncitur inéptè scripsísse: «quid contínget de virtútibus cardiná- «libus, et theologálibus? Pleræque eá- «rum in schólis remansérunt,» eas è número elíminans virtútum.

APPÉNDIX

DE DONIS, BEATITUDÍNIBUS, ET FRÚCTIBUS SPÍRITUS SANCTI.

§ I.

De donis Spíritûs Sancti.

218. Dona, ut inquit D. Thomas, 1.ª 2.æ *q.* 68, *art.* 1.º, sunt altióres perfectiónes, secúndùm quas homo dispónitur, ut à Deo speciáliter moveátur: «et istæ perfectiónes vocántur dona, «non solùm quia infundúntur à Deo; «sed quia secúndùm ea homo dispóni«tur, ut efficiátur promptè móbilis ab «inspiratióne divína (*ad actus quidem «altióres, quàm sint actus virtútum, et «extraordinário modô*) sicut dícitur «Isáiæ, *cap.* 50: Dóminus apéruit mihi «áurem: ego áutem non contradíco, et «retrórsùm non ábii.» Dicúntur áutem dona Spíritûs S., quia hîs homo à Spíritu S. ágitur, et movétur ad ópera árdua, et extraordinária. Hæc indicávit «Isáias, *cap.* 11, *vv.* 2 *et* 3, hîs verbîs: «Et requiéscet super eum Spíri«tus Dómini, spíritus sapiéntiæ, et in«telléctûs, spíritus consílii, et fortitú«dinis, spíritus sciéntiæ, et pietátis, et «replébit eum spíritus timóris Dómini.» De his ergo quærimus, an dentur per modum hábitûs, seu permanénter, an verò per modum motiónis transeúntis: deíndè, an sint à virtútibus infúsis distíncta. Sit ergo

I. CONCLÚSIO.

Dona Spíritûs S. dantur per modum hábitûs.

219. Prob. 1.º ratióne è D. Thoma, 1.ª 2.æ *q.* 68, *art.* 3, desúmptâ. Christus de Spíritu S. lóquens discípulis, *Joán.*, *cap.* 14, *v.* 17, ait: *Apud vos manébit, et in vobis erit*: Atqui, Spíritus S. non est in homínibus absque donis ejus: Ergo, dona Spíritûs S. in homínibus manent. Ergo, non solùm sunt actus, vel passiónes transeúntes, sed étiam hábitus, seu qüalitátes permanéntes.

220. Prob. 2.º Anima humána est móbilis, vel à ratióne, vel à lúmine grátiæ, et fídei, secúndùm commúnes régulas órdinis naturális; vel à Spíritu S. speciáli impúlsû, præter commúnes régulas natúræ, et grátiæ: Atqui, ut connaturáliter, et fácilè possit movéri à ratióne, dispónitur per virtútes moráles acquisítas; ut áutem possit movéri à lúmine fídei, et grátiæ, dispónitur per virtútes moráles infúsas; Ergo, ut connaturáliter, et fácilè possit movéri à Spíritu S., debet étiam per áliqua dona habituália dispóni, ut sic homo dispósitus inveniátur ad eliciéndas nedùm actiónes commúnes, et ordinárias; verùm étiam ad eliciéndas actiónes præter commúnes régulas natúræ, et

grátiæ. Hinc Gregórius, *lib.* 2 *Moral.*, *c.* 56, inquit: «ália namque sunt dona «illíus (Spíritûs S.) sinè quibus ad vitam «nequáquàm pertíngitur... in his ígitur «donis sinè quibus ad vitam perveníri «non potest, S. Spíritus... in Eléctis «ómnibus semper manet.» Ergo, dona Spíritûs S. dantur per modum hábitûs, seu permanénter.

II. CONCLÚSIO.

Dona Spíritûs Sancti sunt septem

221. Prob. Isáiæ, *c.* 11, *vv.* 2, *et* 3, légitur: «Requiéscet super eum (Chris-«tum), spíritus Dómini; spíritus sapién-«tiæ, et intelléctûs, spíritus consílii, et «fortitúdinis, spíritus sciéntiæ, et pie-«tátis, et replébit eum spíritus timóris «Dómini:» Atqui, ut patet, hìc numerántur dona spíritûs Dómini, seu Spíritûs S.: Ergo, septem sunt dona Spíritûs Sancti.

222. Nos non præterit, Calvínum, *lib.* 4 *Just.*, *c.* 19, § 22, conténdere, Isáiam c. 11, sex dumtáxat dona Spíritûs S. enumeráre; indéque Calvínus suggíllat, Scholásticos támquàm hebräici textûs ignáros: conténdit enim quòd ubi nos légimus: *Spíritum pietátis*, et *timóris Dómini*, in Hebræo legi unum dumtáxat vocábulum, quod, non pietátem, sed solùm timórem éxprimit. Sed inéptè garrit Calvínus: etsi enim in hebræo textu unum sit vocábulum, pro quo nos habémus duo, nimírum pietátis, et timóris; quia tamen illud in hebræo est repetítum, et quidem non sinè cáusa; ídeò Septuagínta Intérpretes rectè illud duábûs distínctis vócibûs, nempè pietátis, et timóris, reddidérunt. Hierónymus, qui magis quàm Calvínus erat hebräicè, et græcè perítus, Septuagínta Intérpretes secútus est in prædictum caput 11 Isáiæ. Eúmdem loquéndi modum tenuére ex Vetéribus Græcis Orígenes, *homil.* 6 *in Numer. et homil.* 3 *in Isáiam;* ex Latínis áutem, Ambrósius *lib.* 1 *de Spíritu S.*, *c.* 20; *Augst. lib.* 2, *de Doctr. Christ.*, *c.* 7, *et lib.* 1 *de Serm. Dómini in monte*, *c.* 4; et S. Gregórius, *lib.* 1 *Moral.*, *c.* 27. Méritò ígitur observárunt Intérpretes, vocábulum hebræum duo significáre, nimírùm timórem, et reveréntiam, ac proindè étiam pietátem: sicut étiam apud Latínos, timor impórtat, non solùm metum, sed reveréntiam quoque, quæ étiam à pietáte respícitur; ut constat ex eò quod *Job.*, *c.* 28, dixit: *Timor Dómini ipsa est sapiéntia;* ab August., *lib. de Spíritu, et líttera. c.* 11, réddìtur: *Ecce pietas est sapiéntia.* Tandem, etsi darémus Calvíno, quod non damus, textum hebräicum à Vulgáta différre in donis Spíritûs S. dinumerándis, stáre debémus Vulgátæ à Concílio Tridentíno támquam authéntica declarátæ, *Sess.* 4, *c.* 4, quod quidem de textu hebräico dici nequit.

223. Declarátur Conclúsio doctrínâ D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 68, *art.* 4. Spíritus S., aut intelléctum movet, aut appetítum. Si intelléctum, vel pérficit eum quantùm ad apprehensiónem, et judícium, ut divína benè cápiat, ac pénetret, et ad hoc est donum *Intelléctûs:* vel pérficit eum quantùm ad judícium, modò resolutívò, quò homo státuat, quâ ratióne se habére débeat erga res omnes tam divínas, quàm humánas, eásque, sive in generáli, sive in particulári; si pérficiat in generáli circa res divínas, ad hoc datur donum *Sapiéntiæ;* si in generáli circa res humánas, est donum *Sciéntiæ*; si circa particulária agibília, est donum *Consílii*. Si verò Spíritus S. movet appetítum; vel eum pérficit ad ea, quæ sunt ad álterum; et ad hoc est do-

num *Pietátis*; vel in his quæ sunt ad ipsum, et tunc, vel ut nullâ difficultáte retrahátur à prosecutióne boní árdui; et ad hoc est donum *Fortitúdinis*; vel ut illícitas delectatiónes réspuat, et ad hoc est donum *Timóris*.

Pro uberióri Tyrónum instructióne, et intelligéntiâ, hæc de síngulis donis subjícimus.

Donum *Sapiéntiæ* est hábitus, quô homo dispónitur, ut sit promptè móbilis à Spíritu S. ad benè judicándum de rebus divínis, étiam excellentiórî, et extraordinário modô cógnitîs, et quómodô sit eis inhæréndum, et ab oppósitis recedéndum.

Donum *Intelléctûs* est hábitus, quô áliquis dispónitur, ut peculiárî instínctû movéri possit ad divína rectè capiénda, et juxta suam conditiónem, vel penetránda, vel assequénda.

Donum *Sciéntiæ* est hábitus, quô homo dispónitur ad hoc, ut ex speciáli illustratióne possit cognóscere de rebus humánis, non utcúmque, sed quátenùs nos ad Deum ducunt: lóquimur enim hic de sciéntia christiána, cui non est tribuéndum quidquid potest ab hómine sciri; sed tantùm ea, quæ ad salútem ánimæ spectant.

Donum *Consílii* est hábitus, quô dispónimur, et prompti réddimur ad benè deliberándum, et resolvéndum, quid in rebus difficilióribus, præsértim inopinátis, ad salútem, aut ad Dei glóriam pertinéntibûs, óptimum factû sit.

Donum *Fortitúdinis* est hábitus, quô prompti réddimur vel ad fortî ánimô tolerándum advérsa, máximè inexpectáta; vel ad grávia, ac insólita perícula aggrediéndum.

Donum *Pietátis* est hábitus, quô benè dispónimur erga Deum, ejúsque cultum, speciáliter in cásibus extraordinários: et in hoc díffert à virtúte Religiónis, quæ in cásibus ordinários per prudéntiam infúsam regulátur.

Donum *Timóris Dei* est hábitus, quô dispónimur ad promptè, ac vehementiórî, et extraordinário modô recedéndum à malis præsértim à delectatiónibus, et concupiscéntiis.

Donum ergo *Intelléctûs* ácuit, et pérficit méntem ad judicándum de divínis, ex connaturalitáte quádam ad divína, seu experiéntiâ, et gustû circa ea, ex speciáli unióne cum Deo percéptô, juxta illud Ap. Pauli, 1 *ad Cor.*, *c.* 6, *v.* 17: «Qui adhæret Dómino, unus spíritus «est.» Ex eádem experiéntia, et gústu júdicat *Sapiéntia* de rebus divínis per cáusas altíssimas, et Sciéntia per cáusas inferióres, et humánas; et donum *Consílii* eádem experiéntiâ movétur ad ea, quæ faciénda sunt, dirigénda. Quibûs appáret differéntia horum donórum, non solùm inter se, et à sciéntiis naturálibus, quæ inquisitióne, et stúdiô procédunt; sed étiam à fide, quæ licèt donórum sit fundaméntum, et radix, non tamen in res divínas fertur, ut cógnitas hujúsmodi experiéntiâ, et gustù divinórum, prout alláta dona feruntur; sed fides únicè fertur in divína lúmine revelatiónis obscúræ. His videbátur allúdere S. Ignátius de Loyóla, cùm, post claras illustratiónes, quibûs Manréssæ à Deo fuit recreátus, dícere sólitus erat: «Si sa«cræ lítteræ non extárent, se tamen pro «fide mori parátum, ex his solùm, quæ «sibi Manréssæ patefécerat Dóminus.»

Quoad dona verò ad appetítum spectántia, donum *Pietátis* éxhibet Deo cultum, per instínctum Spíritûs S., modô extraordinário, ac Deum colens præcísè quia in se magnus est, et cum quadam velut annihilatióne, et spoliatióne ab ómnibus, quæ Deus nobis confert. In hoc díffert donum *Pietátis*, nedùm à virtúte Religiónis, ut suprà innúimus; sed étiam à

Pietáte, ut virtus est: hæc enim, ut ait D. Thom. in 3 *Dist.* 34, *quæst.* 3, *art.* 2, *quæstiunc.* 1, *ad* 1, «áccipit áliquid hu-«mánum pro mensúra, scílicet benefí-«cium à Deo accéptum, ratióne cujûs (ho-«mo) est débitor ei. Sed piétas, quæ est «donum, áccipit in hoc áliquid divínum «pro mensúra, ut, scílicet, Deo honó-«rem impéndat, non quia sit ei débitus «(propter áliquod benefícium à Deo ac-«céptum), sed quia Deus (in semetípso, «et propter semetípsum) honóre dignus «est; per quem modum étiam ipse Deus «sibi honóri est.»

Donum *Fortitúdinis* modô super humánô, et super régulas prudéntiæ, firmat ánimum contra perícula. Hôc donô Jónathas cum solo armígero exércitum hóstium aggréssus est; Samsón rupit víncula; Christus in horto trepidatiónem natúræ, ob mortem imminéntem, superávit, ac álii ália fórtiter gessérunt, ut tradit história.

Donum *Timóris* importat quámdam excelléntem subjectiónem reverentiálem ad Deum, ob ejus eminéntiam, et potestátem: quâ ratióne hoc donum fuísse in Christo, docet D. Thom. 3 *Part.*, *quæst.* 7, *art.* 6, ínquiens: «Prout, «scílicet, ánima Christi quodam afféctu «reveréntiæ movebátur in Deum, à Spí-«ritu Sancto acta.»

§ II.

De Beatitudinibus.

224. Beatitúdines appellántur ópera quædam exímia virtútum, ac præcípuè donórum, quátenùs peculiárî quadam ratióne condúcunt ad veram, ac cœléstem beatitúdinem adipiscéndam. Id dissértîs verbîs éxprimit D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 70, *art.* 2, ínquiens: «Ad «ratiónem beatitúdinis requíritur, quòd «sit áliquid perféctum, et excéllens.»

Ex his patet, quòd beatitúdines distingüúntur quidem à virtútibus et donis; ast verò, non sicut hábitus ab eis distíncti, sed sicut actus ab habítibus distingüúntur. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 69, *art.* 1.

Evangelísta Matthæus, c. 5, tradit, octo esse beatitúdines; Evangelísta verò Lucas, c. 6, tradit, tantùm quátuor: ne tamen alícui occúrrat dissonántiam adésse inter hos Evangelístas, duplex adhibétur ab erudítis respónsio. Prima, quòd Christus dúplicem prótulit sermónem circa beatitúdines; álium hábuit in monte, et hunc refert Matthæus, c. 5; álium hábuit post descénsum è monte, et hunc refert Lucas, c. 6. Cùm ergo juxta hanc senténtiam non únicus, sed duplex fúerit sermo Dómini circa beatitúdines, non datur implicántia quòd in uno Sermóne octo volúerit exprímere beatitúdines, et in álio dumtáxat quátuor: Hujus ratiónem réddere póssumus verbîs D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 64, *art.* 3, *ad* 6: «Dicén-«dum, quòd Lucas narrat Sermónem «Dómini factum esse ad turbas. Undè «beatitúdines enumerántur ab eo, se-«cúndùm capacitátem turbárum, quæ «solam voluptuósam et temporálem, et «terrénam beatitúdinem novérunt. Un-«dè Dóminus per quátuor beatitúdines, «quátor exclúdit, quæ ad prædíctam bea-«titúdinem pertinére vidéntur. Quórum «primum est, abundántia bonórum ex-«teriórum; quod exclúdit per hoc, quod «dicit: *Beati páuperes.* Secúndum est, «quòd sit benè hómini quántùm ad cor-»pus in cibis, et pótibus, et áliis hujús-«modi; et hoc exclúdit per secúndum, «quod ponit: *Beáti, qui esuritis.* Tér-«tium est, quòd sit hómini benè quán-«tùm ad cordis jucunditátem; et hoc «exclúdit, tértiò dicens: *Beáti qui nunc*

«*flétis*. Quártum est, extérior hóminum «favor; et hoc exclúdit quártò, dicens: «*Beáti éritis, cúm vos óderint hómines.*» Dóminus áutem locútus est de beatitudínibus, nedùm ad turbas, sed étiam ad Apóstolos, qui erant præ turbis capaciores, et ídeò álias ipsis expréssit beatitúdines, quæ captum superábant turbárum; undè nihil mirum, Evangelístam Matthæum omnes beatitúdines referéntem, quas Christus expréssit, plures enumerásse, quàm Evangelístam Lucam, qui ut ex D. Thoma adnotávimus, eas tantùm enumerávit, quæ erant *secúndùm capacitátem turbárum*. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 69, *art.* 3.

Sunt áutem, qui conténdunt, non dúplicem, sed unum tantùm fuísse sermónem Dómini circa beatitúdines: quô pósitô, ne dicátur, Evangelístam Lucam ésse contrárium Matthæo in beatitudínibus enumerándis, dici potest cum D. Ambrósio, *lib.* 5, *in Luc.* quem, et D. Thomas refert in *Caténa Aurea*: Utrúmque Evangelístam habuísse ratiónem sui númeri: hábuit quidem Lucas, cum volúerit quátuor virtútes cardináles amplécti, ut enim ait Ambrósius, «paupértas pértinet ad temperántiam, «quæ illecebrósa non quærit: esúries ad «justítiam, quia qui esúrit, compátitur, «et compatiendô, largítur: fletus ad «prudéntiam, cujûs est flere occídua: «pati ódium hóminum, ad fortitúdinem.» Hábuit et Matthæus ratiónem sui númeri: ut enim ait id. Ambros. ibid. «Hic (*Lucas*) quátuor velut virtú«tes ampléxus est cardináles; ille (Mat«thæus) in illis octo mysticum númerum «reserávit,» compléctens omnes álias beatitúdines, quæ in Sacra Scriptúra expréssæ reperiúntur. Ut enim díscimus ex D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 64, *art.* 3, *ad* 4, «necésse est, beatitúdines om«nes, quæ in Sacra Scriptúra ponún«tur, ad has (*quas refert Matthæus*) re«dúci..... Undè quod dícitur Job., *c.* «5, *v.* 17: *Beátus vir, qui corrípitur «à Dómino*, pértinet ad beatitúdinem «luctûs; quod verò dícitur psalm. 1, «*v.* 1: *Beátus vir, qui non ábiit in «consílio impiórum*, pértinet ad mun«dítiam cordis; quod verò dícitur Pro«verb., *c.* 3, *v.* 13: *Beátus vir, qui «invénit sapiéntiam*, pértinet ad præ«mium séptimæ beatitúdinis. Et idem «patet de ómnibus áliis, quæ possunt «indíci.»

§ III.

De Frúctibus Spíritûs Sancti.

225. Observándum est, quòd nomen *fructûs*, á corporálibus ad spirituália transfértur. Et sic non imméritò dicúntur áliqui esse fructus Spíritûs S. Ad quorum intelligéntiam præmonére opórtet, quòd nomen fructûs in spirituálibus dupliciter accípitur: unô modô, fructus dicitur id, quod homo producit; áliô modô id, quod homo adipíscitur, non quomodocúmque, sed últimô, et cum delectatióne. Juxta priórem modum, fructus in spirituálibus est actus, undè Ambrósius, *lib. de Paradíso*, *c.* 13, inquit: «Ópera virtútum dicúntur «fructus, quia suos possessóres sanctâ, «et sincérâ delectatióne refíciunt.» Sicut enim in corporálibus hoc vocátur fructus árboris, quod ex árbore procédit, cùm ipsa pervénerit ad perfectiónem, ita ut neque fólia, neque flores próprié dicántur fructus árboris, sed últimum, quod ex ipsa percípitur cum delectatióne; sic in spirituálibus, fructus dicúntur operatiónes, sive actus boni, qui ab hómine fiunt: et si quidem fiant ab hómine secúndùm facultátem suæ ratiónis, dicúntur esse fructus ratiónis,

si verò procédant ab hómine secúndùm altiórem virtútem, quæ est virtus Spíritûs Sancti, sic fructus Spíritûs Sancti appellántur, quô sensû nunc de his sermonem institúimus.

Indè fluit, Spíritûs Sancti fructus descríbi posse : «Bona ópera per grátiam «Spíritûs Sancti facta, in quibus homo «delectátur :» undè August. *in* 10, *de Trinit.*, *c.* 10 : «Frúimur cógnitis, in «quibus volúntas ipsa delectáta con«quiéscit.» Quæ ut sanè intelligántur, advertèndum est cum D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 70, *art.* 1, *ad* 2. Quòd homo potest delectári in áctibus virtuósis, non sicut in último fine, sed propter honestátem, quam cóntinet id, quod est delectábile in áctibus virtuósis, ad modum quô infírmus delectátur in medicína suávi, étiam propter gratum sapórem in ipsa conténtum.

226. Apost. Páulus, *epist. ad Galat.*, *c.* 5, duódecim número rat fructus Spíritûs S. vidélicet : *Cháritas*, *Gáudium*, *Pax*, *Patiéntia*, *Benignitas*, *Bónitas*, *Longanímitas*, *Mansuetúdo*, *Fides*, *Modéstia*, *Continéntia*, *Cástitas*.

Hos fructus fuísse ab Apóstolo conveniénter enumerátos, nitidíssimè éxplicat D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 70, *art.* 3, hîs verbîs : «Quia fructus dí«citur, quod ex áliquo principio procédit «sicut ex sémine, vel radíce, attendén«da est distínctio hórum frúctuum se«cúndùm divérsum processum Spíritûs «Sancti in nobis. Qui quidem processus «attènditur secúndùm hoc, ut primò «mens hóminis in seípso ordinétur ; se«cúndò verò ordinátur ad ea, quæ sunt «juxta ; tértiò verò, ad ea, quæ sunt «ínfra. Tunc áutem benè mens hóminis «dispónitur in seípsa, quándò mens hó«minis benè se habet in bonis, et in ma«lis. Prima áutem dispositio mentis hu«mánæ ad bonum est per amórem, qui «est prima affèctio, et ómnium affectió«num radix ; et ídeò, inter fructus Spí«ritûs primò pónitur Cháritas, in qua «speciáliter Spíritus S. datur, sicut in «propria similitúdine, cùm et ipse sit «Amor : undè dícitur Rom., *c.* 5, *v.* 5 : «*Cháritas Dei diffúsa est in córdibus nos«tris per Spíritum Sanctum, qui datus «est nobis :* Ad amórem áutem charitátis «ex necessitáte séquitur Gáudium : omnis «enim amans gáudet ex conjunctióne «amáti ; cháritas áutem semper habet «præséntem Deum, quem amat, secún«dùm illud 1 *Joán.*, *c.* 4, *v.* 16 : *Qui «manet in Charitáte, in Deo manet, «et Deus in eo* Undè seqüela charitá«tis est Gáudium. Perféctio áutem gáu«dii est pax, quantùm ad duo. Primò «quidem, quantùm ad quiétem ab ex«terióribus conturbántibus : non enim «potest perfèctè gaudére de bono amá«to, qui in ejus fruitióne ab áliis per«turbátur : et ítemùm, qui perfèctè cor «habet in uno pacátum, à nullo álio mo«lestári potest, cùm ália quasi nihil ré«putet : undè dícitur in Psalm. 118, *v.* «165 : *Pax multa diligéntibus legem «tuam, et non est illis scándalum*, quia «scílicet ab exterióribus non perturbán«tur quin Deo fruántur. Secúndùm, ad «sedatiónem desidérii fluctuántis : non «enim perfèctè gáudet de áliquo cui non «súfficit id, de quo gáudet. Hæc áutem «duo impórtat Pax, scílicet, ut neque «ab exterióribus perturbémur, et ut de«sidéria nostra conquiéscant in uno. «Undè post charitátem, et Gáudium ter«tiò pónitur Pax.

«In malis áutem, benè se habet mens «quántùm ad duo. Primò quidem, ut «non perturbétur mens per imminén«tiam malórum ; quod pértinet ad Pa«tiéntiam. Secúndò, ut non perturbé«tur in dilatióne bonórum ; quod pér«tinet ad Longanimitátem : nam carére

«bonô habet ratiónem mali, ut dícitur in «5, Ethic., c. 3.

«Ad id áutem, quod est juxta hómi- «nem, scílicet, Próximum, benè dispó- «nitur mens hóminis, primò quidem «quántùm ad voluntátem benefaciéndi; «et ad hoc pértinet *Bónitas*: secúndò, «quántùm ad beneficéntiæ excutiónem: «et ad hoc pértinet Benígnitas. Dicún- «tur énim benígni, quos bonus ignis «amóris fervére facit ad benefaciéndum «Próximis: tértiò quántùm ad hoc «quod æquanímiter tolleréntur mala ab «eis illáta; et ad hoc pértinet Mansue- «túdo, quæ cóhibet iras: quártò quán- «tùm ad hoc, quod non solùm per iram «Próximis non noceámus, sed étiam ne- «que per fraudem, vel per dolum; et «ad hoc pértinet Fides, si pro fidelitáte «sumátur; sed si sumátur pro fide, quâ «créditur in Deum, sic per hanc ordi- «nátur homo ad id, quod est supra se, «ut, scílicet, homo intelléctum suum «Deo subjíciat, et per conséquens óm- «nia, quæ ipsíus sunt.

«Sed ad id, quod infra est, benè dis- «pónitur homo, primò quidem quántùm «ad exterióres actiónes per Modéstiam, «quæ in ómnibus dictis, et factis mo- «dum obsérvat: quántùm ad interióres «concupiscéntias, per Continéntiam, et «Castitátem, sive hæc duo distingúan- «tur per hoc, quod cástitas refrænat «hóminem ab illícitis, Continéntia ve- «rò à lícitis; sive per hoc quod Cón- «tinens pátitur concupiscéntias, sed non «dedúcitur; Castus áutem neque páti- «tur, neque dedúcitur.»

227. Schólion. Apóstolus enúmerans hos duódecim fructus Spíritûs S., mí- nimè censéndus est discordáre à Dómi- no, qui secúndùm Matthæum, *c.* 13, tríplicem tantùm pósuit terræ bonæ, seu hóminis virtuósi fructum ex spirituáli sémine proveniéntem, scílicet, *centé- simum*, *sexagésimum*, *et trigésimum*; nam ut ait D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 70, *art.* 3, *ad* 2: «Fructus centési- «mus, sexagésimus, et trígésimus non «diversificántur secúndùm divérsas spé- «cies virtuosórum áctuum, sed secún- «dùm divérsos perfectiónis gradus étiam «unius virtútis; sicut continéntia con- «jugális dícitur significári per fructum «trigésimum; continéntia viduális per «sexagésimum; virginális áutem, per «centésimum. Et álîs étiam modîs, «Sancti distínguunt tres evangélicos «fructus, secúndùm tres gradus virtú- «tis: et ponúntur tres gradus, quia cu- «júslibet rei perféctio atténditur secún- «dùm princípium, médium et finem.» Vid. D. Thom., 1 *Part.*, *quæst.* 5, *art.* 5.

CAPUT II.

DE VÍTIIS, ET PECCÁTIS.

228. Theólogo magnópere incumbit de vítiis, ac peccátis pertractáre, ut eórum turpitúdine revelátâ, et malítiâ perspéctâ, ab his humánus ánimus, ut par est, deterreátur. Cùm verò oppósita, si juxta se ponántur, magis elucéscant; idcírco, D. Thomæ órdinem insequéntes, tractátui de Virtútibus, quem modò absólvimus, tractátum subjícimus de Vítiis, et Peccátis.

§ I.

De Vitiis.

Vítium secúndùm nóminis ætimológiam à *Vito* dícitur, eò quòd vitándum sit, ac fugiéndum. Secúndùm rem áutem, vítium est dispósitio pérmanens in hómine, indúcens ad actus régulæ ratiónis advérsos. Sunt, qui vítium confúndunt cum peccáto; sed inmérito: nam vítium, próprié loquéndô, est dispósitio pérmanens ad malum inclínans; peccátum verò non est nisi actus inordinátus. Hæc elegánter, et véluti ad óculum depínxit S. August., *lib. de Perfect. just.*, *c.* 2, inquiens: «Ipsum sané vítium, «quô claudícat homo, nec pes est, nec «corpus, nec homo, nec ipsa claudicá«tio; quæ útique non est, quándò non «ámbulat, cùm tamen insit vítium, quô «fit claudicátio, quándò ámbulat. Sic, «et in hómine interióre ánimus res est, «rápina actus est, avarítia vítium est, «id est, quálitas, secúndùm quam ma«lus est ánimus, étiam quándò nihil «agit, undè avarítiæ suæ sérviat, étiam «quándò audit: Non concupísces; seque «vitúperat, et tamen avárus manet.» Sic páriter, qui rétinet hábitum, puta blasphemándi, blasphémus est, étiam quándò non blasphémat; quándò verò blasphémat, próprié loquéndô, illa blasphémia est actus, qui transit, et non hábitus, qui pérmanet; et ipsa blasphémia est sóboles vítii, seu pravæ qualitátis in hómine permanéntis. Ex quibus patet, peccátum non esse cum vítio confundéndum, sed ab ipso distíngui.

Tum vítium, tum peccátum, virtúti opponúntur, sed diversímodè: nam, ut advértit D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 71, *art.* 1. In virtúte tria possunt considerári. Primùm, quòd sit quædam dispósitio alicújus convenién'ter se habéntis secúndùm modum suæ natúræ. Secúndum, quòd sit quædam bónitas. Tértiùm, quòd ad actum bonum ordinétur. Quibûs præsuppósitis subjúngit ibídem S. Doctor: «Secúndùm hoc ígitur tria «inveniúntur oppóni virtúti. Quorum «unum est peccátum, quod oppónitur «sibi ex parte ejus ad quod virtus ordi«nátur: nam peccátum próprié nómi«nat actum inordinátum, sicut actus «virtútis est actus ordinátus, et débi«tus. Secúndùm áutem quod ad ratió«nem virtútis consequitur, quód sit bó«nitas quædam, oppónitur virtúti malí«tia. Sed secúndùm id, quod diréctè est «de ratióne virtútis, oppónitur virtúti

«vítium: vítium enim uniúscujúsque «rei esse vidétur quòd non sit dispó- «sita secúndùm quod cónvenit suæ «natúræ.»

§ II.

De Peccátis.

229. De peccátis speciátim locutúri, observándum est, várias esse peccáti acceptiónes. Quandóque enim accípitur pro hóstia, quæ pro peccáti expiatióne offértur, sic Oséæ, *c.* 4: *Peccáta pópuli mei cómedent*, et 2, *ad Cor. c.* 5: *Eum, qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit*, id est, sacrifícium pro peccáto, ut expónit August. *lib.* 2, *de pec. orig.*, *c.* 32, et álibi. Secúndò, peccátum aliquándò súmitur, tum pro cáusa, vel occasióne peccáti, tum pro peccáti pœna, vel efféctu: pro cáusa quidem, vel occasióne peccáti, juxta illud Deuteronómii, *c.* 9: «Peccá- «tum vestrum, quod fecerátis, arrípiens, «igne combússi.» Combússit áutem vítulum, qui cáusa fuit, et occásio peccáti Israëlitárum: súmitur áutem peccátum pro pœna, vel efféctu, ut *Lev.*, *c.* 20: «Portábunt ambo peccátum suum.» Tértiò súmitur generáliter peccátum pro quocúmque actu deficiénte à lege, sivè in naturálibus; et hòc modò monstrum dícitur peccátum natúræ; sive in artificiálibus; et hòc modò quæ ártifex commíttit à régula suæ artis abèrrans, artis peccáta nuncupántur; sive in morálibus, et hòc modò actiónes à régula ratiónis discordántes, appellántur peccáta. Sed préssiùs loquéndò, peccátum súmitur pro actióne mala in génere moris. Undè sit

CONCLÚSIO.

230. Peccátum in génere moris rectè definitur ab Augustíno *lib.* 22, *contra Faust.*, *c.* 27: «Dictum, factum, vel concupítum contra legem ætérnam.»

Explicátur, simul et probátur definítio. Illa definítio est legítima, quæ cóntinet materiále, et formále definíti: prædícta áutem definítio cóntinet materiále, et formále peccáti: materiále quidem, cùm dícitur, *dictum*, *fáctum*, *vel concupítum;* formále áutem, cùm ádditur, *contra legem ætérnam;* ex eo enim áliquid peccátum est, quia legi ætérnæ repúgnat, cui si non repugnáret, mínimè peccátum esset.

D. August. peccátum dixit esse contra legem Dei ætérnam, non éxprimens contra *rectam ratiónem*; eò quia, ut ait Thom., 1.ª 2æ *quæst.* 71, *art.* 6, *cap.* 5.: «A theólogis considerátur pec- «cátum præcipuè secúndùm quod est «offénsa contra Deum; à Philósopho áu- «tem moráli, secúndùm quod contrariá- «tur ratióni. Et ídeò August. convenién- «tiùs definit peccátum ex hoc, quod est «contra legem ætérnam, quàm ex hoc «quod est contra ratiónem; præcipuè «cùm per legem ætérnam regulémur in «multis, quæ excédunt ratiónem huma- «nam, sicut in his quæ sunt fídei.»

Quámvis in definitióne exprimántur tantùm, *dictum*, *factum*, *et concupítum*, quæ sunt peccáta commissiónis; intelligéndum est étiam, *non dictum*, *non factum*, *non concupítum*, quæ quidem sunt peccáta omissiónis; ut enim ibid. *ad* 1, ait D, Thom. «affirmátio, et ne- «gátio, reducúntur ad idem genus, si- «cut in divínis génitum, et ingénitum «ad relatiónem, ut August. dicit in 5, «de Trinit. c. 6, et 7. Et ideò pro eó- «dem est accipiéndum, dictum, et non

«dictum ; factum, et non factum.»

Etsi commúniter dicátur, peccátum veniále non esse *contra* legem ætérnam, sed præter ipsam, comprehénditur tamen in prædícta definitióne, quia, út scitè advértit D. Thom., *ibid. ad* 3: «Lex ætérna primò et principáliter ór»dinat hóminem ad finem, consquénter «áutem facit hóminem benè se habére «circa ea, quæ sunt ad finem: et ideò «in eo quod (definítio) dicit contra le«gem ætérnam, tangit aversiónem à fi«ne, et omnes áliàs inordinatiónes.» Profectò : peccátum veniále non avértit á fine último, quia potest esse cum charitáte : et ex hoc cápite commúniter dicitur non esse contra legem ; áttamen, reténtò últimò fine, déficit in his, quæ sunt ad finem, quæ aberratiónes, seu defectus non sunt legi confórmes ; et ex hoc cápite (quia scílicet non avértit ab último fine) peccátum veniále dícitur esse præter legem. Ex quibus patet, peccátum veniále non fuísse ab Augustíno in definitióne prætermíssum, cùm per ly contra *legem ætérnam* tangat *aversiónem à fine*, et omnes álias inordinatiónes, quæ útique sunt peccáta veniália, quia ut dictum est, reténtô fine, defíciunt in his, quæ sunt ad finem.

231. Schólion. Augustínus in hac definitióne solùm inténdit peccátum actuále definíre ; mínimè verò peccátum, quod ajunt habituále , quod est mácula ex peccáto actuáli relícta in ánima; nec peccátum originále, quod cum natúra à Proto Paréntibus contráhimus.

—

§ III.

An detur peccátum purè philosóphicum?

232. Peccátum philosóphicum quoad nomen, et rem, retröáctis sæculis inaudítum, primò in públicum pródiit annò 1686, occasióne quarúmdam thésium Divióne mense Júnii evulgatárum , in quárum unâ hæc legebántur : «Peccá«tum philosóphicum, seu morále, est «actus humánus disconvéniens natúræ «rationáli, et rectæ ratióni : theológi«cum verò, et mortále est transgréssio «líbera legis divínæ. Philosóphicum, «quantúmvis grave, in illo qui Deum «ignórat, vel de Deo actù non cógitat, «est grave peccátum ; sed non est offén«sa Dei, neque peccátum mortále dis«sólvens amicítiam Dei, neque ætérnâ «pœnâ dignum.»

Ex his patet, juxta hujus propositiónis Auctórem posse peccátum esse purè philosóphicum, id est, disconvéniens natúræ rationáli, et rectæ ratióni, non áutem contra legem Dei ætérnam, ex dúplici cápite; vel quia, qui peccat, Deum ignórat ; vel quia de Deo actù non cógitat. Contra ipsum ergo sit

I. CONCLÚSIO.

Peccátum purè philosóphicum, Dei ignorántiam præsuppónens, admitti nequit.

233. Prob. 1.° Concl. Vel Áuctor propositiónis, quam refèllimus, suppónit in peccatóre ignorántiam de Deo invincíbilem, vel vincíbilem. Atqui, in néutro casu admítti potest peccátum purè philosóphicum, quod non sit offénsa Dei: Ergo, etc. Prob. min. quoad 1 partem. Si Áuctor suppónit in peccatóre igno-

rántiam invincíbilem, falsô labórat suppósitô: ut enim, *Tom.* 2.°, *pag.* 28, *n.* 36, *et seqq.*, osténdimus, Nemo ad usum ratiónis pervéniens, potest laboráre ignorántiâ invincíbilî existéntiæ Dei, ut Auctóris naturális, quod et August., *Tract.* 106, *in Joán.*, expréssit, ínquiens: «Hæc est vis veræ Divinitátis, «ut creatúræ rationáli jam ratióne uténti non omnínò ac pénitùs possit abscóndi.» Ergo, etc.

234. Prob. 2.° Idem Auctor rursùs labórat novô falsô suppósitô, vidélicet, quòd áliquis possit peccáre contra rectam ratiónem, quin peccet contra legem Dei ætérnam. Hujus contrárium evíncunt hæc D. Thomæ luculentíssima verba, 1.ª 2.æ *quæst.* 71, *art.* 2, *ad* 4. «Quidquid est contra ratiónem artificiáti, est étiam contra natúram artis, quâ «artificiátum prodúcitur. Lex áutem «ætérna comparátur ad órdinem ratiónis humánæ, sicut ars ad artificiátum. «Undé ejúsdem ratiónis est quòd vítium, «et peccátum sit contra órdinem ratiónis «humánæ, et quòd sit contra legem ætérnam. Undè Augustínus dicit in 3.° de «lib. arb., cap. 6, quòd à Deo habent «omnes natúræ quòd natúræ sunt, et in «tantùm sunt vitiósæ, in quantùm ab «ejus, quâ factæ sunt, arte discédunt.»

Falsô ergo suppónitur, peccátum dari posse, quod sit contra ratiónem, et tamen non sit contra legem ætérnam. Ergo, admítti nequit peccátum puré philosóphicum, quod non sit Dei offénsa.

235. Prob. 3.° Alexánder VIII, an. 1690, die Augústi 24 damnávit propositiónem statuéntem peccátum philosóphicum ita à theológico distínctum, ut hoc sit, non verò illud, offensa Dei. Atqui, imméritò talem damnásset propositiónem, si posset dari ignorántia invincíbilis de Deo, aut si quis posset peccáre contra ratiónem, non verò contra Deum: Ergo, etc. Vid. *tom.* 2, *pag.* 29, *num.* 33.

236. Prob. 2.ª pars minóris prióris syllogísmi, vidélicet, non posse admítti peccátum puré philosóphicum, si supponátur, peccántem laboráre vincíbili ignorántiâ de Deo. *Psalm.* 78, *v.* 6, légitur: «effúnde iram tuam in gentes, quæ te «non novérunt: Atqui, Deus non effúndit iram suam in eos, qui ipsum non offéndunt: Ergo, ex quo effúndat iram suam in gentes, quæ ipsum non novérunt, constat has gentes ipsum offendísse: non áutem ipsum offendíssent, si eárum ignorántia de ipso fuísset invincíbilis, hæc enim excúsat à peccáto, *vid. num.* 77. Ergo, si supponátur, peccántem laboráre ignorantiâ vincíbilî de Deo, admítti nequit, quòd quis possit peccáre contra ratiónem, quin peccet in Deum, neque ipsum offéndat.

Prob. 2.° Christus, tum *Matth. c.* 25, tum *Joán.*, *c.* 5, státuit últimam sortem, quam omnes, étiam gentes, quæ Deum non novérunt, habitúri sunt; nempè, omnes resurrectúros, vel ad vitam, vel ad judícium; omnes ponéndos, vel à dextris, vel à sinístris; et qui à dextris, in vitam ætérnam itúros, qui à sinístris, in supplícium ætérnum: Christus hic non admíttit médium.

Si áutem peccátum philosóphicum darétur, quod non esset Dei offénsa, nec pœnâ ætérnâ dignum, admitténdum foret médium, in quo collocaréntur, qui enórmia peccáta philosóphica admíserunt: existimáre enim non licet, Neránem, Calígulam, Domitiánum, aliósque vel Atheos, vel veri Dei contemptóres, enórmibûs flagítiis sordidátos, ad vitam surrectúros, à dextris ponéndos, ac in vitam ætérnam itúros. Ergo, dícere tenémur, vel ad judícium surrectúros, ponéndos à sinístris, in supplícium ætérnum itúros, vel in médio collocándos. Ergo, cùm hoc médium non detur, di-

céndum ponéndos esse à sinístris, ac æternálibus flammis adjudicándos, quin ab his eos líberet, quòd Deum ignoráverint. Tantâ áutem pœnâ Deus non punit, nisi eos, qui crímina commíserint, quæ sint Dei offénsa, æternâque pœnâ digna: Ergo, admítti nequit peccátum purè philosóphicum, quod non sit Dei offénsa.

Animadvértant tamen Tyrónes, quòd párvuli decedéntes cum originâli peccáto, et in sinístris collocabúntur in die judícii, non tamen sunt confundéndi cum adúltis, qui Deum ignoráverint. Vid. quæ infra dicéntur à num. 304 usque ad 321.

II. CONCLÚSIO.

Peccátum purè philosóphicum neque admítti potest in eo, qui, quantúmvis Deum non ignóret, de Deo áutem actû non cógitat.

237. Prob. Concl. Si peccátum merè philosóphicum, quod non esset Dei offénsa, neque æternâ pœnâ dignum, admítti posset ex eo quòd qui peccat, actû de Deo non cógitat, sequerétur, hómines tantò magis esse excusábiles, quantò flagitióres. Atqui, hoc absúrdum est, et blasphémum: Ergo, etc. Prob. maj. Hómines quantò flagitióres, minùs actû cógitant de Deo: Ergo, etc. Antec. patet ex his David verbis *psalm.* 9, *v.* 25: «Exacerbávit Dominum peccátor.» Cur áutem exacerbávit? Fuitnè semper in illo actuális de Deo cogitátio? Mínimè géntium. Imò hoc ipsum peccatóri jurè, meritòque exprobrátur, et in peccátum vértitur, quòd de Deo non cogitávit: seu Deum sibi præséntem non proposúerit, et ex hoc in omnem rúerit nequítiam; undè idem Prophéta, *ib.*, *v.* 26, subdit: «Non est Deus in conspéctu ejus, «inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.» Hinc *psalm.* 49, *v.* 22, idem Régius Vates monet eos, qui Deum oblíviscúntur, ut cáveant ab ira ejus, ínquiens: «Intellígite hæc, qui obli«viscímini Deum, nè quándò rápiat, et «non sit, qui erípiat.»

238. Prob. 2.° Semel admissò peccátò purè philosóphicò, ex eo quòd peccátor actu de Deo non cógitat, dicéndum foret, duos illos Senióres, qui insánò, et lascívò amóre honéstam Susánnam deperiére; quique ejus pudicítiam incassùm aggréssi, eam Judícibus támquàm adúlteram lapidándam falsò denunciárunt, solíus peccáti philosóphici reos fuísse, nec ætérnâ pœnâ mulctándos: étenim teste Daniéle, *cap.* 13, libídine excæcáti, nec ad Deum, nec ad cœlum respexére; «exarsérunt (inquit Dániel, vv. 8 et seq.) «in concupiscéntiam ejus: et evertérunt «sensum suum, et declinavérunt óculos «suos, ut non vidérent cœlum, neque «recordaréntur judiciórum justórum.» Et multò minùs de Deo eos cogitásse, credéndum est; cùm solùm in pomário deprehénsam ad sua illícita desidéria tráhere contendérunt. Idem dicéndum foret de uxóre Putipháris, juxta quæ legúntur *Genes. cap.* 39, *v.* 7; idem de Amnóne Sorórem suam Thamar violánte, 2.° *Reg.*, *cap.* 13; idem de magno número Christianórum, qui quò magis vítiis, ac concupiscéntiis sérviunt, eò minús de Deo cógitant: hos, dicendum nempè foret peccátò solùm morâlî, et philosóphicò peccáre, nec in crimínibus, etsi enormíssimis, Deum offéndere, nec pœnâ æternâ esse cruciándos, quia de Deo actu non cogitántes ea admisére. Quò quid horribílius? Ergo, ex eo quòd qui peccat, actû de Deo non cógitat, admítti nequit peccátum purè philosóphicum, quod non sit Dei offénsa, ac ætérnâ pœnâ dignum.

239. Prob. 3.° Supponámus, áliquem in infántia apud Christiános baptizátum,

vix biénnem ad Bárbaros deportári; et ab ipsis ábsque ulla Dei cognitióne educátum, brutálibûs eórum móribûs fædári; nec ullam veri Dei, aut Christi ídeam habéntem, vítiis, et obscænitátibus tráditum totam vitam transígere, et in tali státu, ex hac vita discédere. Istíus crímina, secúndùm peccáti philosóphici propugnátores, non erunt nisi philosóphica, nec amícitiam Dei, quam in baptísmo contráxit, dissólvent, nec erunt pœnâ ætérnâ digna: Ergo, sic móriens, útpotè innocéntiam baptismálem consérvans, vitam ætérnam consequétur. Quod quàm absúrdum sit, quis non videt?

Rursùs, si ad illas partes Missionárius accéderet, ut prælaudáti infántis salúti consúlèret, debéret pótiùs ipsum in Dei ignorántia relinquére, quàm Dei notítiâ imbúere: áliàs ipsum in perículum suæ salútis conjíceret, si cum tali notítia peccáret; ubi secúndùm systéma, quod refélimus, in sua ignorántia perséverans, de amicítia Dei, et própria salúte esset secúrus. Multa ália afférri possent: sed hic ex illis erróribus est, quos indicásse, refutáre est. Undè peccáti philosóphici inventóribus, cum S. Hierónymo, 43 *epist. ad Ctesiphóntem* de Pelagiánis, dícere licet: «Sententias «vestras prodidísse, superásse est. Pa«tet primâ fronte blasphémia. Non ne«césse habet convínci, quod suâ státim «professióne blasphémum est.»

III. CONCLÚSIO.

Omne peccátum mortále essentiáliter est injúria Dei affectivè, et multipliciter in Deum directa.

240. Prob. Concl. Job., *c.* 35, *v.* 6, légitur: «Si peccáveris, quid ei (*Deo*) «nocébis? et si multiplicátæ fúcrint ini«quitátes tuæ, quid fácies contra eum?» Super quæ verba D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 73, *art.* 8, *ad* 2, inquit: «Quòd «etsi Deo nullus possit nocére, quan«tùm ad ejus substántiam, potest tamen «nocuméntum attentáre in his, quæ «Dei sunt, sicut extirpándò fidem, vio«lándò sacra etc.» Et super *epist. ad Rom.*, *c.* 1, *lect.* 1, idem S. Dr. ait: «Ómnia peccáta sunt quodámmodò im«propéria Dei; in quantùm per ea lex «Dei contémnitur.» Hæc áutem máximè verificántur in peccáto mortáli. Ergo, omne peccátum mortále essentiáliter est injúria Dei affectivè, et multipliciter *in Deum directa.*

Et re quidem verâ. Qui peccátum pérpetrat mortále, nedùm est injúrius Deo, ut Legislatóri, sciens, et volens ejus legem contemnéndò, ac ipsi débitam subjectiónem, et obediéntiam denegándò; verùm étiam ipsum offéndit, ut justum Júdicem, non timéndò ejus pœnam, et supplícium; ut Testem, non reveréndò ejus præséntiam; ut suprémum, ac summum Dóminum, ejus jugum excutiéndò; ut Amícum, et Benefactórem, exhibéndò ei se inimícum, et ingrátum, ejúsque benefíciis abuténdò; ut primam Causam, et primum Princípium, ipsâmet própriâ natúrâ, quam à Deo accépit, ad peccándum abuténdò, ac déniquè ut summum Bonum, et últimum finem, quia per quódlibet peccátum mortále homo affectivè à Deo, ut último fine, avértitur, ratiónem últimi finis ímpiè in creatúra constítuens. Hinc D. Thomas de Verit., *q.* 21, *art.* 2, ita lóquitur: «Quicúmque rem áliquam digniórem «indignióri postpónit, injúriam ei facit; «et tantò ámpliùs, quantò res est díg«nior. Quicúmque áutem in re tempo«ráli finem sibi constítuit, quod facit «omnis mortáliter peccans; ex hoc ip«so, quántùm ad afféctum suum, præ«pónit creatúram Creatóri, díligens plus

«creatúram, quàm Creatórem: finis «enim est, qui máximè dilígitur.» Ergo, omne peccátum mortále essentiáliter est injúria Dei, affectivè, et multipliciter in Deum dirécta.

Hanc veritátem áliquos ex vetéribus Philósophis agnovísse, collígere licet ex D. Augustíno, qui *lib.* 8, *de Civit. Dei*, *cap.* 9, 10, 13, *et álibi*, Platónem láudat eò quòd docúerit, in rebus humánis nihil Diis esse grátius virtúte; nihil odiósius crimínibûs; réprobans eos, qui obscœnìs ludîs Deos placári posse autumnábant.

241. Petes? Quid de peccáto veniáli censéndum?

Resp. In rigóre, et simplíciter loquéndò, non esse Dei offénsam; cùm veniáliter peccans nec à Deo avertátur, nec últimum finem in creatúra constituat; quod ad Dei offensam própriè, et in rigóre loquéndò, requíritur. Dici tamen potest, sub áliquo sensu veniáliter peccántem Deum offéndere: quia licèt hábitû à Deo non recédat, ejúsque amícitiam non amíttat; illô tamen actû, quô veniáliter peccat, non se gerit, ut amícum Dei, nec benè ejus beneficiîs útitur: ejúsque præcépta licèt non contémnat, tamen tanti non facit, quanti sunt faciénda. Vid. *num.* 230.

§ IV.

De conditiónibus, quæ essentiáliter ad peccátum actuále requiruntur.

I. CONCLÚSIO.

Peccátum essentiáliter debet esse voluntárium.

242. Prob. Concl. S. August., *lib. de vera Religióne*, *c.* 14, ait: «Ùs«que ádeò peccátum voluntárium est, «ut nullô modò sit peccátum, si non «sit voluntárium. Et hoc quidem ita «maniféstum est, ut nulla hinc Doctó«rum páucitas, nulla indoctórum turba «dissèntiat. Qüare aut negándum est, «peccátum commítti; aut faténdum est «voluntáte commítti.» Id ádeò altè Augustíni menti inséderat, ut *disput.* 2, *contra Fortunátum Manichæum*, ita eum perstríngeret: «Quemádmodùm «fíeri possit, ut si est Deo natúra con«trária, nobis imputétur peccátum, qui «in illam natúram, non voluntáte, sed «ab ipso Deo..... missi sumus?» Ex quibus patet, S. Doctórem argüere, nullum in nobis futúrum peccátum, si ut Manichæi contendébant, peccátum in nobis esset, non ex voluntáte, sed ex natúra mala, quam, sicut ipsi ajébant, ex malo princípio sortíti sumus: Ergo, juxta S. Augustínum nequit esse peccátum, nisi adsit voluntárium. Hinc idem S. Dr., *lib.* 2, *de actis contra Felicem Manichæum*, *c.* 8, sic argüébat: «Nullum ergo ínvenis peccátum, quod «damnat Deus: nullum ínvenis peccá«tum, quod pœniténtiâ possit sanári. Si «áutem pœniténtia est, et culpa est: si «culpa est, et volúntas est: si volúntas «est in peccándo, natúra non est, quæ «cogat.» Alia moménta id ipsum evincéntia prætermíttimus, quia in re ádeò apértâ, nobis diútiùs immorári non licet. Vid. D. Thom., 1.ª 2.ª *quæst.* 75, *art.* 2.

II. CONCLÚSIO.

Peccátum actuále debet esse liberum libertáte indifferéntiæ.

243. Prob. Concl. Per peccátum actuále demerémur: Atqui, ad merén-dum, vel demeréndum in hoc státu natúræ lapsæ, requíritur libértas indiffe-

réntiæ, seu arbítrii : Ergo, peccátum actuále debet esse líberum libertáte indifferéntiæ. Prob. min. Jansénius asserébat : «Ad meréndum, vel demeréndum «in státu natúræ lapsæ, non requíritur «in hómine libértas à necessitáte, sed «súfficit libértas à coactióne;» et hæc propósitio damnáta est ab Innocéntio X : páriter Bajus antè Jansénium statúerat : «Homo peccat étiam damnabiliter in eo, «quod necessário facit :» et hæc propósitio fuit à Pio V proscrípta : Ergo, secúndùm has Summórum Pontíficum proscriptiónes, homo ad demeréndum debet esse liber à necessitáte, adeóque libertáte indifferéntiæ gaudére debet. Vid. S. Thom., *quæst.* 6, *de Malo, art. unic.*

244. In hunc sensum S. Hierónymus, *lib.* 2, *contr. Joviniánum*, aiébat : «Líberi arbítrii nos cóndidit Deus, nec «ad virtútem, nec ad vítia necessitáte «tráhimur : alióquin ubi necéssitas, nec «coróna est :» ac eádem ratióne, ubi necéssitas, nec peccátum est : Ergo, ad peccándum actuáliter requíritur libértas à necessitáte, seu libértas indifferéntiæ. Vid. quæ díximus num. 90 et seq.

§ V.

De adverténtia ad peccátum requisita.

245. Etsi inadverténtia, et ignorántia à quibúsdam quandóque promíscuè sumántur; tamen sédulò sunt distingüénda : ignorántia síquidem próprièloquéndò, est privátio sciéntiæ, seu cognitiónis habituális ; inadverténtia áutem, est tantùm privátio cognitiónis actuális. Undè ubicúmque est ignorántia, est inadverténtia, sed non è contra ; potest enim áliquis scíre habituáliter die domínicâ audiéndum Sacrum, et tamen ex naturáli distractióne, vel aliúndè, actù non advértere, hódiè domínicam diem esse.

Habéndum étiam præ óculis, inadverténtiam posse esse simul et ad actum, et ad malítiam ejus, ut contíngit in ébrio, aut dormiénte, qui blasphémat quin advértat se blasphemáre, et blasphémiam esse malam. Potest étiam esse adverténtia ad actum, et inadverténtia ad ejus malítiam ; ut quis sciens hódiè esse jejúnium, carnes cómedit, advértens quidem ad comestiónem cárnium, sed non advértens ad diem jejúnii esum cárnium vetántis.

Inadverténtia hæc invincíbilis esse potest, et vincíbilis. Vincíbilis áutem dupliciter esse potest, nempè, sive diréctè in se vólita, vel indiréctè tantùm vólita, nempè, in sua cáusa. Inadverténtia in se vólita, est cùm quis vult áliquam pónere actiónem, nolens tamen considerâre an ex ipsa áliqua possint mala provenire ; ut cùm quis è fenéstra vult emíttere sagíttam, expréssè nolens considerâre an áliquis tránseat per vicum. Hic si emíttens sagíttam, hóminem interfíciat, licèt inadverténter ipsum occídat, hæc inadverténtia fuit vólita in se. Inadverténtia verò vólita in cáusa est cùm quis áliquid appónit, ex quo natum est sequi inadverténtiam. Sic cùm quis sinit, se árripi áliquâ passióne, puta, impudicítiæ ; aut áliquem cóntrahit pravum hábitum, puta, blasphemándi ; licèt áliqua agat, aut próferat impúdica, aut in blasphémiam prorúmpat, quin hìc et nunc ad hæc mala advértat, hæc tamen inadverténtia non est ipsi involuntária, sed est ei voluntária in cáusa ; quod et contíngit illi, qui advértens áliquid considerándum, et tamen ita præcipitánter operátur, ut illud omíttat considerâre, méritò omnes erróres, quos commíttit, ei imputántur.

Ex his suâ spónte fluit, quòd inad-

verténtia invincíbilis est, quæ neque in se, neque sua cáusa est vólita. His pósitis, sit

CONCLÚSIO.

Sola inadverténtia invincíbilis quoad malítiam actûs, excúsat à peccáto formáli.

246. Prob. Sola inadverténtia invincíbilis quoad malítiam actûs est involuntária : Atqui, sola inadverténtia involuntária quoad malítiam actûs excúsat à peccáto formáli : Ergo, etc. Major patet : nam omnis inadverténtia vincíbilis, vel est vólita in se, vel est vólita in cáusa, ut ex prænotámine patet, adeóque est voluntária, quod de inadverténtia invincíbili dici nequit, ut dictum est. Prob. ergo minor. Si inadverténtia voluntária quoad malítiam actûs, à peccáto formáli excusáret, excusándi forent ab ipso, hi, qui per pravos hábitus, quos fovent; per passiónes, quibus se totos dedunt; per supínam salútis incúriam, similésque modos, circa malítiam suórum áctuum ita cæcútiunt, ut eam nullátenùs actuáliter advértant : Atqui, hos à peccáto formáli excusáre absúrdum est, et nimis laxum : Ergo, inadverténtia voluntária circa malítiam actûs, non excúsat à peccáto formáli ; à quo tamen excúsat inadverténtia involuntária, cùm tollat id, quod est de ratióne peccáti formális, nempe voluntárium. Vid. quæ dicta sunt de ignorántia invincíbili, *num.* 77.

§ VI.

De peccáto mortáli, et veniáli.

247. Animadvértimus cum D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 77, *art.* 8, *ad* 1 : «Quòd «veniále dicitur, triplíciter. Unô modô, «ex cáusa, quia scílicet. habet áliquam «cáusam véniæ, quæ dimínuit peccá«tum : et sic peccátum ex infirmitáte, «vel ignorántiâ, dícitur veniále. Áliô «modô, ex eventu, sicut omne peccá«tum per pœniténtiam fit veniále, id «est, véniam conséquitur. Tertiô mo«dô, dícitur veniále ex génere, sicut «verbum otiósum : et hoc solum veniále «oppónitur mortáli.»

Hanc peccáti divisiónem in peccátum ex génere, ac natúrâ suâ mortále, et in peccátum ex génere, ac natúrâ suâ veniále rejicit Calvínus, *lib.* 2, *Instit.*, *c.* 8, § 59, támquàm Sophistárum invéntum, conténdens, omnia peccáta ex natúra sua esse mortália, ac solis Prædestinátis dici veniália, quia eis non imputántur. Hunc suum errórem háusit partim Calvínus à Joan. Wiccléffo à Concílio Constantiénsi damnátô, qui docúerat, omne peccátum Prædestináti esse veniále, et omne peccátum Réprobi esse mortále, non ex natúra sua, sed ex Dei ordinatióne. Luthérus áutem ómnia quidem Infidélium peccáta asséruit esse mortália ; Fidélium áutem peccáta omnia esse veniália præter infidelitátem, quam solam crédidit esse mortále peccátum. Contra hos omnes ergo sit

CONCLÚSIO.

Non ómnia peccáta sunt ex natúra sua mortália ; sed dantur áliqua ex natúra sua veniália.

248. Prob. Conclúsio. Brevitátis gratiâ, prætermíssîs áliîs Scriptúræ testimóniîs, uti Matth., *c.* 5, *v.* 22 ; *c.* 7, *à versu* 3 ; *c.* 23, *à versu* 23 ; *epist.* 1.ª *ad Corinth.*, *c.* 3, *v.* 12, *etc.*; commemorámus illud tantùm Matth., *c.* 6, *v.* 12, ubi Christus modum orándi docens omnes étiam justos, ac Prædestiná-

tos, hunc tradit; ut omnes dicant Deo: *Dimítte nobis débita nostra*, quæ quidem débita sunt peccáta. Suppónit ergo Christus in justis esse peccáta, pro quibus à Deo pétere debent remissiónem: in justis áutem néquëunt reperíri peccáta mortália, nisi désinant esse justi: Ergo, non ómnia peccáta sunt mortália. Hinc August., *Serm.* 388: «Non me «latet, vitam istam mortálem, et in car«ne corruptíbili constitútam, sinè pec«cátis esse non posse; sed illa quoti«diána et lévia habent étiam sua lavá«cra quotidiána. Hoc est, quòd pectus «túndimus, et dícimus in oratióne Dó«mino Deo nostro: Dimítte nobis débita «nostra..... ómnia áutem cavére, impos«síbile esse judicávit, qui istam oratió«nem quotidiánam, non quóslibet Chris«tiános, sed ipsos aríetes Apóstolos, dó«cuit.» Undè idem laudátus August., *lib. de Spirit. et litt.*, *c.* 28, inquit: «Sicut enim non impédiunt à vita ætér«na justum quædam peccáta veniália, «sinè quibus hæc vita non dúcitur: sic «ad salútem ætérnam etc.» Tandem addúcimus Concílium Tridentínum, *Sess.* 6, *c.* 11, definiens: «Licèt enim in hac «mortáli vita, quantúmvis Sancti, et «justi in lévia saltem, et quotidiána, «quæ étiam veniália dicúntur, peccá«ta quandóque cadant; non propté«rea desínunt esse justi: nam justó«rum illa vox est, et húmilis, et verax, «dimítte nobis débita nostra.» Quocírca, S. Pius V, et post ipsum Gregórius XIII, hanc Baii propositiónem jure confixérunt: *Nullum est peccátum ex natúra sua veniále, sed omne peccátum merétur pœnam ætérnam.* Ergo, non ómnia peccáta sunt ex natúra sua mortália; sed dantur áliqua ex natúra sua veniália. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *q.* 88, *art.* 1.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

249. Obj. 1.° Qui vel unum étiam parvum mandátum transgréditur, (id) nus est, qui à Regno cœlórum excludátur; juxta illud Matth. *c.* 5: «Qui sòl«verit unum de mandátis istis mínimis, «et docúerit sic hómines, mínimus, (id «est nullus) vocábitur in Regno Cœló«rum:» Atqui, solum peccátum mortále exclúdit à Regno Cœlórum: Ergo, ómnia peccáta sunt mortália.

Resp. Dist. maj. Vérba Christi sunt intelligénda de mandátis mínimis, quæ in rei veritáte mínima sint, neg. Christus lóquitur de mandátis, quæ quantúmvis in se grávia sint, nihilóminùs, ut mínima ab homínibus reputántur, concéd. Christus namque tália prótulit verba ad corrigéndum falsam legis interpretatiónem Pharisæórum, et Scribárum docéntium: lege quidem prohibéri extérnum homicídium, et adultérium; iram áutem, et concupiscéntiam interiórem, ut quid mínimum reputántium. Christus ergo pravum hunc legis intelléctum córrigens, dócuit: hanc iram, et concupiscéntiam interiórem, non esse habéndas ut quid mínimum secúndùm rei veritátem, cùm de eo, qui hæc mínima sólverit, et docuérit sic hómines, díxerit quòd mínimus, (id est nullus) vocábitur in Regno Cœlórum. Sic ergo, Christus non appellávit *minima* hujúsmodi mandáta, ac si reípsà mínima essent, sed quia à Pharisæis, et Scribis ut mínima traducebántur. Vid. D. Hieron., in *cap.* 5 *Matth.*

250. Obj. 2,° Christus, *Joán.*, *c.* 13, *v.* 8, Petro inquit: *Si non lávero te, non habébis partem mecum:* Atqui, Christus loquebátur de ablutióneà peccátis, quæ nos vocámus veniália, ut patet ibídem ex contéxtu: Ergo, peccáta, quæ nos veniália vocámus, sunt ex na-

túra sua mortália, útpotè à Regno Cœlórum excludéntia.

Resp. Dist. min. Illa ablútio, secúndùm se consideráta, erat objéctum peccáti veniális, tantùm, concéd.: prout erat à Christo præcépta, neg. In prælaudátis Christi verbis duo sunt attendénda, líttera, et sensus: quoad líttera lóquitur Christus de corporáli pedum ablutióne: quoad sensum verò, ut ait Basílius, *orat.* 3, *de Pecc.*, significávit, quòd si Petrus noluísset permíttere Christum ei pedes laváre, non habuísset cum illo partem in Regno Cœlórum. Ex quo Christus osténdit, se sub gravi imposuísse Petro, ut síneret ipsum ei laváre pedes. Undè etiámsi recusátio lotiónis pedum, secúndùm se consideráta, fuísset peccátum dumtáxat veniále; tamen in eo tunc lótio pedum Petro impósita, ejus recusátio fuísset peccátum mortále, Christus enim Petro ínquiens: *si non lávero te, non habébis partem mecum*, sat supérque osténdit, ipsi imposuísse sub gravi eam pedum lotiónem. Petro in eo tunc áccidit, quod Adámo in paradíso, cúm Dóminus ei impósuit nè coméderet de ligno scientiæ boni, et mali, ita ut quocúmque die coméderet, morte morerétur; esus enim Adámo prohíbitus, secúndùm se erat quidem matéria levis, evádit áutem gravis ex quo Deus minátus est mortem Adámo, quocúmque die comedéret. Vid. D. Thom. in dictum *Joán. cap.* 13, *lect.* 2.

251. Obj. 3.° Augustínus, *lib.* 9 *Conf. cap.* 13, inquit: «Væ étiam lau«dábili vitæ hóminum, si remotâ mise«ricórdiâ, (Deus) discútiat eam:» Ergo, non dantur peccáta parva, quæ ætérnam non mereántur damnatiónem, nisi misericórditer cum illis agátur. Undè idem Augustínus, *lib. de Peccat. mérit. cap.* 3, ait: «Quis enim cùm áliqua spe «adipiscéndæ salútis ætérnæ de hac vita «migráret, manénte illâ sententiâ, quòd «quicúmque totam legem serváverit, «offéndat áutem in uno, factus est óm«nium reus, nisi post páululùm seque«rétur... superexáltat áutem misericór«dia judícium?»

Resp. neg. conseq. ad 1.^m Augustíni testimónium. Non enim vult Augustínus, quòd his, qui parva habent peccáta, ætérna máneat damnátio; sed solùm, quòd nisi eis divínâ misericórdiâ condonaréntur, et nisi ab eis mundaréntur, non possent in regnum Cœlórum ingréssum habére, in ipsum enim nihil immúndum, et cöinquinátum intrábit. Hanc áutem esse S. Augustíni mentem, constat ex eódem *lib.* 9 *Conf.*, *c. últimô*, ubi rogat Lectóres, ut pro matre sua defúncta orent: *ut consequátur Dei misericórdiam:* Atqui, defúnctis non fit misericórdia, remitténdô eis peccáta mortália, sed tantùm veniália: Ergo, horum misericórdia est secúndùm Augustínum ad ingréssum ad vitam ætérnam necessária. Ad 2.^m ejusd. S. Augustíni auctoritátem, eôdem modò dícimus esse respondéndum, vidélicet, S. Augustínum solùm velle significáre, quòd nemo certus de adipiscénda salúte ex hac vitâ migráret, *nisi misericórdia superexaltáret judícium.* Ad illa áutem Jacóbi verba, *qui offéndat áutem in uno, factus est ómnium reus*, respóndet id. August.: Quòd sunt intelligénda de his qui ita offéndunt, ut charitátem amíttant: hanc áutem non amítti nisi per peccátum mortále, osténdit idem S. P., *epist.* 167 *ad Hierónymum.*

252. Obj. 4.° Omne peccátum offéndit Deum, qui est infiníta bónitas: Ergo, omne peccátum est offénsa gravitátis infinítæ; adeóque omne peccátum est mortále.

Resp. Neg. conseq. Fatémur quidem per quódlibet peccátum offéndi Deum,

qui est infinita bónitas; sed sédulò adverténdum, quòd non per quódlibet peccátum Deus offénditur infinitè. Per peccátum mortále, útpotè solvens omnímodè Dei amicítiam, et avértens ab ipso ratiónem últimi finis, eúmque in creatúra constítuens; útique Deus offénditur infinitè: sed per peccátum veniále, cùm amicítia Dei non solvátur, potest enim esse simul cum charitáte; Deus non offénditur infinitè: peccátum enim veniále non adversátur charitáti, sed tantùm fervóri charitátis. Undè D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 87, *art.* 5, inquit: «In «quibúsdam peccátis est quidem áliqua «inordinátio, non tamen per contrarie«tátem ad últimum finem, sed solùm «circa ea, quæ sunt ad finem, in quan«tùm plùs, vel minùs débitè eis intén«ditur, salvátò tamen órdine ad últimum «finem, puta cùm homo etsi nimis ad «áliquam rem temporálem afficiátur, «non tamen pro ea vellet Deum offénde«re, áliquid contra præcéptum ejus fa«ciéndò;» scílicet, non faciéndò contra ejus præcéptum eò usque, quòd órdinem, quò Deo conjúngimur, evértat, aut ejus solvat amicítiam. Hæc áutem peccáta, quæ órdinem non evértunt, quò Deo conjúngimur, nec ejus amicítiam solvunt, peccáta nuncupántur veniália. Ex his patet, peccáta veniália à mortálibus ex parte aversiónis in infinítum differre, cùm mortália áuferant à Deo últimi finis ratiónem; non verò veniália. Et ídeò mérito dícitur, peccáta veniália non offéndere Deum infinitè; benè vero lethália Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 87, *art.* 5, *ad* 1, et *quæst.* 7, *de Malo*, *art.* 1, *ad* 1.

§ VII.

An inordináti motus sensitívæ partis sint peccáta.

253. Priúsquàm quæsíto respondeámus, prænotáre opórtet, inordinátos motus sensitívæ partis, seu concupiscéntiæ, triplícis esse géneris. Aliqui sunt, qui omnem ratiónis adverténtiam præcédunt, et naturáliter in appetítu sensitívo excitántur: et hi motus *primò primi* appellántur. Áliqui sunt, qui fiunt cum aliquáli, et semipléna adverténtia, et deliberatióne; ideóque áliquid libertátis, estò imperféctæ, partícipant: et hi dicúntur motus *secúndò primi*. Áliqui tandem sunt, quibus, scílicet, pósitâ jam plenâ ratiónis adverténtiâ, volúntas assénsum præbet: et hi motus *plenè deliberáti* nuncupántur.

Omnes hujúsmodi motus, étiam qui *primò primi* dicúntur, esse peccata, post Luthérum séntiunt omnes Sectárii, cum Calvíno, *lib.* 3 *Inst. cap.* 3, § 12, et Gomáro *in cap.* 7, *epist. ad Rom.* Contra ipsos, cum commúni Doctórum Catholicórum, sit

CONCLÚSIO.

Motus pravi appetítûs sensitívi, seu concupiscéntiæ, omnem ratiónis adverténtiam prævenientes, et quos pátimur invíti, quantúmvis verséntur circa objécta gráviter illícita, non sunt peccáta, ne quidem veniália.

254. Prob. Conclus. Eccli. *c.* 18, *v.* 30, dícitur: *Post concupiscéntias tuas non eas.* Hic, ut patet, non præcípitur nè ullos habeámus, aut sentiámus

in nobis concupiscéntiæ motus, sed dumtáxat nè eos sequámur, id est, ne ipsis assénsum præbeámus. Ergo, apértè suppónitur, posse tales motus in nobis insúrgere, ábsque ullo nostro consénsu, adeóque absque ulla culpa. Hoc animadvértens S. August., *lib.* 5 *contra Julián.*, *c.* 3, inquit: «Frustra dictum est: «post concupiscéntias tuas non eas; si «jam quisque reus est, quòd tumultuán«tes, et ad mala tráhere niténtes sentit «eas, nec eas séquitur:» Hinc super illa verba *epist. ad Rom. c.* 6, *v.* 12: «Non «ergo regnet peccátum in vestro mor«táli córpore, ut obediátis concupiscén«tiis ejus,» idem August. *lib.* 2 *Oper. imperf.*, *c.* 226, Juliánum sic interrógat: «Tu dic nobis: cur non ait: non «sit peccátum in vestro mortáli córpore «sed ait: non regnet? Nisi quia ista con«cupiscéntia, quæ non potest nisi esse «in carne mortáli, in eis regnat, qui de«sidériis ejus ad mala perpetránda con«séntiunt... in eis áutem, qui, Deò do«nante, fáciunt, quod præcéptum est, «id est, commótæ, atque instánti, non «obédiunt... inest quidem, sed non reg«nat. Probátur áutem inésse, dum con«cupiscúntur mala: et probátur non «regnáre, dum justítiæ delectatióne vin«cénte non fiunt.

255. Hanc eámdem esse S. Thomæ senténtiam, constat ex 1.ª 2.æ *quæst.* 80, *art.* 3, *ad* 3, ubi respóndens objectióni ex S. Augustíno petítæ, *lib.* 19 *de Civit. Dei*, *c.* 4, nempè: «nonnullum peccá«tum est, cùm caro concupíscit advérsùs «spíritum,» ait: «Dicéndum, quòd con«cupiscéntia carnis contra spíritum, «quándò rátio ei actuáliter resístit, non «est peccátum, sed matéria exercéndæ «virtútis.» Ex his patet, posse esse motus pravos in appetítu sensitívo, quin sint peccáta, cùm scílicet illos invíti patímur, nec ullum eis præbémus consénsum: quod útique contíngit, vel cùm ipsis positivè resístimus, vel cùm ipsi omnem prævéniunt ratiónis adverténtiam.

256. Hanc doctrínam Tridentínum státuit cùm, *Sess.* 5, *can.* 5, definívit: «Manére in baptizátis concupiscéntiam, «vel fómitem, hæc Sancta Synodus fatétur, et sentit; quæ, cùm ad agónem «relícta sit, nocére non consentiéntibus, «sed utíliter per Christi Jesû grátiam «repugnántibus non valet: quin imò, «qui legítimè certáverit, coronábitur. «Hanc concupiscéntiam, quam aliquándò Apóstolus peccátum appellat, Sanc«ta Synodus declárat, Ecclésiam Cathólicam núnquàm intellexísse peccátum «appellári, quòd verè et próprié in Re«nátis peccátum sit, sed quia ex peccáto «est, et ad peccátum inclínat. Si quis «áutem contrárium sénserit; anathéma «sit.» Ergo, juxta Tridentínum, potest in nobis esse concupiscéntia, quæ inclínat ad peccátum, quin tamen verè, ac próprié peccátum sit: Atqui, concupiscéntia inclínat ad peccátum per motus suos: Ergo, possunt in nobis esse hujúsmodi motus, quin verè ac próprié sint peccátum: Atqui, hoc contíngit, cùm hujúsmodi motus usum ratiónis prævéniunt, enim tunc non adest voluntárium, sinè quo peccátum esse non potest (vid. *num.* 242). Ergo, motus appetítûs sensitívi, seu concupiscéntiæ, qui omnem ratiónis adverténtiam prævéniunt, vel quos invíti pátimur, nun sunt peccáta, neque veniália. Vid. D. Thom. 2.ª 2.æ *quæst.* 154, *art.* 5, et *quæst.* 7, *de Malo art.* 6, *et* 8.

Tandem, in hujus rei confirmatiónem addúcimus, S. Pium V et Gregórium XIII has duas Baii propositiónes damnásse: «Concupiscéntia, sive lex mem«brórum, et prava ejus desidéria, quæ «invíti séntiunt hómines, sunt vera legis

«inobediéntia: (et hæc est propositio 51.) «Iterùm prava desidéria, quibús rátio «non conséntit, et quæ homo invítus «pátitur, sunt prohíbita præcéptô: Non «concupísces.» (Et hæc est propositio 58.) Ergo, etc.

CAPUT III.

DE CÁUSIS EXTRÍNSECIS PECCÁTI.

257. Cáusæ peccáti áliæ sunt intérnæ, quæ intra hóminem exístunt: áliæ extérnæ, quæ extra ipsum exístunt. Primi géneris sunt tres: ignorántia, vidélicet, ex parte intelléctûs; undè D. Páulus, *epist. ad Ephes.*, *c.* 4, *v.* 18, de quibúsdam dixit: «Alienáti à vita Dei «per ignorántiam :» concupiscéntia ex parte appetítûs; undè Jacob in *epist. Cathol. c.* 1, *v.* 15, «concupiscéntia, cùm «concéperit, parit peccátum:» et tandem malítia ex parte voluntátis; undè Job, *c.* 34, *v.* 27, de quibúsdam dícitur: «Quási de indústria recessérunt à Deo, «et vias ejus intellígere noluérunt:» sed recédere à Deo est peccáre: Ergo, áliqui peccant ex indústria, seu ex certa malítia, ut méritò árgüit D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 78, *art.* 1. Brevitáti coácti studére, ab his tractándis supersedémus, cùm aliúndè sint ex se sat manifésta. Ad cáusas ergo exterióres peccáti progrédimur, quæ secum áliquam invólvunt difficultátem.

Hæ causæ exterióres peccati tres quoquè excogitári possunt: vidélicet, Deus unà cum voluntáte ad actum peccaminósum concúrrens; Diábolus ipsum persuádens; et Proto-Parens peccátum, quod dícitur originále, simul cum natúra in pósteros tradúcens. His pósitis, sit

§ I.

An Deus sit cáusa peccáti.

258. Sensus quæsíti est, an Deus sit cáusa illíus inordinatiónis, quæ reperítur in actióne, quæ peccátum est, et nuncupátur; sicut cùm quæritur, quis sit áuctor, vel cáusa vestîs, scámni, státuæ, et aliórum artefactórum, non quæritur, quis sit cáusa panni, ligni, æris, et simílium, sed tantùm inquíritur, quis sit cáusa illíus formæ, seu dispositiónis, ob quam pannum dícitur vestis; lignum, scámnum; æs, státua, etc.

Non defuérunt, qui áusi sunt Deum dícere auctórem peccáti. Primus ómnium id olim dogmatizávit Simon Magus, teste Vincéntiô Lirinénsi, cap. 34 sui Libélli contra hæréticos. Eum secúti sunt Marcionítæ, apud Irenæum, *lib.* 4.° *cap.* 45, *et* 47; et Luciferiáni, apud D. Thomam, 1.° *cont. Gent.*, *cap.* 96; ac póstea Luthérus, Calvínus, et álii nostræ tempestátis hærétici. Contra hos omnes sit

CONCLÚSIO.

Ad fidem pértinens est, Deum nullô modô esse auctórem peccáti.

259. Prob. Deuteron., *cap.* 32, légitur: «Dei perfécta sunt ópera, et om-«nes viæ ejus, judícia: Deus fidélis, et «ábsque ullâ iniquitáte, justus, et rec-«tus:» Non essent áutem ómnia ópera Dei perfécta, seu irreprehensibília, si áliqua eórum essent peccáta: neque ipse esset rectus, et justus, et ábsque ulla iniquitáte, si ipsémet iniquitátem facéret peccándô, vel in áliis peccáta causándô. Ergo, etc.

Hùc pértinet illud *epist. ad Rom.*, *cap.* 9: «Númquid iníquitas apud Deum? Absit:» itémque versículus *psalm.* 5: «Non Deus volens iniquitátem tu es:» sic páriter quod *Gen.*, *cap.* 1, habétur: «Vidit Deus cuncta, quæ fécerat, et «erant valdè bona:» et quod *Eccl.*, *cap.* 3, légitur: «Cuncta fecit bona (*Deus*) «in témpore suo:» 1.ª *ad Timot.*, *cap.* 4: «Omnis creatúra Dei bona est.» Non ígitur peccátum potest esse à Deo factum. Undè, *Epist. Cathol. Jacob.*, *cap.* 1: «Nemo cùm tentátur, dicat, quó-«niam à Deo tentátur: Deus enim in-«tentátor malórum est; ipse áutem «néminem tentat:» esset áutem plús-quàm tentátor malórum, si ipse mala, seu peccáta, in homínibus causáret: Ergo, etc. *Epist.* 1.ª *Joán.*, *cap.* 3: «Qui facit peccátum, ex diábolo est.» *Sap.*, *cap.* 11, dícitur Deo: «nihil odís-«ti eórum, quæ fecísti:» Atqui, Deus odit peccátum, et peccatóres, in quántùm hujúsmodi, secúndùm illud *Exod.*, *cap.* 23: «Avérsor ímpium:» Et *Sap.*, *cap.* 14: «Odio sunt Deo ímpius, et «impíetas ejus:» Ergo, Deus neque facit peccáta, neque peccatóres, in quantùm tales.

260. His unanímiter accédunt SS. Ecclésiæ Patres. Dionysius, *lib. de divin. Nomin.*, *cap.* 4, post multa sic infert: «Non ígitur Deus Áuctor est mali, neque malum est in Deo.» Irenæus, Tract. scrípsit hôc títulô: *Quòd Deus non sit Cónditor malórum.* Basílius Magnus homil. habet, quæ inter álias est nona, sic inscríptam: *Quòd Deus non est Auctor malórum.* Damascénus étiam, *c.* 20, *lib.* 4, *de fide Nazianz. in Orat.* 3, inscrípsit: «Deus nullô modô mali «cáusa est, quippè natúrâ bonus.» Ambrósius, *lib.* 1, *Hexam.*, *c.* 8, inquit: «Númquid simul malítiam Deus creá-«vit? Sed ea ex nobis orta, non à Crea-«tóre Deo cóndita. Eradicári hanc Deus «vult de ánimis singulórum: quómodò «ipsam generáret? Si neque sinè prin-«cípiis est qüasi increáta, neque à Deo «facta; undè habet natúram malítia? «Tu ipse tibi es cáusa improbitátis.» August., *lib.* 2, *de Pecc. mer.*, *c.* 17, ait: «Nullam culpæ humánæ in Deum «réferas cáusam:» et *c.* 18: «Malam «voluntátem ad Auctórem Deum esse «referéndam, nefas est dícere.» Gregórius, *lib.* 29 *Mor.*, *cap.* 21, scrípsit: «Dóminus áuctor est natúræ, non «culpæ» etc. etc.

261. SS. Pátribus sacra Concília concórdant. Arausic. 1, *c.* 23, ita definít: «Suam voluntátem hómines fáciunt, non «Dei, quándò id agunt, quod Deo dís-«plicet.» Conc. Valent. an. 855 celebrátum, *c.* 3, inquit: Deum in malis ipsórum malítiam præscísse, non prædestinásse, quia ex illo non est. Tandem, Trident., *Sess.* 6, *can.* 6, anathémate ferit illum, «qui dixerit, mala ópe-«ra, ita ut bona, Deum operári, non «permissivè solùm, sed étiam próprié, «et per se, ádeò ut, sit próprium ejus

«opus non minùs proditio Judæ, quàm «vocátio Páuli.» Ergo, Deus non est áuctor peccáti.

262. Prob. tandem Conclúsio ratióne D. Thomæ, 1.ª 2.æ *quæst.* 79, *art.* 1.°, hîs verbîs concéptâ: «Homo duplíciter est cáusa peccáti, vel sui, vel alterius: unô modô diréctè, inclinándô «scílicet voluntátem suam, vel altérius, «ad peccándum: áliô modô indiréctè, «dum scílicet non rétrahit áliquos à «peccáto. Undè Ezech., cap. 3, speculatóri dícitur: si dicénte me ad ímpium: Morte moriéris: non annuntiáveris ei..... sánguinem ejus de manu «tua requíram.»

«Deus áutem non potest esse diréctè «cáusa peccáti, vel sui, vel altérius: «quia omne peccátum est per recéssum «ab órdine, qui est in Deum, sicut in «finem: Deus áutem ómnia inclínat, et «convértit in seípsum, sicut in últimum «finem, sicut Dionysius dicit 1.° cap. «de divin. Nomin. Undè impossíbile est, «quòd sit sibi, vel áliis, cáusa discedéndi ab órdine, qui est in ipsum. Undè non potest diréctè esse cáusa peccáti.»

«Simíliter étiam neque indiréctè. «Contíngit enim quòd Deus alíquibus «non præbet auxílium ad evitándum «peccáta; quod si præbéret, non peccárent. Sed hoc totum facit secúndùm «órdinem suæ sapiéntiæ, et justítiæ, «cùm ipse sit sapiéntia, et justítia: undè non imputátur ei, quòd álius peccet, sicut cáusæ peccáti; sicut gubernátor nòn dícitur cáusa submersiónis «navîs ex hoc, quod non gubérnat navem, nisi quándò súbtrahit gubernatiónem, potens et debens gubernáre. «(*Recol. quæ dicta sunt Tom. 2.° num. «466 et 554.*) Et sic patet, quòd nullô «modò est cáusa peccáti.» Vid. etiam S. Doctor, *q.* 3, *de Malo*, *art.* 1.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

263. Obj. 1.° Quisque ejus rei cáusa est, quæ eo præcipiénte fit: Atqui, quandóque Deô præcipiénte fit peccátum: Ergo Deus est áuctor peccáti. Prob. Min. Seméi maledicéndô David peccávit: Atqui, Deus præcépit ei ut maledíceret David, ut légitur 2.° *Reg.*, *c.* 16, *v.* 10. Ergo, etc.

Resp. Dist. min. Præcépit, id est permísit, et ejus malítiam in bonum ordinávit, concéd.: præcépit, id est, inclinávit Seméi in malum, neg. Rem D. Thomæ verbîs explicámus, *quæst.* 1, *de Potent.*, *art.* 6, *ad* 4: «Dícitur Deus «duplíciter præcípere. Unô modô loquéndô spirituáliter, vel corporáliter «per substántiam creátam, et sic præcépit Ábrahæ, et Prophétis. Aliô modô inclinándô; sicut dícitur, præcepísse vermi, ut coméderet héderam «Jonæ, c. 1, et per hunc modum, præcépit Seméi, ut maledíceret David, in «quántùm cor ejus inclinávit; et hoc (*nota benè*) secúndùm modum,» quem idem S. Dr. ibid. ad 9. expónit, ínquiens: «Quòd Deus non dícitur inclináre hómines in malum, immitténdô «malítiam, vel ad malítiam commovéndô, sed permitténdô, et ordinándô; ut «vidélicet, qui crudelitátem exercére «conséntiunt, in illos exérceant, quos «dignos Deus júdicat.» Secúndùm ergo hanc doctrínam dícimus: quòd cùm Deus nosset ánimum Seméi parátum ad maledicéndum David, permísit, ipsum hanc suam pravam voluntátem in eum exercére; quia Deus judicávit David dignum, ut suórum peccatórum sentíret vindíctam ex hujúsmodi impropério, et sic magis magísque humiliarétur. Deus sic permíttens Seméi maledícere David, ad quod erat ex se parátus; dícitur in-

clinásse Seméi ad maledicéndum David, eò modò quò Venátor, qui videns canem inhiántem lépori, solvit funem quò canis detinebátur, dícitur canem immittere in léporem, cùm tamen solùm cani permíttat, ut léporem aggrediátur.

Hæc doctrína, nedùm huic argumento solvéndo deservíre valet; verùm etiam ad nonnúlla ália explanánda Scriptúræ loca, quæ primâ fronte áliquod vidéntur facéssere negótium. Hâc siquidem doctrínâ Augustínus P. expónit hæc *psalm.* 104, *v.* 25, verba: *Convértit* (Deus) *cor eórum, ut odírent pópulum ejus*, ínquiens: «Non ítaque cor illórum, ma-«lum faciéndò; sed pópulo suo bene-«faciéndò, cor illórum spóntè malum «convértit (*id est permisit convérti*) ad «ódium. Non enim rectum cor pervér-«tit; sed spóntè pervérsum ad ódium «pópuli, ubi eò malò benè uterétur, con-«vertit: non illos malos faciéndò; sed «istis bona, quibus mali facíllimè possent «invidére, largiéndò.»

264. Obj. 2.° Apóstolus, *epist. ad Rom.*, *c.* 1, *v.* 28, de quibúsdam dicit: «Trádidit eos Deus in réprobum «sensum, ut fáciant ea, quæ non con-«véniunt:» et Glossa August., *lib. de Grat. et Lib. arbitr.*, *c.* 21, dicit, quòd «Deus operátur in córdibus hómi-«num inclinándò voluntátes eórum in «quodcúmque volúerit, sive in bonum, «sive in malum:» Sed fácere quæ non convéniunt, et inclinári secúndùm voluntátem ad malum, est peccátum: Ergo, Deus homínibus est cáusa peccáti.

Resp. Dist. Maj. Deus dícitur áliquos trádere in réprobum sensum, in quantùm non próhibet eos suum réprobum sensum sequi; concéd.: tradit immitténdò illis réprobum sensum, neg. Hæc accípimus ex D. Thoma, 1.ª 2.æ *quæst.* 79, *art.* 1.°, *ad* 1.^m aiénte: «Dícitur «ergo trádere eos in réprobum sensum, «in quantùm non próhibet eos, quin «suum sensum réprobum seqüantur, «sicut dícimur expónere illos, quos non «tuémur. Quod áutem Augustínus di-«cit, quòd Deus inclínat voluntátes hó-«minum in bonum, et malum, sic intel-«ligéndum est, quòd in bonum quídem «diréctè inclínat voluntátem; in malum «áutem, in quantùm non próhibet.» Vid. *num* 262.

265. Obj. 3.° Peccáta non fiunt præter Dei voluntátem: Ergo, fiunt Deò volénte. Antec. constat ex his D. Augustíni verbis, *Enchir.*, *cap.* 100: «Mirò, et ineffábili modò non fíeri præ-«ter ejus (*Dei*) voluntátem quod étiam «contra ejus fit voluntátem.»

Resp. neg. conseq. Hòc enim sensû verum est, quòd peccáta non fiant præter Dei voluntátem, quia non fiunt ipsò vel ignoránte, vel non poténte impedíre; ex quo tamen non séquitur, quòd fiant Deò volénte, sed tantùm Deò permitténte, ex hoc enim quòd Deus volens permíttit peccáta, bene quidem séquitur, quòd velit illa permíttere; sed non séquitur, quòd velít, ea fíeri; quia talis volítio habet pro objécto permissiónem peccatórum, non áutem ipsam peccatórum perpetratiónem.

266. Obj. 4.° Líberum arbítrium est cáusa peccáti; Atqui, Deus est cáusa líberi arbítrii: Ergo, Deus est cáusa peccáti, nam quod est cáusa cáusæ, est cáusa causáti.

Resp. Dist. maj. Líberum arbítrium, ut súbditur cáusæ primæ, est cáusa peccáti, neg. prout non súbditur cáusæ primæ, conc. Et simíliter dist. hocce princípium: *quod est cáusa cáusæ, est cáusa causáti*, si cáusa, quæ est ab ália, ipsíus órdinem non exit, conc. si exit, neg. Síquidem hocce princípium, *quod*

est cáusa cáusæ, est cáusa causáti, cum grano salis est intelligéndum. Pater enim est cáusa Fílii ; et tamen cáusa non est homicídii per fílium perpetráti. Artífex est cáusa armórum, quæ facit ; et tamen non est cáusa vel bellórum, vel duellórum, vel homicidiórum, quæ per illa perpetrántur. Quod ergo est cáusa cáusæ, est cáusa causáti, habet solùm veritátem, quándò causátum procédit à cáusa intermédia, secúndùm quod hæc súbditur órdini cáusæ, à qua est produ-cta ; quemádmodùm éxplicat D. Thom. 1.ª 2.æ *quæst.* 79, *art.* 1, *ad* 3, ínquiens : «Quòd efféctus cáusæ médiæ «procédens ab ea, secúndùm quòd súb-«ditur órdini cáusæ primæ, redúcitur «étiam in cáusam primam ; sed si pro-«cédat à cáusa média secúndùm quòd «exit órdinem cáusæ primæ, non redú-«citur in cáusam primam ; sicut si mi-«níster fáciat áliquid contra mandátum «Dómini, hoc non redúcitur in Dómi-«num sicut in cáusam. Et simíliter pec-«cátum, quod líberum arbítrium com-«míttit contra præcéptum Dei, non re-«dúcitur in Deum sicut in cáusam.» Nec fas est replicáre : líberum arbítrium est à Deo : Atqui, per líberum arbí-trium peccámus : Ergo, peccátum est à Deo. Síquidem, líberum arbítrium, ut est poténtia quædam reális, útique est à Deo : verùm ut hæc poténtia est defectíbilis, id non habet à Deo, sed ex própria sui conditióne, quatenùs scílicet est ex níhilo. Undè Aug., *lib.* 14, *de Civit. Dei*, *c.* 13, de poténtia peccándi lóquens, inquit : ut natúra sit, ex Deo habet, quòd à Deo facta est : ut áutem ab eo, à quo facta est, defíciat, ex hoc, quod de níhilo facta est. Quibus confórmiter S. Fulgéntius, *lib. de fide ad Petr.*, *c.* 3, scríbit : «Ídeo na-«túræ à Deo factæ possunt defíce-re, «quia ex níhilo factæ sunt.» Vid. D. Thom. *in* 2 *Sentent.*, *Dist.* 44, *quæst.* 1, *art.* 1.

267. Obj. 5.° Tum malum pœnæ, tum malum culpæ oppónitur bono : Atqui, non repúgnat Deo causáre malum pœnæ ; ídeò enim dícitur Isáiæ, *c.* 45, *v.* 7. Quòd «Deus est creans malum ;» et Amós, *c.* 3, *v.* 6 : «Si est malum in «Civitáte, quod Deus non fécerit :» Ergo, nec repúgnat Deo causáre malum culpæ.

Resp. Dist. maj. : tum malum pœnæ, tum malum culpæ oppónitur bono eídem, neg. oppónitur bono divérso, conc. Rem his D. Thom. verbîs, 1.ª 2.æ *quæst.* 79, *art.* 1, *ad* 4.ᵐ, explicámus : «Pœna oppónitur bono ejus, qui «punítur, qui privátur quocúmquè (*id «est, áliquô*) bonô ; sed culpa oppóni-«tur bono órdinis, qui est in Deum, un-«dè diréctè oppónitur bonitáti divínæ ; «et propter hoc non est símilis rátio de «culpa, et pœna.» Et proféctò, Deus potest benè fácere id, quod est contra particuláre bonum creatúræ, illíus boni privatiónem per áliud bonum recompensándô : sed non potest fácere contra divínum órdinem, hoc est, contra illum órdinem, secúndùm quem ómnia debent in Deum ordinári ; sic enim contra seípsum fáceret, quod est impossíbile, *seípsum enim negáre non potest.* Malum áutem pœnæ oppónitur bono particulári ejus, qui punítur ; cujûs boni privátio recompensátur per órdinem justítiæ, qui servátur quándò justa pœna inflígitur. At malum culpæ oppónitur órdini divíno, cùm culpa repúgnet implétióni voluntátis Dei, et peccántem deórdinet à Deo, Deíque amicítiam tollat, si sit mortális, vel saltèm ejus mínuat fervórem, si sit veniális.

§ II.

An Deus sit cáusa actûs peccáti.

268. In peccáto actuáli duo occúrrunt considerânda; materiále nempè, seu áctio physicè consideráta; et formále, nempè defórmitas talîs actiónis considerátæ moráliter. Quæstio ergo impræsentiárum est de actu peccáti, non formáliter, seu secúndùm eam rationem, quâ est peccátum; sed materiáliter, hoc est, de actu illo secúndùm substántiam, seu entitátem physicam considerátô, secúndùm quam substérnitur malítiæ peccáti. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *q.* 71, *art.* 6. His præhábitîs, sit

CONCLÚSIO.

Deus est cáusa própriè, et per se, actualitátis, et entitátis physicæ repértæ in peccáto.

269. Prob. 1.° Conclus., Sap., *cap.* 11, *v.* 25, de Deo dícitur: «Díligis ómnia, quæ sunt:» Joán., *cap.* 1.°, *v.* 3: «Omnia per ipsum facta sunt, et sinè ipso factum est nihil:» Act. Apost., *cap.* 17, *v.* 28: «In ipso vívimus, movémur, et sumus.» Ex quibus sic ratiocinámur. Deus ómnia, quæ sunt ens, díligit; ómnia, quæ sunt, per ipsum sunt facta; ab ipso est omnis nostra vita, motus, et esse: Atqui, actus peccáti secúndùm suam physicam entitátem consideráti, sunt verum, ac próprium ens, actus vitæ rationális, et motus: Ergo, Deus est cáusa própriè, et per se, actualitátis, et entitátis physicæ repértæ in peccáto.

S. Ansélmus id idem sentit, nam lib. de Concórdia præsciéntiæ Dei cum lib. arb., *c.* 7, inquit: «Facit Deus ómnia, «quæ justâ, vel injustâ voluntáte fiunt, «id est, bona ópera, et mala. In bonis «quidem, facit quòd sunt, et quòd bo«na sunt: in malis verò facit, quòd «sunt, sed non quòd mala sunt.»

270. Prob. 2.° Concl. ratióne D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 79, *art.* 2: «Actus peccáti et est ens, et est actus: «et ex utróque habet quòd sit à Deo. «Omne enim ens, quocúmque modò sit, «opórtet, quòd derivétur à primo Ente, «ut patet per Dyonysium 5, c. de Div. «Nom. Omnis áutem áctio causátur ab «áliquo existénte in actu: quia nihil «agit nisi secúndùm quòd est actû. Om«ne áutem ens actû redúcitur in pri«mum actum, scílicet Deum, sicut in «cáusam, qui est per suam esséntiam «actus. Undè relínquitur, quòd Deus sit «cáusa omnîs actiónis, in quantùm est «áctio.»

Angel. Dr. ádeò firmus est in hac senténtia ut in 2 *Sent.*, *Dist.* 37, *quæst.* 2, *art.* 2, de opinióne áliter sentiéntium dicat erróri esse propinquíssimam.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

271. Obj. 1.° Peccátum est actus: Ergo, si Deus est cáusa hujus actûs, est cáusa peccáti: hoc áutem dícere est Calviniánum: Ergo, Deus non est cáusa actûs peccáti.

Resp. Dist. antecéd. Peccátum est actus cum defóctu, concéd.: sinè defóctu, neg.: et neg. conseq. Solutiónem hîs D. Thom. verbîs, 1.ª 2.æ *q.* 79, *art.* 2, explicámus: «Peccátum nómi«nat Ens, et actiónem cum quodam de«féctu. Defóctus áutem ille est ex cáu«sa creáta, scílicet, líberô arbítriô, in «quantùm déficit ab órdine primi agén«tis, scílicet, Dei. Undè defóctus iste

«non redúcitur in Deum sicut in cáu-«sam, sed in líberum arbítrium; sicut «defóctus claudicatiónis redúcitur in «tíbiam curvam sicut in cáusam, non «áutem in virtútem motívam, à qua ta-«men causátur quidquid est motiónis in «claudicatióne. Et secúndùm hoc Deus «est cáusa actûs peccáti; non tamen est «cáusa peccáti, quia non est cáusa hu-«jus, quod actus sit cum defóctu.» Hâc eádem ratióne próprié dícimus, ánimam movéntem tíbiam claudicántem esse cáusam totíus motûs, qui est in tíbia: non verò esse cáusam claudicatiónis, quia non est cáusa cur tíbia cláuda sit.

272. Obj. 2.° Qui est cáusa alicújus rei, est étiam cáusa ejus quod tali rei inseparabíliter conjúngitur; sicut ignis, qui est cáusa calefactiónis aquæ, étiam est cáusa privatiónis frígoris in ipsa, quia privátio frígoris est inseparabíliter conjúncta cum calefactióne: Ergo, si Deus est cáusa actûs peccáti, erit étiam cáusa malítiæ, et inordinatiónis, quæ inseparabíliter isti áctui conjúngitur.

Resp. Antecédens non esse universáliter verum: ut enim S. Thom., *in* 2.° *Sentent. Dist.* 37, *quæst.* 2, *art.* 2, *ad* 5, scríbit; «etsi in áliquo efféctu «plura inseparabíliter conjúncta sint; «non opórtet ut quidquid est cáusa ejus «quántùm ad unum, sit cáusa ejus «quántùm ad álterum: sicut natúra est «cáusa óculi quántùm ad substántiam «ejus, et non quántùm ad defóctum cæ-«citátis.» Hùc étiam possémus referre, quæ in solutióne præcedénti addúximus, vidélicet, virtútem motívam esse cáusam totíus motûs, qui est in claudicatióne, quámvis non sit cáusa defóctûs, qui naturáliter est inseparábilis in habénte crus, vel tíbiam curvam.

Antecédens ergo, est dumtáxat verum, quándò inseparabílitas consúrgit ex natúra, et essántiâ actûs in se, seu secúndùm se consideráti, et non speciáliter ex relatióne ad áliquod princípium éxiens órdinem cáusæ primæ; sic enim ignis calefaciéndò aquam, simul est cáusa privatiónis frígoris, quóniam ista privátio inseparabíliter conjúncta est calefactióni, ex ipsa calefactiónis natúrâ, secúndùm se consideratâ: si áutem calefactióni conjungerétur áliqua ália privátio provéniens ab álio, quàm igne, hujus privatiónis cáusa non in ignem esset referénda, sed in illam áliam cáusam, quæ hanc indúceret privatiónem. Nunc ergo, malítia, et defórmitas peccáti non est inseparabíliter conjúncta áctui peccáti, ex natúra, vel essántiâ actûs secúndùm se, sive secúndùm substántiam, spectáti; sed solùm prout procédit à princípio exéunte órdinem primæ cáusæ, ut in præcedénti solutióne manet explanátum: Ergo, non debet ista malítia in primam cáusam referri, sed in illud princípium, quod revérà est princípium defíciens.

Præterquamquòd, sunt qui cum Valéntia, Capréolo, Ferrariénsi, et Becáno, negant, malítiam esse inseparabíliter conjúnctam áctui secúndùm substántiam consideráto, nam, ut ait Becánus, «tota «áctio reális, quátenùs à Deo est, pos-«set manére siné ullâ culpâ, aut malítiâ «moráli; v. g. si homo cùm ignorántia «invincíbili elíceret áliquem actum pro-«híbitum; ille actus non háberet ratió-«nem culpæ: contra, si elíceret cúm-«dem actum sciens, et volens, jam hábe-«ret ratiónem culpæ. Idémque judícium «est de actu secúndùm se malò, quem «elíceret áliquis, primùm amens, deíndè «compos ratiónis factus.» Undè juxta hunc modum explicándi, respondéndum est objectióni, negándò consequéntiam.

273. Obj. 3.° Si Deus esset cáusa próprié, et per se actualitátis, et entitá-

tis physicæ repértæ in peccáto, posset illam consúlere, et præcípere voluntáti creátæ illam produ̇cere: Atqui, hoc dici nequit: Ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Nam in Deo duplex est distingüénda rátio: ália, ut agéntis et Provisóris universális; ália ut Legislatóris. Ut áliquid sit términus divínæ volitiónis, et causalitátis Dei, ut agéntis ac Provisóris universális, súfficit, quòd in re adsit rátio entis reális dicens bonitátem physicam: ad hoc áutem ut áliquid términet actiónem Dei, ut Legislatóris, requíritur, ut bonitáti physicæ conjúncta sit bónitas morális, et id máximè requíritur, ut Deus áliquid cónsulat, vel præcípiat. Síquidem, ut docet D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 32, *art.* 1: «Próprius efféctus legis est, fácere bo«nos eos, quibus datur:» et 2.ª 2.æ *quæst.* 140, *art.* 1: «Finis legis divínæ «est, ut hómo inhæreat Deo;» quæ útique sinè bonitáte moráli néqüeunt obtinéri. Hinc actus ille, in quo relúcet solùm bónitas physica conjúncta cum malítia moráli, potest quidem esse términus volitiónis Dei, ut primi Entis, ac Agéntis, et Provisóris universális, non tamen potest esse términus volitiónis ejus, ut Legislatóris, áliquid præcipiéntis, aut consuléntis.

§ III.

An Diábolus sit cáusa peccatórum, quæ hómines pérpetrant.

274. Diábolum esse áliquò modò cáusam peccatórum, quæ hómines commíttunt, fas non est dubitáre, cúm ex Scriptúra constet, ipsum Evam ad peccándum induxísse; ac S. Petrus, *epist.* 1, *c.* 5, *v.* 8, dicat: «Vigiláte, quia adversárius «vester diábolus támquàm leo rúgiens «círcuit quærens quem dévoret:» ac Apost. Páulus, *epist. ad Ephes.*, *c.* 6, *v.* 12: «Non est nobis colluctátio ad«vérsùs carnem, et sánguinem, sed ad«vérsùs Príncipes, et Potestátes, advér«sùs Mundi rectóres tenebrárum harum, «contra spirituália nequítiæ in cœléstibus.» Inquírere tamen opórtet, quómodò diábolus sit cáusa peccátorum, quæ hómines commíttunt: pro quo sit

I. CONCLÚSIO.

Diábolus non est cáusa peccáti hóminis sufficiénter.

275. Prob. Concl. verbîs D. Thom., *quæst.* 3, *de Malo*, *art.* 3: «Motus vo«luntátis diréctè procédit à voluntáte, «et à Deo, qui est voluntátis cáusa; qui «SOLUS, in voluntáte operátur, et vo«luntátem inclináre potest in quodcúm«que volúerit. Deus áutem non est cáu«sa peccáti ut supra osténsum est. (Vid. «num. 269, et seq.) Relínquitur ergo, «quòd nihil áliud sit diréctè (id est suf«ficiénter) cáusa peccáti humáni nisi «volúntas.» Ergo, diábolus non est cáusa peccáti hóminis diréctè, vel sufficiénter. Vid. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 80, *art.* 1.

Et profèctò, Epist. 1.ª Petri, *cap. ult.*, *v.* 8, légitur: «Adversárius ves«ter Diábolus, támquàm Leo rúgiens, «círcuit quærens, quem dévoret, cui re«sístite fortes in fide.» Frustrà áutem talis admonítio darétur, si Diábolus esset cáusa sufficiens peccati, volúntas enim ei resisténdò vel posset, vel non posset vitáre peccátum; si non posset, frustrà Apóstolus Petrus ad ei resisténdum nos hortarétur; si posset, diábolus nequíret dici cáusa sufficiens peccáti: Ergo, diábolus non est cáusa sufficiens peccáti.

Hinc est, quòd quándò Jacob, *cap.* 4,

dícitur: *Resístite Diábolo*, mox áddítur: *et fúgiet à vobis:* Cónsequens ergo est, quòd ita possímus resístere Diábolo, ut Diábolus vincátur ab his, qui ipsi resístunt viríliter, adeóque Diábolus non est cáusa suffíciens peccáti.

Eòdem pértinet illud, *cap.* 6, *v.* 16. *Epist. ad Ephes:* «In ómnibus suménctes scútum fídei, in quo possítis ómnia «tela nequíssimi ígnea extíngüere:» ille enim nequíssimus, haùd dúbiè Diábolus intellígitur. Ille ergo nequit esse cáusa suffíciens peccatórum, quæ à nobis committúntur.

Quod et V. Beda trádidit in *cap.* 4, *Matth.* ad hæc verba: *Mitte te deorsùm*, inquiens: «Hic osténditur, quòd Diábo«lus, qui omnes cádere vult, persuadére potest, præcipitáre non potest.» Præcipitáret áutem, si esset cáusa suffíciens nostrórum peccatórum. Simília vidére licet apud Hierónymum in *cap.* 5, *Matth.*, apud Prósperum in resp. ad undécimam objectiónem Vincéntii: apud Irenæum, *lib.* 5, *cap.* 24: apud Augustínum, *Tract.* 52 *in Joán.:* apud Gregórium, *lib.* 13 *Moral.*, *cap.* 9: apud Chrysóstomum, *homil.* 10 *in Epist. ad Roman.* etc.

II. CONCLÚSIO.

Diábolus potest esse homínibus cáusa peccáti, per modum persuadéntis, et eis proponéntis appetíbile.

276. Prob. Concl. S. Thom. 1.ª 2.æ *quæst:* 80, *art.* 1, præmíssam Conclusiónem hîs verbîs evíncit: «Ex parte «objécti potest intélligi quòd áliquid mó«veat voluntátem tripliciter. Unò modô, «sicut ipsum objéctum propósitum; sicut «dícimus, quòd cibus éxcitat desidérium «hóminis ad comedéndum. Aliò modô, «ille, qui propónit, vel offert hujúsmodi «objéctum. Tertiò modô, ille, qui per«suádet, objéctum propósitum habére «ratiónem boni; quia et hic aliquáliter «propónit próprium objéctum voluntáti, «quòd est ratiónis bonum, verum, vel «appárens. Primô ígitur modô, res sen«síbiles extériùs apparéntes movent vo«luntátem hóminis ad peccándum. Se«cúndô áutem, et tértiô modô, vel Diá«bolus, vel étiam homo potest incitáre «ad peccándum, vel offeréndô áliquod «appetíbile sénsui, vel persuadéndô ra«tióni.»

Et proféctò: hæc prácticè evenérunt, cùm Diábolus Evam indúxit ad peccándum: nam pomum vetítum movit Evam per modum objécti; ut enim légitur Genes., *c.* 3, *v.* 6: «Vidit múlier quòd «bonum esset lignum ad vescéndum, et «pulchrum óculis, aspectúque delectá«bile:» en illud, quod movit Evam per modum objécti: præcéssit áutem áctio Diáboli per modum persuadéntis; Genes. enim ibídem légitur, quòd mulíeri dicénti: «Præcépit nobis Deus ne co«mederémus, et ne tangerémus illud, «ne fortè moriámur;» dixit serpens: «nequáquàm morte moriémini. Scit «enim Deus quòd in quacúmque die co«mederétis ex eo, aperiéntur óculi ves«tri: et éritis sicut Dii, sciéntes bonum «et malum.» En áctio Diáboli inducéntis ad peccátum per modum persuadéntis, adeóque propónentis Evæ objéctum, ut convéniens, seu appetíbile.

§ IV.

An homo possit esse cáusa peccáti altérius hóminis?

277. Ex verbis D. Thom. dudùm addúctîs constat, hóminem posse esse cáusam peccáti altérius hóminis suadéndô, suggeréndô, vel quomodólibet proponén-

dò ei peccátum, vel occasiónem peccándi. Id quod confirmátum habémus apud Matth., *c.* 18, *v.* 6: «Qui áutem scan«dalizáverit unum de pusillis istis, qui «in me credunt, éxpedit ei ut suspendá«tur molâ asinâriâ in collo ejus, et de«mergátur in profúndum maris. Væ «mundo à scándalis etc.» Præter hunc modum áutem, homo potest esse cáusa peccáti altérius hóminis per orîginem. Undè hìc támquàm in próprio loco, nobis incúmbit agere

DE PECCÁTO ORIGINÁLI.

278. Tanti pónderis, et moménti est, de peccáto originâli Tractátus, ut ex peccáti originális assertióne plures fîdei artículi firméntur, qui, eò sublátò, evertúntur. Undè D. Augustínus, *lib.* 1.° *contra Juliánum*, *cap.*, 6, inquit: «Quisquis in christiána fide vult labefac«táre quod scriptum est: Per hóminem «mors... totum quod in Christum cré«dimus, auférre molítur.» Hinc idem Augustínus, *ib. cap.* 7, subjúngit, Quòd in dógmate peccáti originális, *Christiánæ Religiónis summa consístit.*

279. Peccátum originále ita vocátur quia orígine simul cum natúra contráhitur; et distíngui potest in originále orîginans, et originále, quási originátum, (parcant nobis latinióres; usus schólæ ita nos sæpè loqui cogit). Originále orîginans est ipsum Adæ peccátum, quátenùs fuit cáusa transfusiónis ipsíus in Pósteros. Originále, quási originátum, est ipsum peccátum ut per orîginem in Pósteros transfúsum; et hoc próprié nuncupátur originále, quia scílicet orígine contráctum. En peccátum originále, de quo impræsentiárùm speciálem institúimus sermónem.

280. Várii circa ipsum pullulárunt erróres. Primus, qui sæculò IV, advérsùs peccáti originális traductiónem mussitáre cæpit, quidam fuit Ruffínus Presbyter, ut constat ex Actis Concílii Cartagínensis contra Cœléstium dicéntem, se hunc errórem à Ruffíno accepísse. Porrò, qui contra peccátum Originále in apértum pródiit, fuit Pelágius acérrimus divínæ grátiæ hostis. Quem secúti fuére ejus discípuli, Cœléstius, Juliánus, etc. Horum ergo capitále dogma, et véluti cæterórum basis erat, ut verbîs utámur Cæléstii, quòd, «Peccátum Adæ «ipsum solum læsit, et non genus hu«mánum: quòd infántes, qui nascúntur, «in eo státu sunt, in quo fuit Adam an«te prævaricatiónem: quòd neque per «mortem Adæ omne genus hóminum «móritur; quia neque per resurrectiónem «Christi omne genus hóminum resur«git: quòd infántes, etsi non baptizén«tur, habent vitam ætérnam.»

Errórem hunc Pelagiánum, Augustíni, et Africanórum Antístitum óperâ extínctum, circa annum 640, ìterùm excitárunt Arméni, dogmatizántes Adámum sibi tantùm nocuísse, parvulósque nullam sive culpam, sive pœnam ex parte Adámi contráhere.

Sæculò VIII, an. 716, Albanénses hunc étiam adoptárunt errórem, dicéntes, peccátum originále nihil esse, adeóque párvulos nullâ originálî labe maculátos nasci, aut baptísmò non egére; cui erróri étiam sæculò XIII, an. 1216, adhæsérunt Albigénses.

Ex hæréticis verò recentióribus, hâc eádem fulígine tincti fuére Zuínglius, qui Sæc. XVI, an. 1525, ex Pelágio dócuit de peccáto originâli, quòd non sit peccátum, sed tantùm natúræ morbus: item Joánnes Wesphálus, Germánus Doctor, qui an. 1533, evulgáre cæpit, nullum esse peccátum originále, nec párvulos recèns natos illud contráhere,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

nec credéndum esse Augustíno hoc asseránti.

Tandem, Sociniáni, ac Rationalístæ cujuscúmque sint denominatiónis, qui hódie per Holándiam, Germániam, Ángliam, aliásque infectas Natiónes grassántur, Trinitátis Mystériô evérsô, Christô divinitáte spoliátô, Ecclésiâ à suis cardínibus evúlsâ, in peccátum quoque originále insúrgunt, ejus negántes existéntiam, quemádmodùm ímpii nostri ævi, qui fúnditùs revelatiónem aspernántur. Ecclésia tamen Cathólica quôvis sæculô peccátum originále conféssa est; illúdque negántes támquàm Christiánæ fídei eversóres, anathémate detestáta est. Contra hos omnes ergo, cum Ecclésia Cathólica, sit

I. CONCLÚSIO.

Juxta fidem Cathólicam tenéndum est, dari peccátum originále, quod tradúcitur in Pósteros Adæ.

281. Priúsquàm probatiónes Conclusiónis subjiciámus, semel pro semper animadvértimus, in tota hac quæstióne de *Peccáto Origináli*, Christum et B. V. Mariam esse prorsùs excipiéndos; enim S. Póntifex felíciter regnans Pius IX, támquàm de fide definívit: Eam sinè labe origináli fuísse concéptam: et de Christo étiam ex fide constat. Vid. infra *num.* 301, in fine.

282. Prob. 1.° Concl. *Gen.*, *c.* 27, *v.* 14, légitur: «Másculus, cujûs præ«pútii caro circumcísa non fúerit, de«lébitur ánima illa de pópulo suo: quia «pactum meum írritum fecit.» Hæc pónderans D. August., *lib. de pecc. origin.*, *c.* 30, inquit: «Quid enim malî, «quæso, párvulus próprià voluntáte «commísit, ut álió negligénte, et eum «non circumcidénte, ipse damnétur, «damnatióne tam sevérâ, ut péreat ánima illa de pópulo suo?» Et *c.* 31, pergit dicens: «Quid sibi ergo vult, pro «nullo próprie voluntátis admísso, tan«ta damnátio? Neque enim, sicut non«núlli secúndùm Platónicos opinántur, «hoc uníuscujúsque infántis ánimæ réd«ditur, quod ante istam vitam suâ vo«luntáte commísit, cùm non habéret ante «hoc corpus, vel benè, vel malè líberum «vivéndi arbítrium; cùm Páulus Após«tolus apertíssimè dicat: *Nondùm na«tos nihil egísse boni, vel mali.* Undè «ergo rectè infans illâ perditióne puní«tur, nisi quia pértinet ad massam per«ditiónis, et justè intellígitur ex Adam «natus antíqui débiti obligatióne damná«tus, nisi indè fúerit, non secúndùm «débitum, sed secúndùm grátiam libe«rátus?»

283. Prob. 2.° Job., *cap.* 14, *v.* 4, scríptum est: «Quis potest fácere mun«dum de immúndo concéptum sémine? «Nonnè tu, qui solus es?» Quod quidem intelligéndum esse de immundítia spirituáli, seu peccátô, non verò de immundítia corporáli, hîs moméntîs evíncitur: 1.° quia Scriptúra lóquitur de immundítia, à qua solus Deus mundáre potest: hæc áutem spirituális est, non verò tantùm corporális, ab hac enim potest síquidem homo mundáre. 2.° Quia Scriptúra lóquitur de sorde, propter quam homo dúcitur in Dei judícium, ut constat ex verbis immediátè ib. præcedéntibûs, vidélicet: «Et dignum ducis «super hujuscémodi aperíre óculos tuos, «et addúcere eum tecum in judícium?» nemo áutem addúcitur in Dei judícium nisi propter peccátum. Ergo, exístit hæc originális immundítia, in qua omnes concépti sumus.

284. Prob. 3.° David, *psalm.* 50, *v.* 7, de semetípso dicit: «Ecce in iní«quitátibus concéptus sum, et in peccá-

«cátis concépit me Mater mea.» Porrò, quænam est iníquitas, in qua se concéptum; quodnam est peccátum, in quo se fuísse partum, ait David? Profécto, existimári nequit, áliquod fuísse peccátum personále suórum Paréntum, cùm ipse, non ex áliquo fornicário, aut adulterínò, sed ex sancto conjúgio fúerit concéptus. Restat ergo, quòd in iniquitátibus, et in peccátis se díxerit concéptum, propter originále peccátum, quod, cùm concéptus fuit, contráxit. Hoc nihil mirum quòd *iniquitátes, et peccáta* díxerit, cùm peccátum originále radix sit, et fomes quamplurimòrum peccatórum; et aliúndè, non ínfrequens sit in Scriptúris número pónere plurálem pro singulári, et id in loco nostro accidisse Intérpreti, indè evíncitur, quòd in Hebræo, ut obsérvat Bellarmínus, número sit, non plurális, sed singuláris, ac ídeò S. Hierónymus, simul ac álii, *in iniquitáte, ac peccáto*, reddidérunt. Hinc S. Augustínus enárrat. in præfátum psalm. inquit: «Suscépit persónam «géneris humáni David, et atténdit óm«nium víncula, propáginem mortis con«siderávit, orígenem iniquitátis advér«tit, et ait: *Ecce enim in iniquitáti«bus concéptus sum.* Numquid David de «adultério natus erat? De Jesse, virô «justô, et cónjuge ipsíus. Quid est, quod «se dicit in iniquitáte concéptum, nisi «quia tráhitur iníquitas ex Adam? Etiam «ipsum vínculum mortis cum ipsa ini«quitáte concrétum est. Nemo násci«tur, nisi trahens pœnam, trahens mé«ritum pœnæ.

285. Prob. 4.° Concl. ex novo Testaménto. *Epist. ad Rom.*, *c.* 5, *v.* 12, inquit Apóstolus: «Per unum hóminem «peccátum in hunc Mundum intrávit, «et per peccátum mors, et ita in omnes «hómines mors pertránsiit, in quo om«nes peccavérunt.» Ex his constat, per unum hóminem in hunc Mundum quoddam intrásse peccátum, quod omnes hómines reddit peccatóres, et morti obnóxios. Hujúsmodi áutem peccátum nequit esse personále, uníuscujúsque voluntáte commíssum; si enim ita foret, nequivísset Páulus dícere *quòd per unum hóminem intrávit*; sed dícere debuísset, per *unumquémque* intrávit; quílibet enim tunc esset áuctor sui peccati, et mortis suæ ex peccáto consequéntis. Aliúndè patet, non omnes esse suæ mortis cáusam, adeóque, neque peccáti, in cujûs pœnam mors infértur; infántes enim morti sunt obnóxii, et sæpè moriúntur, priúsquàm quidquam malî, aut bonî, própriâ égerint voluntáte. Ergo, peccátum, quod Apóstolus ait ab uno hómine in omnes álios unà cum morte pertransíisse, non est peccátum personále; restat ergo, quòd sit originále. Hic áutem unus homo, de quo inquit Apóstolus, quòd per ipsum, peccátum in hunc Mundum intrávit, debet esse homo ómnium primus, nempè, Adam, áliàs non in omnes hómines peccátum, et mors pertransiíssent, quod tamen Apóstolus in prælaudátis verbis id esse factum ásserit. Ergo, juxta fidem Cathólicam tenéndum est, dari peccátum originále, quod tradúcitur in Pósteros Adæ.

286. Nos non præterit, Pelagiános conátos fuísse vim hujus ineluctábilis arguménti elúdere dicéntes: Per Adámum peccátum équidem in hunc Mundum intrásse, ast non propagatióne, sed imitatióne tantùm: ac íterùm, Apóstolum in prælaudátis verbis, per peccátum non intellígere peccátum formáliter, sed peccáti efféctum, scílicet, mortem; vel, ut conténdit Zuínglius, ad malum pronitátem. Sed frustrà gárriunt Pelagiáni. Primam eórum evasiónem, írritam cassámque reddit August., *lib.* 1 *de*

Peccat méritis, c. 9, inquiens: «Si «Apóstolus peccátum illud commemo- «ráre voluísset, quod in hunc Mundum, «non propagatióne, sed imitatióne in- «tráverit; ejus Principem non Adam, «sed Diábolum díceret, de quo scriptum «est: Ab initio Diábolus peccat.» Iterùm: si Apóstolus peccátum illud commemoráre volúisset, quod in hunc Mundum, non propagatióne, sed imitatióne intráverit; nequivísset omnes hómines comprehéndere; nam, neque in infántes, neque in omnes adúltos transit peccátum Adæ per imitatiónem; non quidem in infántes, cùm hi ante usum ratiónis, néquëant peccándò Adámum imitári; neque in omnes adúltos, cùm horum quamplúrimi sint, qui de peccáto Adámi nihil úmquàm audivére, adeóque ipsum nequivérunt imitári: et tamen omnes hómines comprehéndit sententia Apóstoli, dicit enim, *in quo omnes peccavérunt*. Tandem, juxta Apóstolum ib. derivátur Adæ peccátum in pósteros, sicut justítia Christi in regenerátos; Atqui, justítia Christi ad regenerátos non derivátur per simplicem imitatiónem, sed in eos redúndat per veram in Christo regeneratiónem: Ergo, etc. Sunt équidem áliqui hómines, ad quos justítia Christi non pérvenit, sed hoc ídeò est, quia non sunt in Christo per baptísmum regeneráti; nullus áutem homo est, qui ab Adámo suam non trahat orígenem.

287. Ad secúndam Pelagianórum evasiónem excludéndam respondémus: si per peccátum Apóstolus intellígeret efféctum peccáti, nempè mortem, dum dicit, per unum hóminem peccátum in Mundum intrásse, et per peccátum mortem, sensus esset, quòd per unum hóminem mors intrávit in Mundum, et per mortem mors; quòd nugatórium esset, ac ridículum. Si dicátur cum Zuínglio, Apóstolum per peccátum hic intellígere álium peccáti efféctum, nempè, pronitátem ad malum, contra est, quòd non prónitas ad peccátum, sed ipsum peccátum verè, et próprie dictum, sit cáusa mórtis, juxta eúmdem Apóstolum, *cap.* 6, aiéntem: «stipéndium «peccáti, mors.» Et Ezech. *cap.* 18: «Ánima, quæ peccáverit, ipsa moriétur.» Concédimus, Apóstolum aliquándò súmere peccátum pro efféctu peccáti; negámus áutem, úmquàm súmere tò *peccáre* pro efféctu peccáti: hic áutem clarè et rotúndè dicit: *in quo omnes peccavérunt*. Patet ergo, Apóstolum in suis prælaudátis verbis non posse expóni fuísse locútum de peccáti efféctibus; sed intelligéndum, de peccáto formáliter, ac próprie sumptò, fuísse locútum.

288. Prob. 5.° Epist. ad Ephes., *c.* 2, *v.* 3, inquit Apóstolus: «Erámus «natúrâ fílii iræ, sicut et cæteri.» Super quæ verba D. Thom., *lect.* 1.ª, ait: «Erámus natúrâ, id est, per orígi- «nem natúræ, non quidem natúræ, ut «natúra est, quia sic bona est, et à Deo, «sed natúræ, ut vitiáta est, Fílii iræ, id «est, vindíctæ, pœnæ, et gehénnæ; et «hoc sicut cæteri, id est, gentíles.» Hoc Apóstoli testimónium ádeò luculéntum est, et decretórium, ut Calvínus ipse in Comment. hujus loci díxerit: «Locus est insígnis advérsùs Pelagiá- «nos, et quicúmque peccátum originále «negant. Nam quod naturáliter inest «ómnibus, id certè originále. Naturáli- «ter verò nos omnes damnatióni obnó- «xios Páulus docet; ergo peccátum in «nobis hæret, quia Deus non damnat «innocéntes. Pelagiáni cavillabántur, «peccátum ab Adam in univérsum hu- «mánum genus propagátum esse, non «orígine, sed imitatióne: sed Páulus «nos cum peccáto gigni testátur, que-

«mádmodùm serpéntes suum venénum «ex útero áfferunt.» Ergo, etc.

289. Prob. 6.° ex Concíliis. Concílium Milevitánum secúndum (quod ab alíquibus totíus Áfricæ plenárium dícitur) *Can.* 2.° ita státuit: «Plácuit, ut «quicúmque párvulos recéntes ab úte«ris Matrum baptizándos negat; aut di«cit, in remissiónem quidem peccató«rum eos baptizári, sed nihil ex Adam «tráhere originális peccáti, quod rege«neratiónis lavácrô expiétur; undè fit «cónsequens, ut in eis forma baptísma«tis in remissiónem peccatórum, non «verè, sed falsè intelligátur; anáthema «sit. Quóniam non áliter intelligéndum «est, quod ait Apóstolus: *Per unum «hóminem peccátum intrávit in Mun«dum*..... nisi quemádmodùm Ecclésia «Cathólica ubíque diffúsa semper intel«léxit.»

Eámdem veritátem dogmáticam accípimus à Concílio Arausicáno II, an. 529 celebrátô, *Canon.* 2, statuénte: «Si quis «solî Adæ prævaricatiónem suam, et «non ejus propágini ásserit nocuísse; «aut certè mortem tantùm córporis, «quæ pœna peccáti est, non áutem et «peccátum, quod est mors ánimæ, per «unum hóminem in omne genus humá«num transiísse, testátur, injustítiam «Deo dabit contradícens Apóstolo dicén«ti: Per unum hóminem peccátum in«trávit in Mundum, et per peccátum «mors, et ita in omnes hómines mors «pertránsiit, in quo omnes peccavé«runt.»

Decréta præfatórum Conciliórum renovávit Concílium Tridentínum, *Sess.* 5, *Can.* 2, de peccáto originâli hîs lóquens verbîs: «Si quis Adæ prævarica«tiónem sibi soli, et non ejus propágini «ásserit nocuísse; et accéptam à Deo «sanctitátem et justítiam, quam pérdi«dit, sibi soli, et non nobis étiam eum «perdidísse; aut iniquinátum illum per «inobediéntiæ peccátum, mortem, et «pœnas córporis tantùm, in omne genus «humánum transfudísse, non áutem et «peccátum, quod mors est ánimæ; «anáthema sit: cùm contradícat Após«tolo dicénti: Per unum hóminem pec«cátum intrávit in Mundum, et per «peccátum mors: et ita in omnes hómi«nes mors pertránsiit, in quo omnes «peccavérunt.»

290. Prob. 7.° Concl. ex Pátribus. Augustínus, *lib.* 1, *contra Jul.*, *c.* 3, *et* 4, hoc Dogma cathólicum probat ex Pátribus, Irenæo, Cypriáno, Retício, Olympio, Hilário, Ambrósio, ac Innocéntio I; et c. 5, ex Gregório Nazianzéno, Basílio, et ex 14 Episcopis Oriéntal., cap. 6, ex Chrysost. et c. 7, ex Hieron. Undè, *lib.* 3, *de peccat merit.*, *c.* 6, de peccáto originâli lóquens, inquit: «Non áliud, ex quo Christi Ec«clésia constitúta est, divinárum Scrip«turárum Tractatóres, et Christianá«rum disputatiónum Scriptóres sensé«runt, non áliud à Majóribus accepérunt, «non áliud Pósteris tradidérunt.» Qui ergo peccátum originále negant, Scriptúræ, et Traditióni, adeóque Fídei, adversántur: Ergo, juxta fidem Cathólicam tenéndum est, dari peccátum originále, quod tradúcitur in Pósteros Adæ.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

291. Obj. 1.° Ezechiél., *c.* 18, *v.* 20, légitur: «Fílius non portábit iniquitátem «Patris:» Atqui, si qui nascúntur ex Adámo, ex illo peccátum tráherent originále, jam fílii portárent iniquitátem Patris: Ergo, non datur peccátum originále.

Resp. Dist. Maj. Fílius non portábit iniquitátem Patris, si non sit párticeps

culpæ ipsíus, concéd.: si sit párticeps culpæ ipsíus, neg. Solútio in his D. Thom. verbis 1.ª 2.æ *quæst.* 81, *art.* 1, *ad* 1, radicátur: «Dicéndum, quòd «fílius dícitur non portáre peccátum Pa«tris, quia non punítur pro peccáto Pa«tris, nisi sit párticeps culpæ. Et sic «est in propósito: derivátur enim per «orígínem culpa à Patre in Fílium.» (Vid. probatiónes Conclusiónis.) Undè áddimus ex eódem D. Thom., *quæst.* 4, *de Malo*, *art.* 1, *ad* 19: «quòd pec«cátum primi Paréntis est quodámmo«dò peccátum commúne totíus natúræ; «et ídeò, cùm áliquis punítur pro pec«cáto primi Paréntis, non punítur pro «peccáto altérius, sed pro peccáto «suo.»

292. Obj. 2.° Epist. ad Rom. *c.* 4, *v.* 15, légitur: «Ubi non est lex, nec «prævaricátio:» Atqui, infántes non sunt capáces ullíus legis, aut præcépti, cùm usu ratiónis cáreant: Ergo, nulla potest esse in eis prævaricátio, adeóque nullum peccátum. Ita argüebat Zuínglius.

Resp. 1.° Neg. conseq. Páulus enim non dicit, ubi non est *personális* cognítio legis, nec est prævaricátio; sed generáliter, ubi lex non est, ibi nec prævaricátio datur, quod útique est veríssimum; nulla enim fingi potest prævaricátio, nisi sit lex, quæ prævaricándò violétur. Zuínglius ergo, probáre debuísset, et non tantùm suppónere, nullum posse dari peccátum nisi quod sit própriâ et actuáli voluntáte commíssum; ex probatiónibus áutem Conclusiónis constat, dari étiam peccátum áliquod, quòd orígine, et nativitáte contráhitur, quále est peccátum, quod dícimus contráhi à párvulis.

Resp. 2.° diréctè ad argumèntum: Díst. min. Infántes, prout considerántur ut personáliter distíncti à persóna primi Paréntis, et nondùm usum líberi arbítrii habéntes, sunt incapáces legis, adeóque prævaricatiónis; conc.: infántes, quátenùs considerántur, ut erant in Adámo támquàm in Cápite totíus humánæ natúræ, ita ut volúntas Adámi esset moráliter volúntas eórum, non erant capáces legis, adeóque prævaricatiónis, neg. Undè August., *epist.* 157, *ad Hilar.*, *c.* 3: «Prævaricátâ ergo lege, quæ in «Paradíso data est (*adeóque primo hó«mini*), náscitur homo ex Adam cum «lege peccáti, et mortis.»

Proféctò: ut ait D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 81, *art.* 1: «Omnes hómines, «qui nascúntur ex Adam, possunt con«siderári ut unus homo, in quántùm «convéniunt in natúra, quam à primo «Paréntc accípiunt; secúndùm quod in «civílibus omnes hómines, qui sunt «unius Communitátis, reputántur quási «unum corpus, et tota Commúnitas «quási unus homo..... Sic ígitur multi «hómines ex Adam deriváti, sunt tám«quàm multa membra unius córporis. «Actus áutem unius membri corporá«lis, puta, manûs, non est voluntárius «voluntáte ipsíus manûs, sed voluntáte «ánimæ, quæ primò movet membrum. «Undè homicídium, quod manus com«míttit non imputarétur mánui ad pec«cátum, si considerarétur manus secún«dùm se, ut divísa à córpore; sed im«putátur ei, in quántùm est áliquid hó«minis, quod movétur à primo princí«pio motívo hóminis. Sic ígitur, inordi«nátio, quæ est in isto hómine ex Adam «generáto, non est voluntária voluntáte «ipsíus, sed voluntáte primi Paréntis, «qui movet motióne generatiónis omnes, «qui ex ejus orígine derivántur, sicut «volúntas ánimæ movet ómnia membra «ad actum. Undè peccátum, quod sic à «primo Parénte in Pósteros derivátur, «dícitur originále, sicut peccátum, quod

«ab ánima derivátur ad membra córpo-«ris, dícitur actuále: et sicut peccátum «actuále, quod per membrum áliquod «committitur, non est peccátum illíus «membri, nisi in quántùm illud mem-«brum est áliquid ipsíus hóminis, prop-«ter quod vocátur peccátum humánum; «ita peccátum originále non est peccá-«tum hujus persónæ, nisi in quántùm «hæc persóna récipit natúram à primo «Paréntе: undè et vocátur peccátum «natúræ, secúndùm illud Ephes. *cap.* «11, *v.* 13. Erámus natúrâ fílii «iræ.»

293. Obj. 3.° Apóstolus, *epist. ad Rom.*, *cap.* 5, *v.* 12, ait: «Per unum «hóminem peccátum in hunc Mundum «intrávit:» Ergo, non generatióne tradúcitur, hæc enim non per unum, sed per duos, marem nempè et fæminam complétur. Ergo, peccátum imitatióne tradúcitur.

Resp. neg. conseq. Etsi enim generátio non perficiátur per unum, sed per duos, rationabíliter tamen Páulus *per unum* dixit, nempè Adam: tum quòd vir sit cáusa præcípua generatiónis: tum quòd ita petébat antíthesis, quæ ab Apóstolo instituebátur inter unum, et unum; prímum, et novíssimum; Adam, et Christum.

Juliáno allátum arguméntum objiciénti respondébat S. Augustínus, *lib.* 2.° *Oper. imperf.*, *cap.* 56. 1.° Quòd si non generatióne, sed imitatióne, peccátum propagári intellexísset Páulus, dixísset, *non per unum, sed per unam*, nempé fæminam, peccátum intrávit. «Numquid enim Evam non imitántur «peccántes, aut peccátum géneris hu-«máni non magis ex ipsa sumpsit iní-«tium? A mulíere inítium factum est «peccáti, et propter illam, sicut scríp-«tum est Eccl., cap. 25, v. 33, móri-«mur omnes. Cur ergo non vis attén-«dere, proptérea pótiùs Apóstolum «unum dixísse hóminem, per quem pec-«cátum intrávit in Mundum, quia non «imitatiónem, sed generatiónem volébat «intélligi? Sicut enim à Mulíere iní-«tium peccáti fuit, sic inítium genera-«tiónis à viro est: prior enim vir sémi-«nat, ut fæmina páriat; ídeò per unum «hóminem peccátum intrávit in Mun-«dum, quia per semen generatiónis in-«trávit, quod á viro excípiens concépit «fæmina.»

Resp. 2.° Augustínus ib., *cap.* 57, ait, dici posse, quòd etsi duo concúrrant ad generatiónem, pótuit tamen dícere Apóstolus, unum esse hóminem, per quem peccátum in Mundum intrávit: quia dum ínitur concúbitus, vir et uxor jam non sunt duo, sed una caro: cùm áutem per talem concúbitum peccátum originále traducátur, pótuit bené dici *per unum* intrávit: et cùm homo sit talís concúbitûs pars principális, méritò dici pótuit, quòd intrávit per unum hóminem.

294. Obj. 4.° Idem Páulus, *ib. c.* 14, *ait*: «Regnávit mors ab Adam, étiam «in eos, qui non peccavérunt.» Ergo, ex quo mors in omnes transíerit, non séquitur quòd transíerit peccátum.

Resp. Dist. anteced. In eos, qui non peccavérunt peccáto actuáli, sicut peccávit Adam, concéd.: qui núnquàm peccavérunt absolútè, nec peccátô orígine contráctô, neg. Ne hæc solútio gratúita videátur, annotámus in eódem Apóstolo habére fundaméntum: nam idem Apóstolus ibídem, póstquàm dixit; *in eos, qui non peccavérunt*, addit, *in similitúdinem prævaricatiónis Adæ*, quæ quidem prævaricátio fuit peccátum ipsíus actuále. Undè August. *lib.* 1 *de peccát. merit.*, *c.* 11, expónens illud, *regnávit mors in eos, qui non peccavérunt*, inquit: «id est, qui nondum suâ, et própriâ

«voluntáte SICUT ILLE, peccavérunt, «sed ab illo peccátum originále traxé- «runt, qui est forma futúri: quia in «illo constitúta est forma condemnatió- «nis futúris Pósteris, qui ex ejus propá- «gine crearéntur, ut ex uno omnes in «condemnatiónem nascerémtur.»

295. Obj. 5.° cum Juliáno dicénte: «non peccat ille, qui náscitur; non pec- «cat ille, qui génuit; non peccat Deus, «qui cóndidit, per quas rimas inter tot «præsídia innocéntiæ, peccátum fingis «ingréssum? Ergo, etc.»

Resp. cum S. Augustíno, *lib.* 2.° *de Nup. et Concupisc.*, *c.* 28: «Quid quæ- «rit laténtem rimam, cùm hábeat aper- «tíssimam jánuam? Per unum hóminem, «ait Apóstolus. Quid quærit ámpliùs? «Quid quærit apértiùs? Quid quærit in- «culcátiùs?» Ut rem hanc óculis Tyró- num subjiciámus claritáte, quam mate- ria ádeò abstrúsa pátitur, inquimus, ánimam non contráhere peccátum originá- le, dum concípitur in mánibus Creatóris; neque corpus, priúsquàm ei ánima uniátur, cóncipi potest peccátô originálî formáliter inféctum, quia corpus nequit esse formáliter subjéctum culpæ; sed simul ac ánima unítur córpori, una humána natúra resúltat, adeóque una persóna humána, adeóque unus homo propagátus ex *Adam*, *in quo omnes*, teste Apóstolô, *peccavérunt*. Hæc D. Thomas, 1.ª 2.æ *quæst.* 18, *art.* 1, *ad* 2.m compléxus est hîs páucîs verbîs: Ex hoc «enim fit iste, qui náscitur, consors «culpæ primi Paréntis, quòd natúram «ab eo sortítur.» En exémplum. Dum Rex incúmbit generatióni, non concípitur habére hærédem successórem regni, quámdiù ánima géniti à se, concípitur adhuc in manu Creatóris, et quámdiù corpus géniti non concípitur adhuc ánimâ informátum; sed simul ac ánima unítur córpori à Rege génito, resúltat unus homo, verus Regis hæres, ac succéssor, quia à Rege natúram sortítus est.

296. Obj. 6.° Nemo potest in álios transfúndere, quod in se non habet: Atqui, Paréntes plerúmquè, dum fílios génerant, non habent ámpliùs peccátum originále, cùm fúerit in eis delétum per baptísmum: Ergo, non possunt illud transfúndere in fílios, quámvis in ipsos transfúndant natúram.

Resp. Dist. maj. Nemo potest in álios transfúndere, quod neque formáliter, neque virtuáliter in se habet, conc. quod non habet in se formáliter, habet tamen virtuáliter, neg.: et dist. min. Paréntes plerúmquè, dum fílios génerant, non habent in se peccátum originále formáliter, conc. non habent virtuáliter, neg. Ita D. Augustínus, *lib.* 3, *de Peccat. merit. c.* 8 *et* 9. Et quidem, homo baptizátus, et regenerátus, non génerat prolem secúndùm id quô regenerátus est, id est, secúndùm spíritum, quem accépit in Christo; sed génerat secúndùm id, quô generátus est secúndùm carnem, quam ab Adam inféctam accépit. Undè, quámvis in se mundus sit, quia tamen semen ab Adámo derivátum, et concupiscéntia natúræ corrúptæ, quæ sunt instrumênta generatiónis, immúnda sunt; ídeò in prolem immundítiam transfúndunt. Sic enim, quámvis Paréntes Christiáni sint et fideles, non séquitur quòd fílii eórum et fidèles sint, et christiáni, quia paréntes non génerant quátenùs christiáni sunt, et fidéles, sed quátenùs sunt hómines: ita quámvis ipsi sint ab originâli peccáto mundi, non infértur quòd fílios génerent ab originâli mundátos. Vid. D. Thom 1.ª 2.æ *quæst.* 81, *art.* 3, *ad* 2.

297. Obj. 7.° Apóstolus, *Epist. ad Rom.*, *c.* 5, *v.* 19, inquit: «Sicut «enim, per inobediéntiam unius hómi-

«nis peccatóres constitúti sunt multi; «ita et per unius obeditiónem justi cons- «tituéntur multi:» Ex hoc Apóstoli testimónio sic discurrébant Pelagiáni: Apóstolus non dicit per unius hóminis inobediéntiam *omnes* hómines constitútos esse peccatóres, sed tantùm *multos*, eos nempé, qui ipsius peccátum imitántur; sicut per Jesu Christi obediéntiam non *omnes*, sed tantùm *multi* justificántur, ii nempé, qui benefició ejus redemptiónis utántur.

Resp. 1.° quoad primam partem arguménti. Apóstolus inquiens: Per inobediéntiam unius hóminis péccatóres constitúti sunt multi, per tò *multi* intélligit omnes, concéd.: intélligit tantùm áliquos, neg. Certè cùm Apóstolus ibid. dicat, mortem pertransiísse in *omnes* hómines, et *omnes* peccásse in Adámo, et per unius delictum in *omnes* hómines in condemnatiónem; manifestè appáret, ipsum in verbis objéctis nómine multórum, omnes Pósteros Adæ intélligere, quos méritò pótuit appellâre *multos*, cùm omnes multi sint. Solútio est D. Augustíni, *lib.* 1, *Oper. imper.*, *c.* 145, qui étiam acútè obsérvat, aliquándò *omnes* esse tantùm multos, aliquándò verò non esse; ut cùm dícitur, *omnes capilli*, et *omnes digiti*, hóminis; primum significat *multos*, álterùm, *páucos*. Vóluit ergo Apóstolus in prælaudátis suis verbis nos docére, omnes hómines in Adámo peccásse, et mórtuos esse, et hos omnes non esse páucos, sed multos.

Resp. 2.° quoad secúndam partem arguménti. Apóstolus inquiens: «Sicut «per inobediéntiam unius hóminis pec- «catóres constitúti sunt multi; ita per «unius obeditiónem justi constituéntur «multi,» non instítuit comparatiónem inter número peccatórum, et número justificatórum; sed inter cáusam condemnatiónis, quæ fuit Adam, et cáusam justificatiónis, nempè Christum: qui dícitur justificáre omnes hómines, non quási omnes, et sínguli reípsà justificatiónem consequántur, sed quia nemo nisi per Christum justificátur, «ut «sicut sinè Adam nullus ad mortem, ita «sinè Christo nullus ad vitam.» Verba sunt Augustíni, *lib.* 11, *de nup. et concup.*, *cap.* 2. Vel, ut éxplicat S. Thomas, 1.ª 2.æ *quæst.* 81, *art.* 3, *ad* 3^m^, in eo est antíthesis S. Páuli, «quòd si- «cut peccátum Adæ tradúcitur in om- «nes, qui ab Adam corporáliter generán- «tur, ita grátia Christi tradúcitur in «omnes, qui ab eo spirituáliter generán- «tur per fidem, et baptísmum.» Vid. D. August. *lib.* 6, *contr. Julian.*, *cap.* 24, et D. Thom. *lect.* 5 *in cap.* 5 *Epist. ad Rom.*

298. Obj. 8.° Si omnes hómines nascúntur peccátò obstricti, ac sub dæmonis potestáte, præstábit à generatióne cessáre, quia per generatiónem, non Deo, sed diábolo fructificátur. Imò núptiæ sí per ipsas peccátum originále transmíttitur, erunt illa arbor mala, quæ non potest bonos fructus fácere, adeóque condemnándæ erunt, ne peccáta, et inimíci Dei multiplicéntur: Atqui, nequit dici cessándum à generatióne, aut núptias esse malas, cùm Dóminus étiam post peccátum Adæ, *Genes.*, *c.* 9, *v.* 1, díxerit ad Noë, et fílios ejus: «Créscite, «et multiplicámini, et repléte terram:» Ergo, per generatiónem peccátum Adæ non propagátur. Ita váriis modîs cavillabátur Juliánus.

Resp. Juliánum in his ómnibus suis cavillatiónibus, peccátum, quod est malum, cum natúra, quæ bona est, pérperàm confúndere. Núptiæ, et generátio ex vi suæ institutiónis, quæ est à Deo, ad id, quod bonum est, scílicet, humánam natúram multiplicándam ordinántur,

non verò ad transmitténdum id quod malum est, scílicet peccátum originále; quod tamen de facto per generatiónem transmíttitur, non vítiò generatiónis secúndùm se; sed quia modò generatióni admiscétur peccátum primi Paréntis totam natúram maculántis. Hæc compléxus est Augustínus, *lib.* 2.° *de Núptiis, et Concupis. c.* 26, ínquiens: «Núptiæ institútæ sunt cáusâ generán-«di, non peccándi, propter quod illa est «à Dómino benedíctio nuptiárum: Crés-«cite, et multiplicámini, et repléte ter-«ram. Peccátum áutem, quod indè nas-«céntibus trábitur, non ad núptias pér-«tinet, sed ad malum, quod áccidit ho-«mínibus... Non ígitur (malum) ab «eárum institutióne, quæ benedícta est, «ad eas venit: sed ab eo quod ex uno «hómine peccátum intrávit in Mundum, «et per peccátum mors, et ita in omnes «hómines pertránsiit, in quo omnes pec-«cavérunt.» Hinc idem Augustínus, *lib.* 1 *contra Juliánum* obsérvat, malam árborem, undè peccátum originále gérminat, non esse núptias, quæ sanctæ sunt, sed pravam Adámi voluntátem, ex qua peccátum in Mundum intrávit. Ídeò ait S. Dr.: «Nihil valet ad ipsam quæstió-«nem similitúdo illa Evangélica; quia «non sunt núptiæ cáusa peccáti, quod «tráhitur à nascénte, et expiátur in re-«nascénte: sed voluntárium peccátum «hóminis primi, originális est cáusa pec-«cáti.»

299. Ad uberiórem prò Tyrónibus hujúsce matériæ intelligéntiam, quæres; Eccur Deùs ánimam puram, et immaculátam à se creátam córpori ita conjúngit, ut ex hac conjunctióne vitiétur? cùm nullus sápiens liquórem pretiósum in vas immúndum infúnderet, ex quo liquórem corrumpéndum esse sciret.

Resp. quæsíto. Huic interrogatióni, quæ altíssimos divínæ Providéntiæ, ac Sapiéntiæ fines attíngit, ita D. Thomas, 1.ª 2.æ *quæst.* 83, *art.* 1, *ad* 5, respóndet: «Bonum commúne præfértur «bono singulári. Undè Deus secúndùm «suam sapiéntiam non prætermíttit uni-«versálem órdinem rerum, qui est ut ta-«li córpori talis ánima infundátur, ut «vitétur singuláris inféctio hujus áni-«mæ; præsértim cùm natúra ánimæ «hoc hábeat, ut esse non incípiat nisi in «córpore. Méliùs est áutem ei sic esse «secúndùm natúram, quàm nullò modò «esse, præsértim cùm posit per grátiam «damnatiónem evádere.» Hinc dícimus, quòd nullus Sápiens liquórem pretiósum vasi infécto infúnderet, ex quo sciret, ipsum ínfici liquórem, verum est tantùm de Sapiénte particulári, non de universáli, qui bonum uníus curándò, neque universálem rerum órdinem, neque bonum Univérsi prætermíttere debet, ut malum alicújus vitétur. Éxigit áutem bonum Univérsi, quòd spécies humána conservétur per individuórum multiplicatiónem: ut étiam universális rerum ordo éxigit ut córpori ex Adam propagáto, et sufficiénter dispósito Ánima humána infundátur, et uniátur ad constituéndam cum córpore humánam natúram. Non opórtet ergo, quòd Deus, qui universalíssimus est Provísor hunc órdinem ad evitándam Ánimæ infectiónem prætermíttat. Áddimus, quòd étiam Provísor particuláris gemmam pretiósam convenién̄ter inclúderet in vase corrupto, et aliquátenùs corruptívò, si non posset eam áliter conservàre: Anima áutem rationális non potest ex conditióne suæ natúræ áliter creári quàm in córpore, etiámsi per absolútam Dei poténtiam secùs fieri váleat.

Ex his infértur, pérperàm ratiocinári, qui suppósità traductióne peccáti originális, árgüunt, hómines tenéri à generatióne cessáre, eò quia homo tenétur cessá-

re ab actu, ex quo séquitur malum, etiámsi tantùm per áccidens sequátur, hoc enim princípium solum tenet, cùm homo non habet justam cáusam ponéndi actum illum, ex quo séquitur malum per áccidens, sed non ita, quándò justam habet cáusam ; sic qui gerit bellum justum, non tenétur ab expugnatióne civitátis cessáre, quámvis per áccidens mors alicújus innocéntis sequátur. Cónjuges áutem justam habent cáusam generatióni vacándi, nempè ut spécies humána conservétur.

300. Obj. 9.° Omne peccátum est voluntárium : Atqui, ín infántibus usu ratiónis carántibus peccátum originále voluntárium esse non potest : Ergo, nec potest habére in eis ratiónem peccáti.

Resp. Dist. maj. Omne peccátum est voluntárium, vel voluntáte própriâ vel voluntáte altérius, voluntátem aliénam continénte, conc. : præcisè voluntáte própriâ, neg. : et dist. min.; in infántibus peccátum originále nequit esse voluntárium voluntáte própriâ, conced : voluntáte altérius infántium voluntátes continénte, neg. Quod ut clariùs à Tyrónibus percipiátur, sit

§ V.

Quómodò peccátum originále sit Pósteteris Adæ voluntárium.

301. Asserénte Scriptúrâ, omnes hómines in Adam peccásse, suâ spóntè fluit, Deum constituísse Adámum caput nedum naturále, sed étiam morále ómnium hóminum, qui seminâliter erant ab ipso descensúri : adeóque volúntas Adámi, voluntátem Posterórum ejus continébat. Si ita enim non fuísset, nos non potuissémus in ipso peccáre, tum quia non existebámus, tum quia etiámsi extitissémus, cùm volúntas nostra non fuísset in voluntáte Adæ conténta, non potuísset dici nos in ipso peccásse ; prout modò, etiámsi Paréntes nostri peccent, árgüi nequit nos in ipsis peccáre, quia volúntas nostra, in voluntáte Paréntum non est conténta.

Ne alícui videátur impossíbile, voluntátes nostras in voluntáte Adæ fuísse conténtas, opórtet præ óculis habére, Deum ita esse suprémum ómnium Dóminum, ut, secúndùm quod dicit Augustínus, magis hábeat in sua potestáte voluntátes nostras, quàm eas nos ipsi habeámus. Nos áutem póssumus in álium transférre voluntátes nostras, ita ut quod álius velit, et nos ipsi velímus: sicut cùm quis instituit álium, suórum bonórum dispensatórem cum ámpliis facultátibus donándi, vendéndi, commutándi etc ; si Procurátor donet, vendat, commútet etc. étiam insciò Dóminô, tunc ipse Dóminus censétur velle donáre, véndere, commutáre, etc. A fortiòri ergo, Deus jure suô pótuit nostras voluntátes ita in voluntátem Adæ transférre, ut quod Adámus vellet, etiam nobis ínsciis, et nos velle censerémur. Símile quid contíngit in humánis, dum Princeps inclúdit voluntátem pupílli in voluntáte Tutóris, quántùm ad actus civíles ; aut dum alicújus Civitátis Magistrátus nómine totíus illíus Civitátis agit cum Rege, et illi juraméntum éxhibet fidelitátis, tota Cívitas illud verè dícitur præstáre, etc. Nec Deo indígnum, quòd nostras voluntátes in Adámi voluntátem transtulísset; Adámum enim Deus tot grátiîs ornáverat, tot auxiliîs muníverat, ita contra tentatiónes valláverat, ut magis speránda esset ejus in bono perseveránția, et cómmoda indè secutúra, quàm timénda ejus prævaricátio, et quæ ex ipsa subsecúta sunt mala. Hîs ómnibûs benè perpénsîs, méritò dícitur, omnes hómines in Adámo peccásse.

Rem hanc adeò abstrúsam explicatúrus D. Thom. modò sensíbilî, quántùm matéria pátitur, præter verba, quæ ex ipso num. 292, suprà retúlimus, *quæst. 4, de Malo, art. 1*, ait: «Áliquis homo sín«guláris dupliciter potest considerári: «unô modô, secúndùm quòd est quæ«dam persóna singuláris; áliô modô, «sècúndùm quòd est pars alicújus Collè«gii; et utróque modô ad eum potest «áliquis actus pertinére. Pértinet enim «ad eum, in qúantùm est singuláris «persóna, ille actus, quem própriô arbi«triô, et per se ipsum facit; sed in «quántùm est pars Collégii, potest ad «eum pertinére actus áliquis, quem per «se ipsum non facit, nec própriô arbí«triô, sed qui fit à toto Collégio, vel à «plúribus de Collégio, vel à Príncipe Co«llégii; sicut illud, quod Prínceps Ci«vitátis facit, dícitur Cívitas fácere; «hujúsmodi enim Collégium hóminum «reputátur quási unus homo... Sic ergo, «tota multitúdo hóminum à primo Pa«rénte humánam natúram accipiéntium, «quási unum Collégium, vel pótiùs si«cut unum corpus unius hóminis consi«deránda est, in qua quidem multitúdi«ne unusquísque homo potest consi«derári, vel quási singuláris persó«na, vel quási áliquod membrum hujus «multitúdinis, quæ per naturálem ori«ginem derivátur ab uno... Si conside«rétur iste homo generátus, sicut quod«dam membrum totíus humánæ natúræ «à primo Parénte propagátæ, ac si om«nes hómines essent unus homo, sic «(defféctus originális justítiæ collátæ «Adámo, et derivándæ in ejus Póste«ros) habet ratiónem culpæ, propter vo«luntárium ejus princípium, quod est «actuále peccátum primi Paréntis.»

Concludámus ergo cum D. August., *lib. 4, Oper. imperf., c. 204, contra Juliánum*, scribénte: «désine vana gar«rire, et omnes, qui nondùm nati, nihil «per próprias voluntátes ágere póterant «bonî, vel malî, in uno potuísse peccá«re, in quo per ratiónem séminis erant, «quándò ille própriâ voluntáte peccátum «illud grande peccávit, naturámque «in se vitiávit, mutávit, obnoxiávit hu«mánam, excéptô unô hómine (nempè «Christô) qui ex ipso quidem sémine, «non tamen semináli ratióne procreátus «est, si potes, intéllige; si non potes, «crede.» Proféctò, ut ait D. Thom., *lib. 4, contra Gent., c. 52, n. 4*. «Licèt «Christus à primo Parénte secúndùm «carnem descénderit, non tamem inqui«natiónem originális peccáti incúrrit: «quia materiam humáni córporis solùm «à primo Parénte suscépit; virtus áu«tem formatíva còrporis ejus non fuit á «primo Parénte derivàta, sed fuit virtus «Spíritûs Sancti: undè natúram humá«nam non ab Adam accépit sicut ab «agénte, licèt eam de Adam suscéperit «sicut de materiáli princípio.»

Ex his ergo dicéndum: et Christum, et B. V. Maríam fuísse à peccáto originâli immúnes, sed álià, et álià ratióne. Christus, quia non descéndit ex Adam secúndùm sèminálem ratiónem, sed dumtáxat secúndùm corpuléntam substántiam: B. verò Virgo María, ex speciáli privilégio, ut modò definitum est ab Ecclésia.

§ VI.

In quo sita sit essèntia peccáti originalis.

Ut huic quæsito satisfaciámus, opórtet recólere, justítiam originálem hómini innocénti tria contulísse, nempè, subjectiónem mentis, seu ratiónis ad Deum; vírium inferiórum ad ratiónem; et córporis ad ánimam. Horum primum per grátiam habituálem, et charitátem præs-

titum, erat cáusa secúndi, et tértii, ut vidére licet apud D. Thom. 1 *Part. quæst.* 95, *art.* 1. Hæc ergo tria homo amísit peccándo, et hîsce tribûs privátus fuit. Hîs pósitîs, sit

CONCLÚSIO.

Formále constitutívum peccáti originális consístit in privatióne justítiæ originális, quoad suum primárium effèctum, qui erat subjícere perfécte mentem Deo.

302. Prob. 1.° Conclus. auctoritáte. Peccátum originále à Scriptúra, et Pátribus, et à Concílio Arausic., *can.* 2.° et à Trident., *Sess.* 5, *can.* 2.° vocátur mors ánimæ, et inimicítia Dei; Ergo, consístit in privatióne illíus doni, quô spirituáliter vívimus, et sumus amíci Dei: Atqui, hoc donum est grátia sanctíficans, quæ est primus efféctus justítiæ originális: Ergo, in privatióne illíus situm est formále peccáti originális constitutívum. Quod et trádidit S. Ansélmus, lib. 1.° *de concept. Virg.*, *cap.* 26, ínquiens: «Hoc peccátum, quod «Originále dico, áliud intellígere néquëo «in ipsis infántibus, nisi ipsam, quam «supra pósui, factam per inobediéntiam «Adæ, justítiæ nuditátem, per quam «sumus omnes fílii iræ.»

Hæc sententia communis est étiam nedùm plúrium extra schólam D. Thomæ, sed et Thomistárum, cum D. Thoma, *lib.* 2.° *Sent. Dist.* 30, *quæst.* 1.ª *art.* 3: *quæst.* 4.ª *de Malo*, *art.* 2.° *lect.* 3.ª, *epist. ad Rom.*, *cap.* 5: et tandem 1.ª 2.æ *quæst.* 82, *art.* 3, inquiénte: «Privátio originálîs justítiæ, «per quam volúntas subdebátur Deo, est «formále in peccáto origináli; omnis áu«tem ália inordinátio vírium ánimæ se «habet in peccáto origináli, sicut mate«riále.»

303. 2.° Prob. Conclús. dúplici ratióne theólogicâ. Primò, formále constitutívum peccáti originális in eo situm est, quod tóllitur per baptísmum; est enim baptísmus principáliter institútus in remédium peccáti originális: Atqui, per baptísmum tóllitur privátio justítiæ originális, tantùm quoad primárium ejus efféctum; confértur enim per baptísmum grátia sanctíficans, mentem Deo conjúngens, et subjíciens; non verò confértur subjéctio vírium inferiórum ad ratiónem, neque córporis ad ánimam: Ergo, etc. Secúndò, id est formále, seu essentiále constitutívum alicújus rei, quod primùm in ea concípitur támquám radix cæterórum, quæ ad illam rem pértinent: Atqui, privátio justítiæ originális quoad primárium ejus efféctum, scílicet, conjunctiónem cum Deo, est id quod primùm in peccáto origináli concípitur, támquàm radix inodinatiónis vírium inferiórum ad ratiónem, et córporis ad ánimam: Ergo, privátio justítiæ originális quoad primárium ejus efféctum est formále peccáti originális constitutívum. Prob. min. Hòc ipsò quòd Adam peccávit, privátus fuit grátiâ, et charitáte, quibûs Deo subjiciebátur, et jungebátur, et hôc sublátô repágulô, facta est in ipso subvérsio, et rebéllio vírium inferiórum contra ratiónem, et subsecútus est reátus mortis, cæterarúmque pœnalitátum, et miseriárum, quibûs homo lapsus afflígitur, ut patet legénti caput tértium Genéseos. Quòd ut abundántiùs explicémus, sit

§ VII.

De effectibus peccáti originális.

304. Explorátum apud omnes est, peccátum Proto-Paréntis, non solùm humánam natúram spoliásse supernaturálibûs donîs illi concéssîs, sed ultériùs eam in plúribus naturálibus sáuciam, seu ægram reddidísse. Undè August., *lib.* 3 *Op. imperf.*, *c.* 48, inquit: «Non «enim numerári possunt mala, quæ pa«tiúntur infántes, febrim, tussim, scá«biem, dolóres quorumcúmque membró«rum, ventris fluxum, lúmbricos, et «ália innumerabília ex ipsa carne exis«téntia, et tam ipsárum curatiónum, «quàm morbórum plura torménta: et «extrínsecùs ictus vúlnerum, plagas vér«berum, incúrsus dæmonum.» Quibûs recensîtîs colligébat Augustínus: «Num«quid enim in hoc sæculo dici de pár«vulo potest, quód justítia ejus (scílicet «Dei) super ipsum sit: quandóquidem «per vìtam própriam nec justè, nec inî«què adhuc potest vívere? Quidquid «ígitur pœnárum in hac ætáte pátitur, «quô méritô pátitur, si nullum ex Paréntibus traxit?» Vid. et D. Thom., *lib.* 4 *contra Gent.*, *c.* 52.

305. Ut ut magnæ sint ærúmnæ, et calamitátes córporis, quibûs in hac vita propter originále peccátum obnóxii facti sumus; multò tamen majóres sunt clades, quibûs ánima affécta est. Per peccátum enim originále natúra humána nedùm fuit gratúitîs, et supernaturálibûs spoliáta; sed étiam in suis naturálibus poténtiis sauciáta, et infirmáta. Ex Concílio enim Arausicáno II, accípimus: «Per offénsam prævaricatiónis Adæ, to«tum hóminem, id est, secúndùm cor«pus et ániman in detériùs fuísse com«mutátum:» quod idem sub anathéma-

te definit tenéndum Concílium Tridentínum, *Sess.* 5, *de peccat. orig. can.* 1.° Hinc Theólogi commúniter cum V. Beda tenent, quátuor esse vúlnera, quæ nobis peccátum originále inflíxit, nempè, ignorántiam, infírmitátem, malítiam, et concupiscéntiam, ut enim 1.ª 2.æ *quæst.* 85, *art.* 3, ratiocinátur D. Thomas, «sunt quátuor poténtiæ ánimæ, quæ «possunt esse subjécta virtútum, scílicet «rátio, in qua est prudéntia; volúntas «in qua est justítia; irascíbilis, in qua «est fortitúdo; concupiscíbilis, in qua «est temperántia. In quántùm ergo rá«tio destitúitur suô órdine ad verum, est «vulnus ignorántiæ; in quántùm verò «volúntas destitúitur órdine ad bonum, «est vulnus malítiæ, in quántùm verò «irascíbilis destitúitur suô órdine ad «árduum, est vulnus infirmitátis; in «quántùm verò concupiscéntia desti«túitur órdine ad delectábile moderá«tum ratióne, est vulnus concupiscén«tiæ.»

Hinc patet, hóminem per peccátum originále fuísse vulnerátum in naturálibus; quod tamen quómodò sit intelligéndum éxplicant hæc D. Thomæ verba, 1.ª 2.æ *quæst.* 85, *art.* 1.°: «Bonum «natúræ humánæ potest tripliciter dici. «Primò, ipsa princípia natúræ, ex quibus «ipsa natúra constitúitur, et proprietátes «ex his causátæ, sicut poténtiæ ánimæ, «etália hujúsmodi. Secúndò, quia ho«mo à natúra habet inclinatiónem ad «virtútem; ipsa áutem inclinátio ad vir«tútem est quoddam bonum natúræ. «Tértiò modò potest dici bonum natúræ «donum originális justítiæ, quod fuit in «primo hómine collátum totí humánæ «natúræ. Primum ígitur bonum natúræ «nec tóllitur, nec diminúitur per peccá«tum: tértium verò bonum natúræ to«táliter est ablátum per peccátum primi «Paréntis; sed médium bonum natúræ,

«scílicet ipsa naturális inclinátio ad vir-«tútem diminúitur per peccátum.»

Hi sunt, præter mortem, efféctus peccáti originális quoad præséntem vitam; operósiùs est áutem inquiréndum, an étiam in ália vita párvuli áliquâ pro peccáto originâli afficiántur pœnâ: pro quo elucidándô, sit

§ VIII.

Utrùm párvuli decedéntes cum solo originâli peccáto, pœnam sensûs patiántur.

306. Certum est, ob Protoparéntis peccátum, totum genus humánum à Regno Cœlórum perpétuò exclúsum remansísse; et omnes ex Adam progénitos in hanc lucem filios iræ, et indignatiónis Dei prodíre, dicénte Apóstolô, *Epist. ad Ephes.*, *c.* 2, *v.* 3, «erámus «natúrâ fílii iræ, sicut et cæteri.» Páriter certum est, génitis ab Adámo áliam non superésse viam reconciliatiónis cum Deo nisi per Jesum Christum, ajénte Petrô, *Act. Apost.*, *c.* 4, *v.* 12: «Non «est in álio áliquo salus. Nec enim áliud «nomen est sub Cœlo datum homíni-«bus, in quo opórteat nos salvos fíeri.» Est íterùm certum, huic reconciliatióni únicum médium esse baptísma, quò nisi fúerit peccátum originále delétum, nulla patet ad Regnum Cœlórum via, dicénte Dómino, *Joan.*, *c.* 3, *v.* 5: «Ni-«si quis renátus fúerit ex aqua, et Spí-«ritu Sancto, non potest introíre in Reg-«num Dei.»

Ex his suâ sponte fluit, omnes, qui ex hac vita cum solo originâli peccáto decédunt, puníri pœnâ damni, id est, à visióne divínæ esséntiæ perpétuò exclúdi.

Nos non præterit Pelagiános, non negásse párvulos sinè Baptísmate decedéntes à Regno Cœlórum esse excluséndos; contendébant tamen, ipsos ad vitam ætérnam, seu Dei visiónem perventúros, inter Regnum Cœlórum, et vitam ætérnam, seu Dei visiónem distingüéntes. Verùm hic Pelagianórum error explósus fuit per Concílium Carthaginénse, ut vidére licet apud S. August., *Epist.* 175; et per Concílium Milevitánum, ut vidére licet apud eúmdem S. Augustínum, *Epist.* 176. Undè ídem S. Parens, *lib.* 2, *de origine ánimæ*, *c.* 12, ait: «Novéllos hæréticos Pelagiá-«nos justíssimè Conciliórum Catholicó-«rum, et Sedis Apostólicæ damnávit «auctóritas; eò quòd áusi fuérunt non «baptizátis párvulis dare quiétis, et sa-«lútis locum, étiam præter Regnum Cœ-«lórum.» Vid. D. Thom., *quæst.* 5, *de Malo*, *art.* 1.

Quantúmvis omnes Cathólici convéniant in eo quòd párvuli sinè baptísmo decedéntes, Dei visióne carébunt; non tamen una est eórum ómnium sententia, circa pœnam sensûs, aut interióris tristítiæ: an scílicet eâ afficiántur, necne? Pro quo elucidándô, sit

I. CONCLÚSIO.

Commúnior, et probabilior sententia est, párvulos, qui cum originâli peccáto moriúntur, nullâ áffici pœnâ sensûs.

307. Prob. 1.° D. Thom., *quæst.* 5, *de Malo*, *art.* 2, inquit: «Commú-«niter dícitur, quòd peccáto originâli «non debétur pœna sensûs.» S. Bonaventúra in 2, *D.* 33, *quæst.* 1: «Hunc «modum dicéndi magis ápprobant Ma-«gístri commúniter,» quod idem ibid., *quæst. única*, ásserit Scótus. Bartholomæus Medina lóquens de sententia oppósita, inquit: «Dura est, estque jam ab «ómnibus explósa.» Curiel, 1.ª 2.æ

quæst. 83, *art.* 4, ait: «Nostram sen-«téntiam esse ómnium Scholasticórum, «unô excéptô Gregóriô Arimin.» His confórmiter Bellarmínus *de amis. grat., lib.* 6, *c.* 4, de senténtia oppósita, inquit: «Quæ quidem senténtia non vidé-«tur apértè reprobáta ab Ecclésiis; re-«jícitur tamen passim in Schólis.» Undè Lemos, *tom.* 1, *Panópl., cap.* 24, inquit: «Dicéndum, illos (*púeros*) pœnâ «sensûs nullô modô áffici, ut commú-«nis est Sanctórum, et Theologórum «senténtia.» Et profectò, vide Magís-trum Sententiárum; Alexándrum de Hales; Innocéntium V; Ægídium Romanum; Capréolum; S. Benardínum Senénsem; S. Antonínum; Tostátum; innumerósque álios, tam antíquos, quàm recentióres, ádeò ut Godoi, 1.ª 2.æ *disput.* 38, § 6, díxerit: «Est hisce «tempóribus apud Theólogos íta com-«múnis (*nostra senténtia*) ut recédere «ab illa non sit tutum.» Senténtia áutem áliqua, quò commúnior, eò probabílior; Ergo, commúnior, et probabílior etc.

308. Prob. 2.° Conclus. ex Scriptúra. Apocalyp., *cap.* 18, dícitur: «Quán-«tum glorificávit se, et in delíciis fuit, «tantum date illi torméntum, et luc-«tum.» Hìc, ut patet, pœna sensûs correspóndet peccátis actuálibus, et própriâ voluntáte commíssis, sive spirituálibus per glorificatiónem et supérbiam indicátis, sive carnálibus significátis per delícias: Atqui, párvuli nullum peccátum actuále, nec ullum própriâ voluntâte perpetrárunt: Ergo, etc.

Iterùm; Christus ubicúmque lóquitur de pœna sensûs inferéndâ, semper addit áliquid ad culpas actuáles, omissívas, aut commissívas pértinens: sic Matth., *cap.* 25, cùm refértur dictúrus: «dis-«cédite à me, maledícti, in ignem æter-«num,» légitur quòd subdet: «esurívi «enim, et non dedístis mihi manducáre» «etc.» Undè Capréolus in 2 *D.* 33, *q.* 1.ª, *art.* 3.° *ad* 2.m, ait: «Númquàm «in doctrína alicújus Apóstoli continéri, «pœnam positívam infligéndam iis, qui «nullum actuále detriméntum fecérunt.» Hæc observátio est quidem ponderatióne digníssima, quippè quâ apértè indicátur, pœnam sensûs sic esse própriam peccátis actuálibus personálibus, ut originâli non convéniat.

309. Prob. 3.° Conclus. ex jure: cap. *Majóres* extrà de bap. Innocéntius III, dicit: quòd «pœna originális «peccáti est caréntia visiónis Dei: actuá-«lis verò pœna peccáti, est gehénnæ «perpétuæ cruciátus.» Hæc verba ponderánti patet, quòd eórum prima pars debet intélligi cum exclusióne cruciátûs gehénnæ; alióquin forent eædem pœnæ pro utróque peccáto, tum actuálî, tum originálî, sinè ulla distinctióne; quam tamen distinctiónem státuit Póntifex.

310. Prob. Concl. ratióne è D. Thom. desúmptâ in 2 *Sentent.*, *D.* 33, *quæst.* 2, *art.* 1. Pœna debet esse proportionáta defectui, qui indúcit culpam: Atqui, defectui, qui in púeris indúcit culpam originálem, non est proportionáta pœna positíva sensûs: Ergo, párvuli, qui cum originâli peccáto moriúntur etc. Prob. minor verbîs S. Doctóris ibídem: «Nec ista culpa (*originá-«lis*) ad hunc hóminem pértinet, nisi «secúndùm quòd talem natúram habet, «quæ hôc bonô (*justítiâ originálî, et «gratiâ* quod in eo natum erat esse, et «possíbile conservári, destitúta est: «Ergo, nulla ália pœna sibi debétur, «nisi privátio illíus finis, ad quem do-«num subtráctum ordinábat, ad quod «per se natúra humána attíngere non «potest; hoc áutem est divína vísio. Et «ideò caréntia hujus visiónis est pró-

«pria, et SOLA pœna originális peccáti «post mortem.»

311. Prob. áliâ ratióne S. Thomæ, *quæst.* 5, *de Malo*, *art.* 2. Pœna sensûs correspóndet conversióni ad bonum commutábile, juxta illud Apocalyp., *c.* 18, *v.* 7 : «Quántum glorificávit se, et «in delíciis fuit, tantum date illi tormén«tum, et luctum:» Atqui, in peccáto originâli, non est convérsio ad bonum commutábile, sed sola avérsio à bono incommutábili, seu destitútio ánimæ à justítia originâli. Vid. *num.* 302, cum suo prænotam. Ergo, párvulis, ut solô peccátô originâlî infféctis, non debétur pœna sensûs, sed solùm pœna damni, scílicet caréntia visiónis divínæ.

312. Præterquamquòd, ut ibídem S. Dr. discúrrit : «Pœna sensûs númquàm «debétur habituáli dispositióni. Non «enim áliquis punítur ex hoc, quòd est «lábilis ad furándum, sed ex hoc, quòd «actû furátur : sed habituáli privatióni «ábsque omni actu, debétur áliquod «damnum, puta, qui non habet sciéntiam litterárum, ex hoc ipso indígnus «est promotióne ad Episcopálem digni«tátem.» Ergo, párvulo cum solo originâli, adeóque sinè actuáli peccáto, defúncto, «non debétur pœna sensûs, «sed solùm pœna damni, quia scílicet «non est idóneus perdúci ad visiónem «divínam, propter privatiónem justítiæ «originális.» Qui plura desíderet, ádeat Gonet, *disp.* 7, *de Pecc. Orig.*, *art.* 7, § 3.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

313. Obj. 1.° Secúndùm quod légitur Matth., *cap.* 25, in extrémo judício ómnibus, qui erunt in sinístra, dicétur : *Ite in ignem ætérnum* : Atqui, párvuli cum originâli decedéntes erunt in sinístra, cùm ex eódem Matth. cap. constet, duos tantùm futúros judicandórum órdines, quorum álii ad déxteram, álii ad sinístram collocabúntur ; párvuli áutem, de quibus est sermo, non erunt ad déxteram, his enim dicétur : *Veníte, percípite Regnum* etc. quod párvulis cum originâli existéntibus non concedétur : Ergo, cùm futúri sint in sinístra, in ignem ætérnum mitténtur.

Resp. Dist. Maj. In extrémo judício dicétur ómnibus *Adúltis*, ite in ignem ætérnum, concéd. : dicétur ómnibus omnínò, qui erunt in sinístra, neg. Animadverténdum est magnóperè, quòd in eo Matthæi loco non descríbitur forma judícii ad omnes omnínò servánda, sed tantùm descríbitur forma judícii *discussiónis* servánda respectivè ad adúltos, qui própria habent ópera bona, et mala. Hæc patet primò, ex parábolis ibídem addúctis, de Virgínibus, de taléntis, de óvibus, et hædis, et ex toto contéxtu. Secúndò, ex cáusis senténtiæ : «esurívi, «et non dedístis mihi manducáre etc.,» quæ quidem verba índicant ópera personália : hæc áutem solis adúltis, nullátenùs áutem párvulis, convéniunt : Ergo, verba Júdicis : «Ite in ignem ætér«num,» non in párvulos, sed in adúltos réprobos fulminabúntur.

Hanc interpretatiónem accípimus ex D. Thoma in 4 *Sentent.*, *D.* 47, *quæst.* 1, *ad* 3, *quæstiúncula* 1, *ad* 3, dicénte : «étiam púeri, ante perféctam «ætátem decedéntes, in judício compa«rébunt, non áutem ut judicéntur (*scí«licet, judiciô discussiónis*), sed ut ví«deant glóriam Júdicis.» Indè tamen mínimè inferéndum, párvulos ante perféctam ætátem decedéntes nullam subitúros senténtiam ; sed tantùm non eam subitúros, quæ judícium præsuppónit *discussiónis* circa bona, vel mala ópera personália ; ádeò ut, ipsi párvuli bapti–

záti, qui hôc ipsô erunt in déxtera, non vocabúntur ad Regnum ex vi illíus sententiæ, quæ commúniter his, qui erunt à déxteris proferétur, scílicet: «Venite, «benedícti Patris mei, percípite Reg«num etc.;» sed ex vi altérius sententiæ, quæ judícium discussiónis non præsuppónit, hoc enim in párvulis locum nequit habére. Sic páriter, de párvulis, qui in sinístra erunt, est dicéndum, quòd scílicet, non comprehendéntur sub illa senténtia, quæ post judícium discussiónis proferétur in eos, qui erunt in sinístra «ite in ignem ætérnum:» sed per áliam senténtiam à Regno cœlésti excludéntur.

314. Obj. 2.° Apocalyp., *c.* 20, *v.* 15, légitur: «Qui non invéntus est in «Libro vitæ scríptus, missus est in stag«num ignis:» Atqui, párvuli cum peccáto originâli decedéntes, non sunt scripti in libro vitæ: Ergo, mitténtur in stágnum ignis, adeóque pœnam sensûs patiéntur.

Resp. Dist. Maj. Qui, (si sit adúltus) non est invéntus in libro vitæ scríptus, missus est in stágnum ignis, concéd.: Si sit párvulus, neg. Hunc esse sensum verbórum Apocalypsis, patet ex ipso cápite, *v.* 12, ubi légitur: «Judi«cáti sunt mórtui ex his, quæ scripta «erant in libris, secúndùm Opera ipsó«rum;» et *v.* 13: «Judicátum est de «síngulis secúndùm ópera ipsórum.» Ex his maniféstum est, verba Apocalypsis, quæ objiciúntur, adúltos dumtáxat spectáre, non verò párvulos, cùm horum nulla sint ópera. Neque néminem movére debet, quòd ibidem *v.* 12, dicátur: «Vidi mórtuos magnos, et pu«síllos stántes in conspéctu throni etc.:» nam *pusíllos* Apocalypsis hic nóminat non ætáte, aut natúrâ, sed dignitáte, et gradû, id est, viles et abjéctos, qui respéctû Nobílium, et Magnátum, támquàm pusílli censéntur. Vid. Estium in hunc locum.

315. Obj. 3.° Matth., *c.* 3, légitur: «Permundábit (*Christus*) áream suam, «et congregábit tríticum suum in hór«reum, páleas áutem combúret igni «inextinguíbili:» ibid., *c.* 13, lóquens Christus de zizániis, quæ inimícus homo superseminávit in agro, inquit: «Collígite primùm zizánia, et alligáte ea «in fascículos ad comburéndum:» ibid. de sagéna missa in mare, et ex omni génere píscium congregánte, ait: «Ele«gérunt bonos in vasa, malos áutem «forâs miserunt: sic erit in consumma«tióne sæculi, exíbunt Ángeli, et sepa«rábunt malos de medio justórum, et «mittent eos in camínum ignis:» Atqui, infántes cum peccáto originâli decedéntes, non sunt neque tríticum, neque bonum semen, neque boni pisces; sed pálea, zizánia, et pisces mali: Ergo, in consummatióne sæculi, Ángeli separábunt eos de médio justórum, ac mittent eos in camínum ignis, adeóque pœnæ sensûs subjiciéntur.

Resp. In prædíctis parábolis, non comprehéndi párvulos cum solo originâli decedéntes, sed tantùm adúltos, qui própriis áctibûs effecérunt, ut non essent tríticum, sed pálea; non essent pisces boni, sed mali. Hôc sensû has parábolas dúximus interpretándas, quia in ipsis exprímitur executio senténtiæ, quæ judícium *discussiónis* subsequétur; cùm ergo párvuli huic judício discussiónis non subjiciántur, ut dictum est *num.* 313, laudátæ parábolæ párvulos non comprehéndunt. Undè D. Gregórius Nazianzénus, qui probè has Parábolas nóverat, homil. 40, lóquens de iis, qui ídeò sinè baptísmo decédunt, quia illum accípere nequivérunt, inquit: «Nec cœléstî gló«riâ, nec supplíciis à justo Júdice affi«ciéntur, útpotè qui licèt signáti non

«fúerint; improbitáte tamen (*útique «personáli*) cáreant, atque hanc jactú-«ram passi pótiùs fúerint, quàm féce-«rint.»

316. Obj. 4.° Juxta Augustínum in *Enchirid.*, *c.* 93: «Mitíssima sanè óm-«nium pœna erit eórum, qui præter pec-«cátum, quod originále traxérunt, nul-«lum ínsuper addidérunt:» Atqui, hæc pœna mitíssima est pœna sensûs; nam caréntia visiónis Dei est pœnárum máxima: Ergo, juxta Augustínum, párvulis cum solo originâli decedéntibus debétur pœna sensûs.

Resp. Dist. Min. cum D. Thoma, *quæst.* 5, *de Malo*, *art.* 1, *ad* 3. Caréntia visiónis Dei ex parte boni quod privat, est máxima pœnárum, concéd.: comparáta ad eum, quí punítur, neg. En verba D. Thomæ: «Grávitas alicú-«jus pœnæ potest atténdi dupliciter. «Unô modô, ex parte ipsíus boni, quod «privátur per malum pœnæ; et sic ca-«réntia visiónis divínæ, et fruitiónis Dei, «est gravíssima pœnárum. Aliô modô, «per comparatiónem ad eum, qui puní-«tur: et sic, tantô est grávior pœna, «quántô id, quod subtráhitur est magis «próprium, et connaturále ei, cui sub-«tráhitur. Sicut magis dicerémus pu-«níri hóminem, si auferrétur ei patri-«mónium suum, quàm si impedirétur, «ne perveníret ad Regnum, quod ei non «debétur. Et per hunc modum, dícitur «esse mitíssima ómnium pœnárum sola «caréntia visiónis divínæ; in quántùm «vísio divínæ esséntiæ est quoddam bo-«num omnínò supernaturále.»

—

II. CONCLÚSIO.

Púeri sinè baptísmo decedéntes, nullô afficiéntur dolóre, aut tristítiâ ex privatióne visiónis beatíficæ.

317. Prob. 1.° S. Gregórius Nyssénus in *Orat. de infántibus, qui morte immatúrâ abripiúntur*, inquit: «Imma-«túra mors infántium demónstrat neque «in dolóribus, ac mæstítiâ futúros esse «eos, qui sic vívere desiérunt.»

318. Prob. 2.° ratióne inníxâ doctrínæ D. Thom., *quæst.* 5 *de Malo*, *art.* 3. Nemo dolet de amissióne boni, quod non cognóscit, *ignóti enim nulla cupído:* Atqui, párvuli moriéntes cum solo peccáto originâli, non cognóscunt beatitúdinem supernaturálem quâ privántur: Ergo, ex privatióne hujus beatitúdinis nullum dolórem, nullámve tristítiam infántes patiúntur. Prob. Min. Beatitúdo supernaturális súperat cognitiónem naturálem, nec cognósci potest, nisi supernaturáliter per lumen fídei, juxta illud Apóstoli, 1.ª *ad Cor.*, *cap.* 2, *vv.* 9 et 10: «Nec óculus vidit, nec «áuris audívit, nec in cor hóminis as-«céndit, quæ præparávit Deus iis, qui «díligunt illum, nobis áutem revelávit «Deus per Spíritum suum:» Atqui, párvuli cum solo originâli decedéntes, non habent, nec habuérunt fidem nec actuáliter, nec habituáliter, quia fídei Sacraméntum, scílicet Baptísma, non suscepérunt: Ergo, Beatitúdinem supernaturálem non cognóscunt: Ergo, non dolébunt, neque tristabúntur de amissióne hujúsmodi Beatitúdinis.

Quidam conténdunt, púeros, de quibus est sermo, in die judícii áliquam perceptúros tristítiam, vidéndô álios sibi coætáneos, et non ipsos, assúmi ad glóriam: Sed non rectè: ex hoc enim quod

quis vídeat, cœtáneos ad áliquam dignitátem assúmi, non séquitur, quòd indè cognóscat, se ad eámdem, vel símilem fuísse destinátum; et nullus tristátur ob caréntiam ejus ad quod nescit, se destinátum fuísse; sicut nullus tristarétur ob amissiónem hæreditátis, ad quam fúerat quidem à Dómino vocátus, sed quod ipse númquàm scivit. Sed hæc pro necessária brevitáte sufficiant; cùm enim hæc quæstio neque ex divínis elóquiis, neque ex apérta ómnium PP. doctrína certò resólvi quëat, satis sit, nonnúlla moménta indicásse, quæ partem, quam tuémur, sat reddunt probábilem.

319. Petes 1.° An Adámô non peccánte, licèt peccánte Evâ, Pósteri contraxíssent peccátum originále?

Resp. negativè. Nam Apóstolus, *epist. ad Rom., c.* 5, inquit: «in quo (nempè «Adam) omnes peccavérunt; et regná-«vit mors ab Adam:» itémque *Epist.* 1.ª *ad Cor., cap.* 15, inquit: «In Adam «omnes moriúntur:» hæc áutem dici non valérent, si Adámô non peccánte, peccánte verò Evâ, pósteri peccátum originále contráherent, quia tunc in Eva jam peccássent, atque in ipsa mórtui fuíssent: Ergo, Adámô non peccánte etc.

2.° Idem Apost. *epist. ad Rom., cap.* 5, ait: «Uníus delíctô mors regnávit per «unum; per uníus delíctum in omnes hó-«mines in condemnatiónem: per ino-«bediéntiam uníus hóminis peccatóres «constitúti sunt multi:» sempérque illic oppónit unum uni, scílicet Adámum Christo: Ergo, si iste unus, nempè Adam, non deliquísset, peccátum in Pósteros non fuísset transfúsum. Et quidem: si peccátum ab Eva, et Adámô transfunderétur; jam non uníus, sed duórum delíctô mors regnáret: nec per uníus, sed per duórum delíctum et inobediéntiam essémus peccatóres constitúti.

3.° Concílium Tridentínum, *Sess. V*, docet: Prævaricatiónem Adæ suæ propágini nocuísse, ipsúmque accéptam à Deo sanctitátem, et justítiam, non sibi soli, sed nobis étiam perdidísse: si áutem peccátum originále ab Eva transfunderétur, ita ut, ipsâ peccánte, et Adamô innocéntiam retinénte, Pósteri fuíssent illud contractúri; non appáret, quid nobis Adam nocûerit, vel quô modô nobîs perdíderit, quam ipse accéperat, sanctitátem, et justítiam: quia priúsquàm Adam peccáret, totam illam jam in Eva peccánte perdidissémus, ípsaque Eva, tum córporis, tum ánimæ nocuméntum jam ánteà nobis intulísset, ádeò ut, prævaricátio Adæ, quæ secúndùm órdinem témporis Evæ peccátum est subsecúta, ad nostrum originále peccátum impértinens videátur, quandóquidem sive ipse fuísset, sive non, prævaricátus; propter antecedéntem Evæ transgressiónem, nos illud contraherémus: tunc nobis contíngeret quod áccidit quándò áliquis est per álium occísus, vidélicet, quòd si álius quíspiam occíso inflígeret vulnus ex se quidem mortíferum, tamen non verè ipsi nocéret, neque revérà ipsum occíderet; sic ergo, páriter, si peccátum contraherémus ab Eva peccánte, Adam non verè nobis nocuísset, neque ipsô peccánte nos verè reddidísset mortáles, quia jam ánteà per peccátum Evæ, spirituáliter mórtui, ac corporáliter mortáles rédditi fuissémus. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 81, *art.* 5.

320. Petes 2.° Si neque Adam, neque Eva peccássent, peccásset áutem áliquis ex suis Pósteris, puta, Cáin, an iste in suos pósteros peccátum originále transmisísset?

Resp. cum communi, negativè. Sic Bellarmínus, *lib.* 4, *de Amissióne gratiæ, c.* 12; sic Medina, 1.ª 2.æ *quæst.* 81, *art.* 5, sic Valéntia, Becánus, Tan-

nérus, Puteánus, Sylvius etc. Et quidem rátio in promptu est, nam á solo Adámo derivátur peccátum originále (vid. dicta n.° præced.), sive paréntes próximi boni sint, sive mali : Ergo, simíliter ex eo solo deriváta fuíssét justítia, sive paréntes próximi peccássent, sive non peccássent. Neque refert, si dicátur, hinc sequi, quòd peccatóres generássent justos. Id enim esset, non ratióne eórum, qui propínqui fuíssent generántes, sed ratióne primæ oríginis, primíque Cápitis : idque mínimè vidétur absúrdum, sicut absúrdum non est, quòd hódiè qui per malos Minístros baptizántur, sancti fiunt : et qui generántur ex Paréntibus sanctis, nascúntur peccatóres. Peccátum ígitur, quod commisísset áliquis ex Adæ pósteris, fuísset solùm personále, ideóque non natúram eórum, qui ab eo descendíssent, sed suam dumtáxat, infecísset.

Nos non præterit, apud D. Thomam, *quæst.* 5, *de Malo*, *art.* 4, *ad* 8, legi : «Si áliquis ex pósteris Adam peccásset «eô non peccánte, morerétur quidem «propter suum peccátum actuále, sicut «Adam mórtuus fuit ; sed pósteri ejus «moreréntur propter peccátum originá«le.» Huic objectióni respondémus, quosdam, inter quos Bellarmínus, suspicári hunc textum esse corrúptum ; nec sinè fundaménto, nam S. Doctor, *quæst*, 4.ª *de Malo*, immediátè præced. hanc negat propositiónem : «Si primô hómine «non peccánte, áliquis posterórum ejus «peccásset, corrúpta fuísset in eo na«túra humána, et talem transmisísset in «pósteros ;» non est áutem credíbile, quòd quæstióne immediátè sequénti illud ipsum asserúerit, quod præcedénti quæstióne negáverat. Sed utut res sit, certum est, S. Doctórem in sua Summa, quæ postréma fuit ex suis opéribus, 1.ª 2.æ *quæst.* 81, *art.* 2, mentem suam aperuísse, expréssè dicéndô : «Im«possíbile esse quòd áliqua peccáta pro«ximórum Paréntum... per oríginem «traducántur.»

CAPUT IV.

DE PÆNA, QUÆ POST HANC VITAM PECCÁTO ACTUÁLI DEBÉTUR.

321. Certum est, omne peccátum actuále indúcere reátum pœnæ; quidquid enim contra áliquem órdinem insúrgit, dignum est ut ab eo órdine, vel órdinis Príncipe, deprimátur. Omnis áutem qui peccat, contra áliquem órdinem agit, cùm peccátum sit actus inordinátus. Ergo, dignum est, quòd qui peccat, ab eo órdine, contra quem peccat, deprimátur. Hæc depréssio est pœna : ac consequénter, esse depressióne dignum, est esse dignum pœnâ : et hoc est quod nomen *reátus* significat. Cùm áutem sint tres órdines, quibus humána volúntas súbditur, istâ tríplicî pœnâ dignum se réddere potest qui peccat, adeóque tríplicis pœnæ valet incúrrere reátum. Primò enim humána natúra súbditur

órdini própriæ ratiónis, ita ut débeat operári juxta dictámen lúminis ratiónis. Secúndò súbditur órdini hóminis extériùs gubernántis, sive temporáliter, sive spirituáliter. Tértiò, súbditur universáli órdini divínæ gubernatiónis : et quóniam quílibet horum órdinum potest per peccátum pervérti, dum is, qui peccat, agit contra rectam ratiónem, contra legem humánam, et contra legem divínam; ratióne primi, incúrrit reátum pœnæ remórsûs conscientiæ; ratióne secúndi, reátum pœnæ, qui posssit ab hómine inflígi : ratióne tértii, reátum pœnæ à Deo inferéndæ. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 87, *art.* 1.

322. Juvat hic observáre quòd inter se différunt, *Peccátum*, *Peccáti mácula*, *Culpa*, *Reátus*, *Offénsa*, *Pœna*. *Peccátum* enim est actus voluntárius débito órdini repúgnans : *Mácula*, est privátio nitóris ánimæ, qui ei debéret per grátiam inésse : *Culpa*, quámvis, sæpe pro peccáto usurpétur, tamen próprié loquéndò, est illa imputátio, quâ actus áliquis inordinátus, ei, qui ipsum elícuit, in vitupérium imputátur : *Reátus*, est obligátio ad pœnam : *Offénsa*, ex parte offendéntis est quidem illa inæquálitas contrária divínæ justítiæ, quam facit homo, eô ipsô quòd peccat; ex parte áutem Dei, qui offénditur, est ipsius contra peccatórem indignátio, quæ, loquéndô de offénsa peccáti mortális, oppónitur speciáli illi amóri, quô Deus áliquos támquàm amícos, et fílios prosequitur : *Pœna* tandem, est justa vindícta seu actuális inflíctio illíus mali, seu temporális, seu ætérni, quô quis peccándô dignum se réddidit.

§ I.

Útrùm omnis peccans mortáliter, pœnæ ætérnæ incúrrat reátum ?

323. Resp. affirmativè; ad fidem enim pértinet, áliqua esse peccáta, quæ reátum pœnæ ætérnæ indúcunt; ómnia illa, vidélicet, quibûs cháritas extínguitur, et quæ idcírcò mortália appellántur, eò quia cháritátem, quæ est ánimæ vita, ab ánima áuferant, adeóque eam spirituáliter mórtuam reddant.

Duplex est áutem pœna peccáti mortális, una damni, quæ consístit in exclusióne à Regno, et in divínæ visiónis caréntia, de qua pœna lóquitur Evang. Matth., *c.* 25, *v.* 41, ínquiens : «Discé«dite à me, maledícti,» ália est pœna sensûs, quæ pósita est in rei sensíbilis cruciátu, de quo fit méntio ab eódem Evangelísta ibídem, et alíbi, dum ímpii dicúntur in ignem mitténdi.

De utráque hac pœna fide certum est, quòd peccátum mortále indúcat reátum ætérnitátis. Nam Deus, cùm sit justus Judex, non punit peccáta gráviùs, quàm mereántur. Constat áutem ex sacris lítteris, puníri peccáta lethália pœnîs ætérnîs; sic Matth., *c.* 25, *v.* 41, légitur Júdicem dictúrum Réprobis : «Discédite à me, maledícti, in ignem «ætérnum.» Marc., *c.* 3, *v.* 29, légitur : «Qui áutem blasphemáverit in Spí«ritum Sanctum, non habébit remissió«nem in ætérnum, sed reus erit ætérni «delícti;» 2.ª *ad Thessal.*, *c.* 1, *vv.* 8, *et* 9, scriptum est : «Qui non obédiunt «Evangélio Dómini nostri Jesu Chris«ti, pœnas dabunt in intéritu ætérnas «à fácie Dómini, et à glória virtútis «ejus, etc. etc.» Páriter Concílium Lateranénse, cap. Fírmiter, tit. *de Sum. Trinit.* definit, quòd «Mali recípient

«cùm Diábolo pœnam perpétuam.» Ita unanímiter SS. Patres, inter quos Gregórius, *lib.* 4.° *Dialogór. cap.* 44, hæc habet: «Constat, et incunctánter «verum est, quia sicut finis non est «gáudio bonórum, ita finis non erit tor«ménto malórum. Nam cùm Veritas di«cat, ibunt ímpii in supplícium ætér«num: justi áutem in vitam ætérnam; «quia si verum est quod promísit, fal«sum proculdúbiò non erit quod minà«tus est Deus.» Adest et rátio theológica innixa doctrínæ D. Thomæ, 1.ª 2.æ *q.* 87, *art.* 3. Peccátum ex hoc indúcit reátum pœnæ, quòd áliquem órdinem pervértit (vid. *num.* 321); Ergo, quámdiù pervérsitas órdinis rémanet, necésse est, quòd remáneat reátus, pœnæ, remanénte enim cáusâ, manet efféctus, sicut manénte calóre, manet rarefáctio; manénte frígore, manet condensátio; etc. Atqui, in omni peccáto mortáli reperítur deordinátio, seu pervérsitas órdinis, quæ de se est irreparábilis: Ergo, in omni peccáto mortáli invenítur deordinátio, quæ de se semper manet: Ergo, cuílibet peccáto mortáli respóndet reátus pœnæ ætérnæ; reátus enim pœnæ est efféctus deordinatiónis, quæ in peccáto mortáli invenítur, ipsíque proportiónatur. Quòd áutem peccátum mortále indúcat deordinatiónem de se irreparábilem ex eo constat, quòd tollit princípium órdinis, scílicet grátiam, quæ est princípium vitæ spirituális, adeóque, peccátum mortále in órdine spirituáli, se habet sicut deordinátio mortis, et cæcitátis in órdine corporáli; mors enim tollit princípium vitæ, et cæcitas princípium visûs, et hac ratióne tùm mors, tum cæcitas dicúntur de se irreparábiles, quámvis virtúte divinâ qüeant reparári. Sic simíliter dícimus, quòd cùm peccátum mortále áuferat grátiam ab hómine, talem indúcit in ipso deordinatiónem, quæ ex parte hóminis reparári non potest, quantúmvis virtúte divinâ reparári qüeat. Quòd áutem virtúte divinâ, seu per grátiam resúrgat peccátor, hoc nullátenùs adscribéndum est natúræ peccáti mortális, quia hocce peccátum quántùm est de se deordinatiónem irreparábilem, adeóque in ætérnum mansúram, impórtat. Hæc conpléxus est D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 87, *art.* 3, *ad* 1, ínquiens: «Justum «est secúndùm Gregórium, lib. 4 dia«log., c. 44, quòd qui in suo ætérno «peccávit contra Deum, in ætérno Dei «puniátur. Dicitur áutem áliquis in suo «ætérno peccásse, non solùm secún«dùm continuatiónem actûs in tota hó«minis vita durántis, sed quia ex hoc «ipsò, quòd finem in peccáto constítuit, «voluntátem habet in ætérnum peccán«di. Undè dicit Gregórius 4 Moral. «ibid. quòd iníqui voluíssent sinè fine «vívere, ut sinè fine potuíssent in iniqui«tátibus permanére.»

Hæc nos manudúcunt ad agéndum de Inférno: quapropter sit

§ II.

De existéntia Inférni in ætérnùm peccátum cruciántis.

324. Sunt qui pœnárum æternitátem denegárunt. Primus eórum existimátur Orígines; quámvis non desint qui eum ab hoc erróre conáti sunt absólvere: sed frustrà, eos enim íntegra véterum Patrum cohors, præsértim S. August., *hæresi* 43, jubet conticéscere. Imò ipsa Synódus V, inter Orígenis erróres, étiam hunc proscrípsit: «Ómnium impiórum hóminum, ipso«rúmque étiam dæmónum torménta fi«nem habitúra, atque ímpios, et dæmones «in priórem suum státum restitútum

«iri.» Absúrda, et damnáta hæc paradóxa, saltem ex parte invaluérunt inter eos, quos S. August., *lib. de Civit. Dei* 21, *c.* 17, *et seq.* irónicè vocat *Misericórdes*, quos in várias distínguit classes. Primò enim erant, qui «hóminum ex«trémô judíciô damnatórum misérias «temporáles; ómnium verò qui vel tár«diùs liberántur, ætérnam felicitátem «putábant;» non tamen audébant ad ipsíus diáboli liberatiónem pervenire. Secúndò, áliqui dixérunt, malos, et infidéles hómines ætérnâ pœnâ esse dignos, nihilóminùs eísdem Deum misericórdiam «donatúrum précibùs, et interces«siónibûs Sanctórum suórum;» non tamen hanc Dei misericórdiam, ad liberatiónem, vel núllam damnatiónem diáboli, atque angelórum ejus, extendébant. Tertiò, quidam hanc liberatiónem ab ætérno supplício nonnísi his promittébant, qui, Christi baptísmate ablúti, fiunt córporis ejus partícipes, «quomo«dólibèt víxerint, in quacúmque hæresi, «vel impietáte fúerint.» Quártò, áliqui id solis cathólicis pollicebántur, quámvis malè vivéntibus, «et etiámsi póstea «in áliquam hæresim, vel étiam in Gen«tílium idololátriam lapsi fúerint.» Quintò, nonnúlli hoc dumtáxat in Ecclésia Cathólica perseverántibus, quámvis in ea malè vivéntibus, promittébant. Demùm fuérunt qui ímpiis eleemósynas faciéntibûs, «judícium cum misericórdia futú«rum, ut aut nullâ damnatióne plectántur, «aut post áliquod tempus, sive parvum, «sive prolíxum, ab illa damnatióne libe«réntur.» Quas omnes erróneas *Misericórdium* opiniónes ib. S. Augustínus condémnat, quæ póstea Ecclésiæ auctoritáte oppréssæ obsolevérunt.

Nihilóminûs, non desunt ex hodiérnis Novatóribus, qui in hunc errórem impegérunt. Inter hos computántur et Naturalístæ, ac Rationalístæ, qui revelatióne planè rejéctâ soli ratióni áurem præbent; et qui revelatiónem ore tenùs admitténtes, eam ratióni subjíciunt, ut pervérsè fáciunt Sociniáni; et illi ex Protestántibus, qui Scriptúræ Sacræ orácula se consectári mentiúntur; ita Bælius in resp. ad Provinc. tom., 3.°, cap. 144; ita Collínsius in serm. *de libertáte cogitándi*, sec. 2.ª; ita Lóckius in suo *Christianismo ratióni cónsono*. In eamdem sententiam descendérunt quoquè nonnúlli ex Socinianórum grege, ut Ernéstus, Solérus, Joánnes Cléricus etc. Contra hos omnes, sit

CONCLÚSIO.

Pœnæ, quas patiéntur omnes damnáti in inférno, erunt ætérnæ.

325. Prob. Concl. Scriptúra Sacra ætérnitátem pœnárum respéctû ómnium damnatórum in inférno apértè tradit: Nam Isáias, *cap.* 33, *v.* 14, de damnátis ábsque ullo discrímine, inquit: «Quis póterit habitáre de vobis cum ig«ne devoránte? Quis habitávit ex vobis «cum ardóribus sempitérnis?» Et íterùm, *cap.* 66, *v.* 24. inquit: «Vermis «eórum non moriétur, ignis eórum non «extíngüétur.» Item, *psalm.* 91, *v.* 9, légitur de peccatóribus: «Ut intéreant «in sæculum sæculi: tu áutem Altíssi«mus in ætérnum, Dómine:» quibûs verbîs non obscúrè innúitur, támdiù intéritum impiórum perduratúrum, quámdiù Regnum Dei perdurábit; cujûs quidem Regni non erit finis, ut in Symbolo profitémur. Undè S. Hierónymus prædicta psalmi verba vertit: «Ut con«teréntur usque in sempitérnum.» Multa ália simília sæpè in Véteri Testaménto occúrrunt; undè factum est, ut Hebræi quoque in hoc dógmate de pœná-

rum æternitáte in inférno nobíscum conséntiant.

Multò áutem frequéntiùs, et cláriùs, hocce dogma in Novo Testaménto invenítur revelátum à Christo, et Apóstolis, à quibus damnatórum pœna, modò vocátur *ignis ætérnus*, sic Matth. cap. 18, v. 8, et cap. 25, v. 41 : modò, *pœnæ in intéritu ætérnæ;* sic epist. 2.ª ad Tessal., cap. 1, v. 9 : modo, *víncula ætérna sub caligine ;* sic epist. Jud. v. 6, et v. 13 : *Procélla Tenebrárum in ætérnum :* Tandem, ut cætera Scriptúræ testimónia mittámus, Matth., *c.* 25, *v.* 41, légitur : Christum Dóminum dictúrum «his, qui à sinístris erunt : Dis-«cédite à me, maledícti, in ignem ætér-«num, qui parátus est diábolo, et ánge-«lis ejus.» Ex quibus verbis liqüet, tum ángelos malos, tum hómines réprobos, absque ullo discrímine, pœnîs ætérnîs cruciándos.

326. Siléntiò præteríre nequímus, Origenístas conári vim horum argumentórum elúdere ajéntes, alláta divína Orácula de æternitáte minùs própriè sumptâ intelligénda esse, prout nempè tò *ætérnitas* designat tempus quidem longíssimum, non tamen, númquàm finiéndum.

Ast verò, hoc effúgium jam ipsis præclúsit S. August., *lib.* 21, *de Civit. Dei*, *cap.* 23, obsérvans, eódem modò dictum esse de réprobis : «ibunt in sup-«plícium ætérnum,» ac de justis : «ibunt «in vitam ætérnam :» Atqui, vel ex ipsis hæréticis nullus ita desípuit, ut justis vitam verè ætérnam denegáret : Ergo, páriter supplícium impiórum verè, ac próprié ætérnum intelligéndum venit.

Non diffitémur, nomen *æternitátis* à sacris Scriptóribus non semel ad tempus diutúrnum solúmmodò denotándum usurpári ; ast verò, est magnóperè adverténdum, quòd, cùm id contíngit, ex adjúnctis, vel ex áliis Scriptúræ locis mens Sacrórum Scriptórum luculéntèr appáret. Sic, sæpè promissa est Hebræis posséssio terræ Chánaan *usque in ætérnum;* sed semper eâ conditióne, si legem Dei fidéliter observássent ; quæ condítio cùm locum tenéret tantùm hâc vitâ duránte, patet, quòd ly *usque in ætérnum* indicásset tempus solúmmodò longíssimum. Sic lex Mosáica prædícitur duratúra in perpétuum ; sed benè animadvértit S. Thomas, 1.ª 2.æ *quæst.* 103, *art.* 3, *ad* 1.um, «quòd lex vetus «dícitur esse in *ætérnum*, secúndùm «morália quidem simplíciter, et absolú-«tè ; secúndùm cæremoniália verò, quán-«tùm ad veritátem per eam figurátam.» Sic, promíssum fuit David Regi, ejúsque sémini sólium Israël *usque in sempitérnum ;* sed ipsémet Ángelus nos dócuit Luc., *cap.* 1.°, *v.* 32, hanc promissiónem pertinére ad Jesum Christum, qui regnatúrus erat super sedem David *in domo Jacob in ætérnum.*

Áddimus tandem, língüæ hæbráicæ perítos annotáre, tò ætérnum, cùm ágitur de pœnis damnatórum, ita esse hæbráicis lítteris exarátum, ut vera, et sinè fine ætérnitas exprimátur. Verúmtamen étiam sinè grammaticálibus observatiónibus, ex contéxtu, ex locis parallélis, ex novo Testaménto, atque ex constánti Patrum intelligéntia, verus, ac germánus Sacræ Scriptúræ sensus érui debet ; quibûs præ óculis hábitîs, fas non est dubitáre, Sacram Scriptúram ita dícere pœnas damnatórum ætérnas, ut ætérnas non impróprié, sed verè, ac próprié intélligat.

327. Sociniáni longè divérsè ab Origenístis interpretántes loca Sacræ Scriptúræ pœnas damnatórum ætérnas asseréntia, conténdunt, pœnas impiórum ætérnas nihil esse áliud, quàm ipsórum

destructiónem, quâ in níhilum redigéntur, ut in sempitérnum non ámpliùs exístant. In hanc sententiam, descéndit et Joánnes Lóckius in suo péssimo libro, quem sibi plácuit inscríbere: *Christianísmum ratióni cónsonum*, c. 1, conténdens ímpios, quidem esse resurrectúros, cùm nimis manifésté dictum sit, eos à Christo Júdice objurgándos esse, et condemnándos; sed post illam sententiam esse in níhilum redigéndos, hoc enim putat ad justítiam divínam pertinére, ut ímpii divínis benefíciis ingráti in níhilum redigántur.

Verúmtamen S. Thom., *in quæst.* 5, *De poténtia*, *art.* 4, *arg.* 6, hoc idem sibi opposúerat, cui respóndet: «Quòd licét Deus de justítia, creatúræ «contra se peccánti posset esse subtrá«here, et eam in níhilum redígere; ta«men conveniéntior justítia est, ut eam «in esse resérvet ad pœnam: et hoc «propter duo. Primò, quia illa justítia «non habéret áliquid misericórdiæ ad«míxtum; cùm nihil remanéret, cui pos«set misericórdia adhibéri: dícitur áu«tem in psalm. 24, *v.* 10: Quòd uni«vérsæ viæ Dómini misericórdia, et vé«ritas. Secúndò, quia ista justítia con«grüéntiùs respóndet culpæ in duóbus. «In uno quidem, quia in culpa volún«tas contra Deum agit, non áutem na«túra, quæ órdinem sibi à Deo índitum «servat: et ídeò, talis debet esse pœna, «quæ voluntátem afflígat, natúræ no«céndò, quâ volúntas abútitur. Si áu«tem creatúra omnínò in níhilum redi«gerétur, esset tantùm nocuméntum na«túræ, et non afflíctio voluntátis. In «áltero verò, quia cùm in peccáto duo «sint, scílicet, avérsio ab incommutábili «bono, et convérsio ad bonum commu«tábile, convérsio post se aversiónem «trahit; nullus enim peccans inténdit «à Deo avérti, sed quærit frui temporáli «bonò, cum quo simul Deò frui non po«test. Undè, cùm pœna damni aversió«ni culpæ respóndeat, conversióni verò «ejus pœna sensûs pro actuáli culpa, «convéniens est, ut pœna damni non sit «sinè pœna sensûs. Si áutem in níhi«lum creatúra redigerétur; esset qui«dem pœna damni ætérna, sed non re«manéret pœna sensûs.»

328. Præterquamquòd hic error de annihilatióne impiórum, apértè pugnat cum testimóniis Scriptúræ asseréntis quòd Vermis eórum (damnatórum) non moriétur, et ignis eórum non extingüétur; quòd ardóres illi erunt sempitérni; quòd die ac nocte cruciabúntur etc. etc. Rogámus adversários ut nobis dicant, si réprobi annihilándi sunt, úbinàm *vermis* conscientiæ eórum *qui non moriátur?* Numquid conscientia post annihilatiónem áderit? Ubi *ignis eórum inextinguibilis?* Numquid ignis potest ágere in *níhilum*, illúdque torquére? Úbinam *ardóres sempitérni?* Numquid, quod non est, ardére potest? Úbinam *eórum cruciátus die ac nocte?* Numquid respéctù *níhili* adest dies, ac nox; et numquid níhilum cruciári valet? Sed præstat S. Gregórium Papam audíre explicántem illud Job, *cap.* 20, *v.* 18: «Luet, quæ fecit, ómnia, nec tamen «consummétur:» ait enim *lib.* 15, *Morálium:* «Quia cruciátur, et non extín«guitur; móritur, et vivit; déficit et «subsístit; finítur semper, et sinè fine «est. Hæc solò audítù valdè sunt terrí«bilia, quántò magis passióne!» His confórmiter, Minúcius Felix de torméntis damnatórum lóquens in Octávio, *cap.* 35, gráphicè hæc torménta depíngit, ínquiens: «Nec torméntis aut modus «ullus, aut términus. Illic sápiens ignis «membra urit et réficit; carpit, et nu«trit; sicut ignes fúlminum córpora «tangunt, nec absúmunt; sicut ignes

«Etnæ montis, et Vesúbii montis, et «ardéntium úbique terrárum flagrant, «nec erogántur; ita pœnále illud incén- «dium non damnis ardéntium páscitur, «sed inexósâ córporum laceratióne nu- «trítur.»

Pœnárum inférni ætérnitátem perpétua, et núnquàm interrúpta Ecclésiæ Traditio tenet. Id nos docuérunt Clemens Románus, Justínus Martyr, Theóphilus, Tertulliánus, Minúcius Felix, Irenæus, Cypriánus, Július Firmicus, Hippólytus, Chrysóstomus, Hierónymus, Augustínus, etc., etc., etc., à quórum testimóniis singillátim adducéndis supersedémus, ne nos opus dumtáxat elementáre conscríbere obliviscámur. Conclúdimus ergo cum symbolo Athanasiáno, quòd «qui bona egérunt, ibunt «in vitam ætérnam; qui verò mala, in «ignem ætérnum. Hæc est fides cathó- «lica, quam nisi quisque fidéliter, fir- «mitérque credíderit, salvus esse non «póterit.»

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

329. Obj. 1.° Psalm. 139, de damnátis dícitur: «Cadent super eos carbó- «nes, in ignem dejícies eos, in misériis «non subsístent.» Vel ergo damnáti tandem destruéntur, vel ab ipsis liberabúntur, ut ámpliùs in eis non exístant.

Resp. Dist. antec. in misériis non subsistent, retinéntes spem eas aliquándò evadéndi, conc., id est, à misériis tandem aliquándò liberabúntur neg. Hujúsmodi expositiónem mutuámus à D. Hierónymo língüæ hebráicæ callentíssimò, qui ita hunc textum vertit: «cadent super eos carbónes ignis; dejí- «cies eos in fóveas, ut non consúrgant.» Profectò, si hôc pactò non exponeréntur allàta psalmi verba, conciliári nequírent cum sexcéntis Scriptúræ téxtibus æternitátem pœnárum statuéntibus. Vid. prob. Conclus.

330. Obj. 2.° David, *psalm.* 48, ait: «Verúmtamen Deus redímet ánimam «meam de manu ínferi;» quod dícere nequivísset, si pœnas inférni existimásset ætérnas.

Resp. Dist. anteced. Deus *redímet* ánimam meam, id est, præservábit ánimam meam ne incidat in inférnum, concéd. Deus *redímet*, id est liberábit ánimam meam, póstquàm inciderit in inférnum, neg. In laudáto enim Psalmo, David suam firmam spem éxprimit divínâ misericórdiâ liberándum, ut non incúrreret ætérnum supplícium, quod suîs gravíssimîs culpîs proméritus erat.

331. Obj. 3.° Idem Régius Vates, *psalm.* 76, ait: «Numquid in ætérnum «projíciet Deus, aut non appónet, ut com- «placítior sit adhuc? Aut in finem mise- «ricórdiam suam abscíndet à generatió- «ne in generatiónem, aut obliviscétur mi- «seréri Deus?» et *psalm.* 102: «Dómi- «nus miséricors non in perpétuum iras- «cétur, neque in ætérnum comminá- «bitur:» hæc áutem locum non habérent, si pœnæ inférni non forent finiéndæ: Ergo, etc.

Resp. cum S. Augustíno in Enarrat. super utrúmque psalmum, Prophétam ibi tantùm loqui de punitióne Dei in hac vita, in qua suæ misericórdiæ semper recordátur, qüátenùs per hujus vitæ flagélla nos Deus invítat ad ejus iram salutárî pœniténtiâ placándam. Et id. S. P., *lib.* 21, *de Civit. Dei*, *cap.* 24, póstquàm eámdem tradíderit doctrínam, subdit: «Sed quibus placet istam sen- «ténti am usque ad illa impiórum tor- «ménta proténdere, saltem sic intelli- «gántur, ut manénte in eis irâ Dei, «quæ in ætérno est prænuntiáta supplí- «cio, non contíneat Deus in hac ira sua «miseratiónes suas, et facit eos, non

«tantâ, quántâ digni sunt, pœnárum «atrocitáte cruciári.»

332. Obj. 4.° Scriptúræ testimónia pœnárum infernálium æternitátem asseréntia, sunt cum grano salis accipiénda. Primò, quia Legislatóres ad terrórem incutiéndum solent plerúmque severíssimas pœnas violatóribus comminári, quas tamen, aut omninò remíttere, aut saltem mitigáre consuevérunt. Secúndò, quia étiamsi pœnæ comminátæ possunt legum prævaricatóribus justè inflígi, possunt tamen citrà ullam injustítiæ notam remítti, et condonári: Legislátor enim pœnam commínans non ádimit sibi jus eam vel condonándi, vel mitigándi, quod exténdi non potest ad præmium promíssum, eò quòd promíssor jus álteri conseqüéndi præmium promíttit. Ita subtíliter olim cavillabátur Jo. Tillotrónus, Anglus, in quodam Sermóne *de senténtia Christi in extrémo judício;* cui suum præbuit assénsum Jo: Cléricus Semi-Sociniánus in nonnúllis suórum óperum locis.

Resp. In Deum blasphemáre eos, qui comminatiónes supplícii ætérni peccatóribus impœniténtibus factas, mera esse terriculaménta bláterant, cùm pótiùs dicénda sint, prout revérà sunt, vera, et irrevocabília Dei decréta. Id patet potíssimùm ex illa terríbili senténtia, non solùm commináta, sed, ut ita dicámus, jam prolàta in réprobos, Matth., *cap.* 25, *v.* 41: «Discédite, maledícti, in «ignem ætérnum,» quam senténtiam esse infallibíliter executióni mandándam, Christus ipse nos reddit certíssimos, subdens: «et ibunt hi in supplícium «ætérnum.» Quid vel cláriùs, vel expréssiùs? «Non est Deus, quási homo «ut mentiátur:» *Num.*, *cap.* 23, *v.* 19. Proptéreà jurè mérito S. Augustínus, *lib.* 21, *de Civit. Dei*, *cap.* 24, eos, qui *mináciter pótiùs, quàm veráciter* hæc, etália ejúsdem géneris de ætérnis pœnis dicta esse putábant, inquit: «Scriptúra divína, planíssimè, atque «plenissimè redárgüit, ac reféllit.»

333. Obj. 5.° Ætérnitas pœnárum repúgnat rectæ ratióni: secúndùm hanc enim Deus est summè, et infinitè bonus, benéficus, Pater, clemens, etc. Atqui, cum hac Dei óptimi idea nullátenùs dogma æternitátis pœnárum conciliári valet; quómodò enim Deus, Pater ádeò bonus, clemens, ac benéficus, rationáles suas creatúras sibi diléctas, quamtúmvis peccatríces, in perpétuum derelínquet, atque ætérnis supplíciis infelicíssimas réddere póterit? Sanè nullus Pater ádeò fíliis suis irascitur, étiam rebéllibus, ut eos omninò pérdere velit. Ita argumentántur Incréduli.

Resp. Dist. maj. Deus est summè bonus, benéficus, clemens, etc. simul ac summè justus, conc. quin sit simul et summè justus, neg. Vera Dei Optimi idea non solùm misericórdiam, ac benevoléntiam erga hómines, creatúras suas, inclúdit, sed étiam summam, ac infinítam justítiam, quâ suæ legis violatóres, suísque benefíciis ingrátos, ut par est, púniat. Misericórdia item infiníta erga ipsos peccatóres in eo relúcet, quòd parátus sit ipsis véniam benignè concedére, dúmmodò per veram pœniténtiam ad eum redíre velint, quantúmvis tanta sint peccatórum flagítia, ut súperent vel ipsam maris arénam. Quòd si peccatóres négligant pœnitére, atque in sua impietáte obstináti intéreant, eos Deus proméritis pœnis excruciándos justíssimè tradit. Ideam Dei, quin justus sit, nec ipsi Gentíles concepérunt, undè Virgílius Æneida 6.ª.....

Sedet, æternúmque sedébit
Infélix Théseus, Phlegyásque miserrímus omnes
Admonet, et magnâ testátur voce per umbras:
Discite justítiam móniti, et non témnere Divos.

334. Instábis: Deus mulctándô áliquos pœnâ æternâ, non esset justus, nam justum non est frustrári suprémi Creatóris finem; si áutem Deus áliquos pœnâ æternâ mulctáret, hic frustrarétur; finis enim, quem Deus sibi propósuit in creatióne hóminum, et Angelórum, est eórum ætérna felícitas: Ergo, etc.

Resp. Símile arguméntum sibi proposúerat Angel. Dr. in *lib. 4 Sentent., Dist. 46, quæst. 2, art. 3, n. 3*, hîs verbîs: «Sicut dicit Ansélmus in lib. II. «Cur Deus homo: Non est justum, ut «Deus creatúram, quam fecit ad beati«túdinem, omninò perire sinat: ergo «vidétur, cùm quælibet creatúra ratio«nális creáta fúerit ad beatitúdinem, «non esse justum, ut omninò perire per«míttatur:» Respóndet áutem S. Præcéptor, Ansélmum loqui de creatúra «secúndùm genus suum; non enim est «convéniens divínæ bonitáti, ut totum «unum genus creatúræ defíciat à fine, «propter quem est factum: undè nec «omnes hómines, nec omnes Ángelos «damnári cónvenit. Sed nihil próhibet, «quin áliqui ex homínibus, vel ex Án«gelis, in ætérnum péreant, quia divínæ «voluntátis inténtio, implétur in áliis, «qui salvántur.»

Arguméntum propósitum suam habéret vim, si ómnium et singulórum hóminum, et Angelórum beatitúdo, ut de facto in re obtinénda, esset últimus divínæ bonitátis finis. Res áutem non ita se habet, áliàs Deus omnes, et síngulos hómines, et Ángelos debuísset prædestináre; neque Prov., *cap. 16, v. 4*, scríptum fuísset: «Univérsa propter se«metípsum operátus est Dóminus, ím«pium quoque ad diem malum:» in data enim hypóthesi nullus foret ímpius decédens in impietáte. Últimus ergo finis divínæ voluntátis in hóminum, et Angelórum creatióne, est ipsíus Dei glória, quæ númquàm frustrátur, hæc enim tam relúcet in eis, qui per ipsíus misericórdiam ad ætérnam felicitátem pervéniunt, quàm in his, qui ex divina justítia ætérnò supplíciò puniúntur. Vid. Tom. 2, hujus Operis, *n.* 554.

335. Obj. 6.° Omnis pœna, ut justa sit, debet esse culpæ proportionáta: Atqui, nulla culpa est ætérna, quinímò sunt áliqui infelíces, qui nonnísi brévî vitæ suæ intervállô legem Dei violárunt: Ergo, nulla pœna debet esse ætérna.

Resp. Dist. maj. Omnis pœna debet culpæ commensurári, qüantùm ad acerbitátem, conc. quántùm ad duratiónem neg. Ut enim ait Augustínus, *lib. XXI, de Civit. Dei, cap. II*: «in nullo judí«cio requíritur, ut pœna adæquétur cul«pæ secúndùm duratiónem. Non enim «quia adultérium, vel homicídium, in «moménto committitur, propter hoc «momentáneâ pœnâ punítur; sed quan«dóque quidem perpétuô cárcere vel exíliô, quandóque étiam morte; in qua non «considerátur occisiónis mora, sed pótiùs «quòd in perpétuum auferátur à socie«táte vivéntium; et sic repræséntat suô «modô æternitátem pœnæ inflíctæ divínitùs.»

Hinc idem laudátus Parens Augustínus, póstquàm ex Tullio enumerásset pœnas, quibûs ex légibus humánis puniúntur delícta, scílicet, víncula, vérbera, ignomíniam, exílium, servitútem, mortem; luculéntèr demónstrat ex légibus étiam justítiæ humánæ non posse pœnam culpæ commensurári qüantùm ad duratiónem, et conclúdit inquiens: «Néminem extitísse, qui censéret, tam «citò nocéntium finiénda esse torménta, «quàm citò factum est vel homicídium, «vel quódlibet áliud scelus, non témpo«ris longitúdine, sed iniquitátis et im«pietátis magnitúdine metiéndum.»

Præterquámquòd, culpa ejus, qui in peccáto mortáli decédit, in perpétuum durat, núnquàm enim retractátur, *psalm.* enim 73, *v.* 23, scríptum est: «Ne obliviscáris voces inimicórum tuó-«rum: supérbia eórum, qui te odérunt, «ascéndit semper.» Undè Gregórius, *lib.* 4.° *Dialog.*, *cap.* 44, justum esse ásserit, quòd qui «in suo ætérno peccá-«vit contra Deum, in ætérno Dei puniá-«tur. Dícitur áutem áliquis (juxta Au-«gustínum, et D. Thom, vid. 1.am 2.æ «q. 87, art. 3. ad 1.m) in suo ætérno «peccáse, non solùm secúndùm conti-«nuatiónem actûs in tota hóminis vita «durántis, sed quia ex hoc ipso, quòd «finem in peccáto constítuit, voluntátem «habet in ætérnum peccándi.»

Hæc áde ò vera visa sunt Leibnítio, ut in *Syst. suo theol.* scripserit: «Quoties-«cúmque ánima é córpore discédens, «in státu est peccáti mortális, adeóque «malè affécta erga Deum, spónte quà-«dam suâ (quemádmodùm pondus se-«mel abrúptum, neque ab extérna cáu-«sa dénuò reténtum, atque excéptum) in «exítii báratrum delábitur, atque à Deo «abalienáta, sibi ipsi damnatiónem írro-«gat.»

336. Sed instábis: impossíbile vidétur, damnátos tantîs, ac tam acérbîs supplíciîs punítos, non tandem agnóscere delictórum suórum gravitátem, eorúmque proptéreà ex toto corde non pœnitére: Ergo, Deus tunc placábitur, atque à puniéndo cessábit.

Resp. Dist. antecéd. pœnitébunt per se, neg.: per áccidens, concéd. Hæc éxplicans D. Thom. in *Supplemént.*, *quæst.* 98, *art.* 2, inquit: «Quòd pœ-«nitére de peccáto contíngit dupliciter: «unô modò per se; álió modô, per ác-«cidens. Per se quidem pœnitet, qui «peccátum, in quántùm est peccátum, «abominátur; per áccidens verò, qui «illud odit ratióne alicújus adjúncti, út-«potè pœnæ, vel alicújus hujúsmodi. «Mali ígitur non pœnitébunt, per se lo-«quéndô, de peccátis, quia volúntas «malítiæ peccáti in eis rémanet; pœni-«tébunt áutem per áccidens, in quan-«tùm affligéntur de pœna, quam pro «peccáte sústinent.» Hinc, ut id. Angel. Dr. in *Compéndio Theol.*, *c.* 175, inquit: «Dolent ergo mali (in inférno) «quia peccáta commisérunt, non propter «hoc, quia peccáta iis displíceant, quia «étiam tunc mallent peccáta illa com-«míttere, si facúltas darétur, quàm Deum «habére; sed propter hoc, quòd illud, «quod elegérunt, habére non possunt; «et illud quod respuérunt (scílicet pœ-«nam) possent habére. Sic ígitur, et «volúntas eórum perpétuò manébit obs-«tináta in malo, et tamen gravíssimè «dolébunt de culpa commíssa, et de glo-«ria amíssa. Et hic dolor vocátur remór-«sus conciéntiæ, qui metaphóricè in «Scriptúris vermis vocátur.» Dolor áutem de peccáto, qui voluntátem peccándi non exclúdit, non est útilis ad salútem; undè D. Ansélmus Enárrat. in Evang. de hómine damnáto inquit: «Quia non potest per pœniténtiam, et «bona ópera, quod malè gessit, emen-«dáre, proptéreà semper cógitur pœnas «sustinére:» et S. Cypriánus in *Epístola ad Demetriánum*, subdit: «Erit «tunc sinè fructu pœniténtia, et inéffi-«cax deprecátio.»

Alícui fórsitan facésset negótium, damnátos in inférno ita esse in malo obstinátos, ut veræ pœniténtiæ non sint capáces. Sed immérito: nam Angel. Dr., *quæst.* 24 *de Verit.*, *art.* 10, dúplicem hujus affert ratiónem. Primam, et potíssimam, répetit ex defectu divínæ grátiæ, quæ ad veram, ac salutárem pœniténtiam est omninò necessária; osténdens, quòd Deus hanc grátiam dam-

nátis non largiátur, «ut ejus justítia de-«póscit; justum est enim, ut qui benè velle «cùm possent, noluérunt, ad hanc misé-«riam deducántur, ut benè velle omninò «non possint.» Secúndam áutem ratiónem ib. S. Doctor proséquitur ratiocíniò philosóphicô, quô quis uti potest ad revincéndum eos, qui volunt dogma æternitátis pœnárum in inférno, rectæ ratióni adversári, quod númquàm incréduli assequéntur probáre, cùm númquàm probáre potérunt, hujúsmodi dogma aut revelátum non esse, aut áliquod posse dari revelátum, quod sit rectæ ratióni contrárium. Vid. August. Nicolás in suis *Stúdiis Philosóphicis*, *Tom.* 2, *cap.* 8.

Conclúdimus tandem, non esse de fácili credéndum quibúsdam históriis narrántibus, nonnúllos fuísse précibûs Sanctórum ab inférno liberátos; si qua tamen hujúsmodi facta véra essent, tunc dícere cogémur, eas ánimas non fuísse finálî, adeóque irrevocábilî senténtiâ ad infernále supplícium damnátas, sed dumtáxat ad tempus, ut nos dócet S. Thomas in 4.° *Sent. Dist.* 45, *q.* 2, *art.* 2, solut. 1.ª *ad* 1.ᵐ

§ III.

De Purgatório.

337. Sunt, qui conténdunt, solùm inférnum ímpiis impœniténtibus esse parátum; mórdicùs verò, nullum esse volunt Purgatórium iís justis destinátum, qui vel lévibûs sòrdibûs, seu peccátîs veniálibûs maculáti, vel opéribûs satisfactóriîs pro peccátis lethálibus débitîs non plenè expiáti, ex hac vita discédunt.

Prima hujus hæresis orígo repétitur ab Aério circa an. 340. Is, referénte S. Augustínô, *lib. de hæres.*, *c.* 53, indignátus quòd Episcopátum, quem summóperè ambíerat, cónsequi non potuísset, Ariánæ hæresi se addíxit, adjúngens, pro mórtuis fidélibus eleemósynas non esse erogándas, nec preces fundéndas.

Albanénses, et Albigénses, Manichæórum Sectæ, arbitrántes, prout Materialístæ, ánimas simul cùm córpore interíre, negábant exístere Purgatórium, simul ac Inférnum, et Paradísum.

Simíliter sæculo XII. Purgatórium denegárunt Petrobrusiáni, ita appellâti à Petro de Bruís, et Henriciáni à quodam Henríco, patriâ Tholosánô, ita dicti, quos Petrus Cluniacénsis, et S. Bernárdus, qui eâ ætáte floruérunt, scríptîs suîs confutárunt.

Illud et negárunt illi hærétici, qui se intolerábilî præsumptióne *Apostólicos* nuncupábant, quási Apóstolos in paupertáte, áliîsque virtútibûs imitaréntur; de ipsis enim S. Bernárdus, *Serm.* 66, *in Cántica*, inquit: «Non credunt ignem «purgatórium restáre post mortem, sed «státim ánimam solútam à córpore, vel «ad réquiem transíre, vel ad damnatió-«nem.»

Waldénses eódem sæculô hanc hæresim propagárunt dogmatizántes, nullum esse locum purgatórium, in quo ánimæ ab hac luce migrántes, purgéntur à sórdibus, quas in córpore contraxére, ántequàm ad ætérna tabernácula récipi mereántur.

In eúmdem errórem impegérunt, desinénte sæculô XIII., quidam dicti Pseudo-Apóstoli, duce quodam Gerardô Sagarél-lô Parménsî, qui proptéreà fuit igni adjudicátus sub Adólpho Cæsare, et Bonifácio VIII. circa an. 1296.

Hanc hæresim sæculô sequénti áuxit Joánnes Huss, à quo Hussítæ, ásserens Purgatórium, in quo Cathólici volunt ánimas purgári, verum figméntum esse.

Purgatórium negávit et Calvínus,

ádeò ut *lib.* 3, *Inst.*, *cap.* 5, §. 6, scripsérit: «Clamándum ergo, non modò «vocis, sed gútturis, ac láterum con«tentióne, Purgatórium exitiále Sátanæ «esse comméntum, quod Christi crucem «evácuat, quod contuméliam Dei miseri«córdi æ non feréndam írrogat, quod fi«dem nostram labéfacit, ac evértit.» En insígnes Magístri, quos nacti sunt nostræ ætátis Rationalístæ, ac sæculi XVI. Novatóres, qui Ecclésiam reformáre præsumpsérunt, reípsà áutem fœdíssimè deturpárunt, et quámvis in multis inter se pugnent, in hoc tamen ímpiè convéniunt, ut Purgatórium ignem nullátenùs admíttant. Contra quos omnes, sit

CONCLÚSIO.

Ex sacris lítteris constat, exístere Purgatórium, seu Receptáculum áliquod, quò in áltera vita ánimæ justórum non plenè in hac vita purgátæ detinéntur usque ad íntegram divínæ Justítiæ satisfactiónem.

338. Prob. 1.° ex Véteri Testaménto, *Lib.*, 2.° *Machabæórum*, *cap* 12, *v.* 43, *et seq.*, légitur; «factâ collatió«ne, duódecim millia drachmas argénti «(Judas) misit Hierosólymam offérri pro «peccátis mortuórum sacrifícium, benè, «et religiósè de resurrectióne cógitans; «(Nisi enim eos, qui cecíderant, resur«rectúros speráret, supérfluum videré«tur, et vanum oráre pro mórtuis). Et «quia considerábat, quòd ii, qui cum «pietáte dormitiónem accéperant, ópti«mam habérent repósitam grátiam. «Sancta ergo, et salúbris est cogitátio «pro defúnctis exoráre, ut à peccátis «solvántur.» Decretórius est planè pro nostra conclusióne is sacer textus, in quo expréssè declarátur *primò*, esse locum, in quo ánimæ aliquórum decedéntium cum pietáte morántur; quem locum nuncupámus Purgatórium: *secúndò*, eas ánimas posse nostrîs suffrágiîs levári, et liberári: *tértiò* demùm, sanctum, et salutáre esse oráre pro mórtuis, *ut à peccátis solvántur.*

339. Quántùm Adversárii tam apértô testimóniô torqüeántur, satis declárant multi, diversíque modi, quibûs illud elúdere perténtant. Dicunt ítaque *primò*, librum hunc Machabæórum non esse divínæ auctoritátis, útpotè quem nec Hebræi in cánonem recípiunt. Sed nihil indè pro ipsis. Estò enim liber ille non sit relátus in cánonem Hebræórum, quia quándò Esdræ canon éditus fuit, nondùm erat conscríptus; ábsque dúbiò tamen relátus est in cánonem Ecclésiæ, sicut nonnúlli álii libri, quos licèt reclamántibûs Hebræîs, Ecclésia támquàm sacros, et divínos nobis legéndos propónit ab anno 397, in Concílio Carthaginénsi III. *can.* 47, ubi inter libros, qui sub nómine Sacrárum Scripturárum legi in Ecclésia debent, recenséntur étiam *primi duo Machabæórum libri.* Quod contínuâ Traditióne servátum, Concílium Tridentínum, *Sess.* 4, suâ auctoritáte roborávit. Ipsa Ecclésia Græca recéntior, etsi à Latína et Cathólica schísmate divísa, in sua Synodo Constantinopolitánâ, an. 1642, Calvínum damnat, quòd Scriptúræ *libros áliquos ábrogat, quos Sanctæ, et Œcuménicæ Synodi ut Canónicos recepérunt.* Et in Synodo Hyerosolomit., an. 1672, *cap.* 18, *quæst.* 3, contra Cyríllum Lúcari Calvinístam, præter libros à Laodicæna Synodo declarátos Canónicos, tales étiam declárat expréssè duos, de quibus ágimus, Machabæórum libros. Ecclésiæ áutem judícium hac in re si contémnitur, jam nec qüatuor Evangélia, nec álii libri sacri, satis róboris, et

auctoritátis habébunt ad fidem Christiánis dogmátibus asseréndam : ut enim inquit August. contra Epist. fundament. *cap.* 5 : «Neque Evangélio cré-«derem , nisi me Ecclésiæ Cathólicæ «commovéret auctóritas.» Vid. Tom. 1, hujus óperis de loco ab Auctoritáte Ecclésiæ pertractántem. Conclúdimus tandem cum August. in libro *de Cura pro mórtuis gerénda*, *cap.* 1, ajénte : «In «Machabæórum libris légimus oblátum «pro mórtuis sacrifícium. Sed etsi núsquàm in Scriptúris vetéribus omninò «legerétur, non parva est Univérsæ Ec-«clésiæ, quæ in hac consuetúdine cla-«ret, auctóritas, ubi in précibus Sacer-«dótis, quæ Dómino Deo ad ejus Altáre «fundúntur, locum suum habet etiam «commendátio mortuórum,» et quidem ut à peccátis solvántur , ut fert sacer Textus. Cùm áutem solvi peccátum post hanc vitam, sit pœnam pro peccáto remítti, ex alláto textu invíctè collígitur, justos, qui non plenè in hac vita purgáti sunt, in áltera vita pœnas pati, adeóque exístere Purgatórium , in quo áliqui detinéntur usque dum plenè purgáti sint, seu usque ad íntegram divínæ justítiæ satisfactiónem.

340. Dicunt secúndò Adversárii, in alláto textu legi, non esse vanum oráre pro mórtuis, quia eórum resurréctio sperátur ; ast veró, in sententia Catholicórum, dogma Purgatórii nullátenùs à resurrectióne depéndet, nam juxta ipsos, ánimæ possunt liberári priúsquàm advéniat resurréctio. Sed nihil indè pro ipsis : nam Judas, modò quò Cathólici, tenébat contra Sadducæos resurrectiónem córporum aliquándò futúram, animásque justórum posse à pœnis Purgatórii liberári ; mínimè verò existimábat, ánimas non posse liberári priúsquàm adveníret resurréctio, hoc enim non patiebátur fides, quâ Judas útiquè pollébat : Sic ergo Judas Machabæus jussit offérri sacrifícium pro peccátis mortuórum, ut Deus hôc sacrifício placátus eórum ánimas à pœnis, quas patiebántur, liberáret, ut gloriósæ suis corpóribus suò témpore in resurrectióne uniréntur. Vid. P. Scio in hunc locum.

341. Dicunt tértiò Adversárii : illa conclúsio sacri textûs, scílicet, *Sancta ergo, et salúbris est cogitátio* etc. vidétur pótiùs áliqua nota marginális, quæ in textum commigrávit, quàm Históriæ contéxtus : quamóbrèm in Originário Textu græco partícula illativa *ergo* non reperítur. Sed nihil indè pro ipsis ; notándum est enim, et quòd hæc cláusula in ómnibus latínis exempláribus tam manû scriptis, quàm impréssis légitur ; et quòd in exempláribus quidem græcis áliqua parva est, non sensûs, sed verbórum differéntia. Ita enim habent : «Deínde considerans (*Judas*), iis , qui «cum pietáte obdormíerant, óptimam «repósitam grátiam, quæ sancta, et pia «considerátio fuit, ídeò pro mórtuis ex-«piatiónem fecit, ut à peccátis solve-«réntur.»

342. Dicunt quártò Adversárii : illi, pro quibus sacrifícium offérre vóluit Judas, non vidéntur in Purgatório, sed in inférno fuísse, quia sub illórum túnicis invénta sunt donária idolórum ex templo Jámniæ, quod expiláverant, contra divínum præcéptum *Deutor.*, *cap.* 7, conténtum ; ob quam cáusam, eos in prælio cecidísse, créditum fuit. Sed nihil indè pro ipsis ; hæc enim Adversariórum evásio præclúditur ab ipso textu, quò insinuátur apértè, eos mílites, qui cecíderant , «cùm pietáte dormitiónem «accepísse, et óptimam habére repósi-«tam grátiam :» non ergo Judas putávit, eos impœniténtes obiísse, ut igne ætérnò cruciaréntur. Cùm pósteà volúerit sacrifícium pro his offérri, *ut à pec-*

cátis solveréntur, manifésté innúitur, Héroëm illum Machabæum existimásse, aut illos mílites non peccásse lethálitèr auferéndô templi donária, aut peccáti ante mortem pœnituísse, ut proíndè non essent solvéndi nisi à peccátis veniálibus, aut liberándi à pœnis satisfactóriis, quas in hac vita persólvere nequivére. Videátur textus græcus id expréssiùs ínnuens.

343. Dicunt quintò Adversárii, eos infelíces fuísse ad inférnum damnátos; voluísse tamen Judam pro his orári, ad pium erga eos affléctum ostendéndum; vel étiam, ut Deus placátus iram suam ad álios non exténderet. Sed nihil indè pro ipsis; nam hæc eórum expositio, nedùm est mera divinátio omnî destitúta fundaméntô, sed étiam non potest cum sacro téxtu conciliári, in ipso enim dícitur, collegísse Judam duódecim míllia drachmas argénti, ut offerréntur *pro peccátis mortuórum*, non pro affléctu ostendéndo, sed *ut à peccátis solvántur*, nempè, ut Deus placátus illórum animábus párceret, quorum córpora occídi justé permíserat; et aliúndè quia Judas, *v.* 45, considerábat «quòd hi, «qui cum pietáte dormitiónem accépe«rant, óptimam habérent repósitam grá«tiam:» qui áutem cum peccáto mortáli decédit, non dormit cum pietáte, nec óptimam repósitam grátiam habére valet.

344. Dicunt tandem, singuláre hoc exémplum Judæ non posse pro lege, aut infallíbilî testimónió státui; non enim ómnia facta, quæ in sacris lítteris legúntur, meréntur probári, quemádmodùm non probátur adultérium, et homicídium David, quod tamen légitur in S. Scriptúris. Sed nihil indè pro ipsis: nam hoc Judæ factum, non tam dicéndum est singuláre ipsíus, quàm commúne totíus Pópuli; nam «omnes..... «ad preces convérsi, rogavérunt, ut id, «quod factum erat delíctum, oblivióni «traderétur,» ut ibid., *v.* 42, refert Sacer textus: et omnes pecúniam contulérunt ad sacrifícia pro defúnctis offeránda. Pública hæc approbátio invíctè nobis osténdit, commúnem Judæórum persuasiónem Purgatórii, et suffragiórum, quibûs míseræ illæ ánimæ juvári váleant. Profécto, antíquam, et constántem Judæórum Traditiónem de Purgatório demonstrávit Ord. Præd. P. Henrícus à Porta in suis *Exercitatiónibus contra Theodoricum Hackspánium*. Judæos pro mórtuis oráre consuevísse, tradit étiam Hugo Grótius in *Annot. ad Cassándri Consult.* art. 20, et álibi, etc. Vid. étiam Card. Gotti de *Vera Christi Ecclésia*, Tom. 2. art. 10, § 2.

345. Prob. 2.° Concl. ex Novo Testaménto: Christus Dóminus apud Matth. *cap.* 12. *v.* 32. expréssè docet: «Qui«cúmque díxerit verbum contra Filium «hóminis, remittétur ei: qui áutem dí«xerit contra Spíritum Sanctum, non «remittétur ei, neque in hoc sæculo, «neque in futúro.» Ex his áutem verbis, ita pro existéntia Purgatórii argüébat S. August., *lib.* 21, *de Civit. Dei*, *cap.* 24: «Neque enim de quibúsdam «veráciter dicerétur, quòd non eis re«mittátur, neque in hoc sæculo, neque «in futúro, nisi essent, quibus, etsi non «in isto, tamen remittátur in futúro.» His áutem, qui sunt in Inférno, pœnæ non remitténtur, sunt enim ætérnæ, ut § præcedénti osténdimus: hi ergo, quibus áliquid in futúro remittétur, sunt in Purgatório: Ergo datur Purgatórium. Símilî modò ac S. August. argumentáti sunt S. Ambrósius de *Elia, et jejúnio*, cap. 20; S. Gregórius, lib. 4, *Dialog.* cap. 39; S. Fulgéntius, lib. 1.° de *Remissióne peccatórum* cap. 24; ac domûm S. Bernárdus, qui *Serm.* 66 *in*

Cántica, ita Purgatórium negántes convíncit: «Nam si non credunt ignem Pur«gatórii restáre post mortem, quærant «ab eo, qui dixit, quoddam peccátum «esse, quod neque in hoc sæculo, neque «in futúro remíttitur: cur hoc díxerit, «si nulla máneat in futúro remíssio «purgatíva peccáti?»

346. Novatóres hanc illatiónem negant, volunt enim, Christum eo in loco per *auxésim* quámdam, seu exaggeratiónem, tantùm significáre voluísse, peccátum in Spíritum S. númquàm in ætérnum esse remitténdum; non verò voluísse significáre pro alíquibus peccátis exístere Purgatórium. Sed miserrimé hallucinántur. Nam quantúmvis peccátum in Spíritum S. difficíliùs sit remítti, quàm cætera peccáta, et ídeò irremissíbile dicátur, ut éxplicat S. Thomas, 2.ª 2.æ *q.* 14, *art.* 3, tamen nonnísi inéptâ locutióne dícere Dóminus potuísset: *neque in hoc sæculo, neque in futúro*, si álterum hujus divisiónis membrum, merè fictítium esset: velut si quis díceret, Phœnícem avem non reperíri, neque in terra, neque in empyreo, ac si in empyreo essent aves, in quo tamen nullæ sunt. Pótiùs ergo dicéndum, quòd sicut ex illa distributióne, quam Dóminus fecit, rectè collígitur, esse áliquod sæculum futúrum, ita non minùs rectè collígitur, quòd sicut in præsénti sæculo áliqua peccáta remittúntur, ita et aliquórum remíssio fit in futúro: ut enim ait Gregórius, *lib.* 4, *Dialog*: «Quod de uno negátur, cónse«quens intelléctus patet, quòd de qui«búsdam affirmári concéditur.» Id quod áliis simílium Scripturárum dictîs explicári potest: hujúsmodi sunt ista, *Deutor.*, *cap.* 5, *v.* 32, «non declinábitis neque ad déxteram, neque ad si«nístram,» quòd inéptè dicerétur, si altérutra, vel déxtera nempè, vel sinístra, non darétur: et *lib.* 1.º *Regum*, *cap.* 28, *v.* 6: «Et non respóndit ei, neque «per sómnia, neque per Sacerdótes, ne«que per Prophétas;» ex quo loquéndi modo constat, dari responsiónem sive per sómnium, sive per Sacerdótes, sive per Prophétas. Ergo, sicut ex allátis verbis Christi méritò collígitur, dari sæculum præsens, et futúrum, ita, ne Christi locútio dicénda sit inépta, ex eísdem verbis inférri debet, dari remissiónem nedùm in præsénti, verùm étiam in futúro. Hæc áutem non esset sinè Purgatório: Ergo, ex allátis verbis Christi méritò infértur, exístere Purgatórium.

347. Álterum verò ex Novo Testaménto súggerit testimónium S. Páulus, 1.ª *ad Cor.*, *cap.* 3, *v.* 12, ubi cùm dixísset, Christum *esse fundaméntum*, subjúngit: «Si quis áutem superædifi«cat super fundaméntum hoc, áurum, «argéntum, lápides pretiósos, ligna, fæ«num, stípulam, uníuscujúsque opus «maniféstum erit: Dies enim Dómini «declarábit, quia in igne revelábitur, et «uníuscujúsque opus quále sit, ignis «probábit. Si cujûs opus mánserit, quod «superædificávit, mercédem accípiet. «Si cujûs opus árserit, detriméntum «patiétur: ipse áutem salvus erit, sic «tamen quási per ignem.»

Nos non præterit, várias esse hujúsce textûs interpretatiónes; sed plánior, et menti Apóstoli confórmior, vidétur esse ea, quæ textum sic expónit: In futúro sæculo, atque in judício Dei examinánda erunt ópera eórum, qui supra fundaméntum, Christum, ædificavérunt. Quæ si bona invénta fuérint, qualia significántur per áurum, argéntum, et lápides pretiósos, manébunt, et justum Dei judícium sustinéntes, qui ea fécerint, mercédem pro illis recípient. Si áutem, salvô fundaméntô, Christô, invénta fúe-

rint mala, id est, minúta, et veniália, quæ fundaméntum, Christum, non evértunt, cujúsmodi per lignum, fænum, stipulam significántur, detriméntum illórum óperum, qui ea fécerit, patiétur: ipse áutem salvus erit támquàm per ignem purgatiónis, ac punitiónis divínæ, quà, vidélicet expurgátis sórdibûs veniálibûs, et aliórum peccatórum, si adsint, relíquiis, ipse tandem perféctè mundus, et idóneus Regno Cœlórum inveniátur. Hòc sensû, S. August. in *psalm.* 3, 37, 80. Conc. 25, in *Psalm.* 118, *et lib.* 20, *de Civit. Dei, cap.* 25, prælaudáta Apóstoli verba expónit: Vid. item SS. Basílium in *Isäiæ, cap.* 4, *et* 9; Hierónymum in *Matth., cap.* 3; Ambrósium, *Serm.* 3, *et* 20, *in Psalm.* 118; Gregórium, *lib.* 4, *Dialog., c.* 39, et álios, quibus ómnibus subscríbit S. Thom. in *cap.* 3, *epist.* 1, *ad Cor., lect.* 2.

Ália possémus Scripturárum loca in médium produ̇cere ad probándam veritátem Purgatórii, à quibus tamen adducéndis supersedémus, cùm quæ hácténùs addúximus, sufficiant ad ostendéndum, quàm méritò Leo X, hanc Luthéri damnáverit propositiónem: *Purgatórium non posse probári ex Scriptúra Sacra, quæ sit in Cánone.*

348. Prob. 3.° Concl. ex Traditióne. Profécto nimis longum esset, et Óperi clementári non accommodátum, innúmera, quæ sese ófferunt, utriúsque Ecclésiæ Patrum testimónia cöacervàre; ídeò nos præcípuis tantùm conténti érimus. Primò quidem, Auctor librórum de *Ecclesiástica Hierarchia*, qui sub nómine S. Dionysii vulgáti sunt, ita sui témporis consuetúdinem expónit: «Accédens «venerándus Antístes precem sacram «super mórtuum péragit: precátur di«vinam cleméntiam, ut cuncta dimíttat «per infirmitátem humánam admíssa «peccáta defúncto, eúmque in luce stá«tuat, et regióne vivórum.» Ergo, ab exórdio Ecclésiæ créditum fuit, animábus posse restáre post mortem áliquid luéndum, adeóque exístere Purgatórium. Hinc Cyríllus Hierosolymitánus in *Catechési mystagógica* 5, *n.* 6: «Déni«que pro ómnibus orámus, qui inter «nos vitâ functi sunt, máximum esse «credéntes animárum (quæ indígeant) «juvámen, pro quibus offértur precátio, «dum sanctum illud, et treméndum «Mystérium in Altári pósitum est.» Ita Gregórius Nazianzénus, *Orat. 10, in fúnere fratris sui Cæsárii;* Gregórius Nyssénus, *in Orat. de mórtuis*; Joánnes Chrysost., *homil.* 22, *in Matth.*; Epiphánius, *hæresi* 75; Basílius Magnus, in *cap.* 9 Isäiæ, ipsum quoque nomen Purgatórii usúrpat, inquiens: «Si per confessiónem detexérimus pec«cátum, jam succréscens gramen au«férimus, dignum planè quòd depas«cátur, ac dévoret purgatórius ignis,» etc. etc.

Nec minùs apértè hæc dogmática véritas apud Ecclésiæ Latínæ Patres repéritur. Tertulliánus in lib. *de Corona mílitis*: «oblatiónes pro defúnctis, pro «natalítiis, ánnuâ die fácimus.» S. Cypriánus, *epist.* 53: «Áliud est ad vé«niam stáre, áliud ad glóriam pervéni«re; áliud missum in cárcerem non exíre «indè, donec solvat nóvíssimum qua«drántem, áliud státim virtútis, et fídei «ardóre mercédem accípere; áliud pro «peccátis longô calóre cruciátuum «emundári, et purgári diù igne; áliud «peccáta ómnia passióne (in Martyrio) «purgáre.» S. Hierónymus, *epist.* 66, Pammáchium láudat, quòd ánimam Paulínæ demórtuæ eleemósynîs juváre satágeret. S. Augustinus non minùs frequéntèr, quàm perspícuè, hanc Purgatórii veritátem dócuit. Præterire non

póssumus verba tanti Paréntis in Serm. 32, *de verbis Apóstoli*, in médium addúcere: «Oratiónibûs Sanctæ Ecclésiæ, «et Sacrifício salutárî, et eleemósynîs, «quæ pro piórum spirítibus erogántur, «non est dubitándum mórtuos adjuvári, «ut cum eis misericórdiùs agátur à Dómino, quàm eórum peccáta meruérunt. «Hoc enim à Pátribus tráditum, univérsa obsérvat Ecclésia.» Fácilè esset plura ejúsdem géneris agglomeráre, sed necessárium non est, cùm, hanc fuísse Véterum Patrum commúnem sententiam, ipsi hærétici non áudeant inficiári; sed pótiùs eò audáciæ progrediántur, ut non dúbitent eos erróris insimuláre; undè Calvínus áusus est dícere, Patres per trédecim, et ámpliùs sæcula «in hoc «áliquid humáni passos esse, ideóque ad «imitatiónem trahéndum non esse, quod «fecérunt.»

349. Prob. 4.° Concl. ratióne theológicâ, hîs S. Thomæ verbîs in 4, *Dist.* 21, *quæst.* 1, *art.* 1, *quæstiunc.* 1: «Si per contritiónem delétâ culpâ non «tóllitur ex toto reátus pœnæ, nec «étiam semper veniália, dimíssîs mortá«libûs, tollúntur; et justítia Dei hoc éxí«git, ut peccátum per pœnam débitam «ordinétur; opórtet, quòd ille, qui post «contritiónem de peccáto décédit, et ab«solutiónem ante satisfactiónem débitam, «quòd post hanc vitam puniátur: et ídeò «illi, qui Purgatórium negant, contra «divínam justítiam loquúntur: et prop«ter hoc erróneum est, et à fide alié«num negáre Purgatórium.» Vid. eumd. D. Thom. 1.ª 2.æ *quæst.* 87, *art.* 5: et August. Nicolás in suis stúdiis philósóphicis, *tom.* 2. *c.* 7.

Alláta D. Thomæ doctrína fundátur in ália doctrína cathólica, nimírùm, quòd dimíssâ culpâ non semper tota pœna condonétur: quæ doctrína simul et existéntia Purgatórii definíta fuit ab Œcuménica Tridentína Synodo, *Sess.* 6, *can.* 30, hîs verbîs: «Si quis post ac«céptam justificatiónis grátiam cuílibet «peccatóri pœniténti ita culpam remít«ti, et reátum ætérnæ pœnæ deléri dí«xerit, ut nullus remáneat reátus pœ«næ temporális exsolvéndæ, vel in hoc «sæculo, vel in futúro, in Purgatório, «ántequàm ad Regna Cœlórum áditus «patére possit, anathéma sit.» Item, *Sess.* 25, hoc de Purgatório édidit decrétum: «Cùm Cathólica Ecclésia, Spí«ritû Sanctô edócta, ex sacris lítteris, «et antíquâ Patrum traditióne in sacris «Concíliis, et novíssimè in hac Œcumé«nica Synodo dócuérit, Purgatórium es«se, animásque ibi deténtas fidélium suf«frágiis, potíssimùm verò acceptábili «Altáris sacrifício juvári; præcipit S. «Synodus» etc.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

350. Obj. 1. *Eccle.. c.* 11. *v.* 3. légitur: «Si cecíderit lignum ad Austrum, «aut ad Aquilónem, quocúmque locô «cecíderit, ibi erit.» Atqui, hîs verbîs designátur perpetúitas státûs altérius vitæ, qui sit omninò immutábilis: Ergo, non est admitténdum Purgatórium, cujûs quidem státus mutábilis est.

Resp. Dist. min. hîs verbîs designátur perpetúitas státûs altérius vitæ, qui sit omninò immutábilis, et exclúditur státûs Purgatórii, qui est mutábilis, neg. et non exclúditur, concéd. Hîs enim verbîs significántur duo tantùm státus, unus nempè, salútis, qui per *Austrum;* alter damnatiónis, qui per *Aquilónem* significátur, ita ut sensus sit, númquàm futúrum áliquem, qui in Aquilóne cecíderit, transíre ad Austrum, et vice versa, ut vidére licet apud August., *epist.* 111 *ad Honorátum.* Nec tamen indè séquitur, justos omnes stá-

NOVITIA LIBRARY

tim ad Regnum post mortem perducéndos, adeóque excludéndum Purgatórium; nam quotquot moriúntur in grátia, etiamsi ad Purgatórium tránseant, sunt ex his, quos sacer textus dicit cádere ad *Austrum*, eò quia etsi non státim percípiant præmium salútis ætérnæ; post débitam tamen purgatiónem hoc præmium infallibíliter assequéntur, quia per suprémi Júdicis sententiam illis ab instánti mortis irrevocabíliter adjudicátur, licèt non illicò eis tribuátur, si áliquod ad illud státim obtinéndum obstat impediméntum, quia scriptum est: «Ni«hil cöinquinátum introíbit in Regnum «Cœlórum.»

351. Obj. 2.° *Sap.. cap.* 3. *v.* 1, légitur: «Justórum ánimæ in manu «Dei sunt, et non tanget illos torméntum «mortis... illi áutem sunt in pace:» et *cap.* 4, *v.* 7: «Justus áutem si morte «præoccupátus fúerit, in refrigério «erit:» Atqui, hæc vera non essent, si ánimæ justórum igne purgatórió torqüeréntur: Ergo, pro nullis justis datur Purgatórium.

Resp. neg. min. Nam ánimæ justórum, quæ sunt in Purgatório, sunt étiam in *manu Dei*, quia sunt in tutíssima ejus custódia, à qua nemo úmquàm póterit eas erípere; *sunt in pace*, quia non sunt ámpliùs hujus sæculi tentatiónibus, ac perturbatiónibus obnóxiæ, nec sunt ámpliùs ánxiæ, sed perfectíssimè secúræ de ætérna beatitúdine consequénda: quô étiam sensû dicúntur *esse in refrigério:* nam carére tentatiónibus; non esse obnóxium peceáto; non esse ánxium de ætérna salúte, magnum, et quidem inexplicábile, secùm affert refrigérium; quod quidem refrigérium perficiétur, et consummábitur, cùm ánimæ justórum in Cœlum perducéntur. Et hoc est, quod precátur Ecclésia, póstulans pro animábus in Purgatório existéntibus «refrigé«rii sedem, quiétis beatitúdinem, et lú«minis claritátem.»

352. Obj. 3.° Ex précibus Ecclésiæ proanimábus defunctórum, pérperàm infértur existéntia Purgatórii, nam Ecclésia étiam orat Deum «ut líberet ánimas óm«nium fidélium defunctórum de pœnis «inférni, et de profúndo lacu, et ut libe«réntur de morte ætérna in die illa tre«méndа, quándò Cœli movéndi sunt, et «terra, dum vénerit (Christus) judicáre «sæculum per ignem:» Atqui, hîs précibûs Ecclesia vidétur oráre pro damnátis ut liberéntur: Ergo, sicut ex his Ecclesiæ précibus inférre non licet, damnátos posse à suis pœnis liberári; ita nec ex áliis Ecclésiæ précibus inférre licet, existere Purgatórium, à quo quis possit liberári.

Resp. Neg. min. Nam Ecclésia in prædictis précibus non orat Deum, ut líberet ánimas ómnium fidélium defunctórum absolútè, sed eórum tantùm, qui in statu grátiæ ex hac vita decessérunt: Ecclésia enim firmiter tenet pœnas damnatórum in inférno própriè dictô ætérnas esse (vid. *num.* 325, *et seqq.*); nec mirum quòd ipsa dicat *ómnium fidélium défunctórum*, quia cum ipsa certa non sit de státu singulórum (excéptis Martyribûs, et his quos ipsa Sanctórum albo adscrípsit), omnes nóminat, ne áliquem ex his, quibus suæ préces prodésse possunt, prætermíttat. Orans áutem ut Deus líberet eórum ánimas de *pœnis inférni*, *et de profúndo lacu*, non intélligit inférnum, et profúndum lacum damnatórum in perpétuum, sed Purgatórium, cujus locus, cùm subterráneus supponátur, méritò inférnus, et profúndus lacus appellátur. Ecclésia orans ut *liberéntur de morte ætérna in die illa treménda* etc. orat, ut fidéles justi in treménda die judícii non inveniántur cum réprobis à sinístris. Quámquàm enim de-

functórum sors sit jam decísa, nec fieri possit, ut qui modò in Purgatório sunt, in die judícii in parte sinístra simul cum réprobis inveniántur; útitur tamen Eccléśia hisce precándi fórmulîs, eas referéndò ad illud instans, quô ánimæ é córpore migrárunt, quod quidem instans in memóriam revocátur, quándò preces ad Deum fundúntur, ac si Ecclésia díceret · Recordáre, Dómine, quòd hæ ánimæ in státu grátiæ ac amicítiæ tuæ decessérunt, adeóque in die illa treménda inter Sanctos, et eléctos tuos dignéris collocáre. Ecclésia in hisce précibus se agit, ac témpore Advéntûs clamat: «Ro«ráte cœli désuper, et nubes pluant jus«tum : aperiátur terra, et gérminet Sal«vatórem ;» non certè quási id quotánnis fieri débeat, sed in memóriam illíus felicíssimi témporis, quô id factum est. Idem étiam fieri consuévit in áliis fídei nostræ Mystériis, quándò majóres recúrrunt solemnitátes. «Nempè sæpé ita ló«quimur, inquit S. Augustínus, epist. «23, ad Bonifácium, ut Paschâ propin«quánte dicámus, crástinam, vel perén«dinam *Dómini passiónem, cùm ille an«te tam multos annos passus sit.* etc.»

Cæterùm, non omnes Ecclésiæ preces pro defúnctis ad illud tempus referúntur, quô ex hoc sæculo transiérunt. Sunt enim áliæ, quæ ad præséntem eórum státum spectant; ut cùm orat, ut ab omni delictórum vínculo absolvántur ; ut Deus ipsis réquiem donet ; ut perdúcat eos ad lucem sanctam ; atque ut Sanctórum felicitáti conjungántur.

353. Obj. 4.° In die judícii extrémi státim omnes, vel in regnum recipiéntur, vel in ignem ætérnum mitténtur, non obstánte, quòd qui vivi tunc repérti fúerint, non plenè in hac vita pro peccátis satisfécerint: Ergo, neque nunc ob hanc cáusam necésse est admíttere Purgatórium.

Resp. negándò absolútè antec. Nam post judícium extrémum proptéreà non fiet purgátio, quia omnes, qui purgatióne indigúerint, purgáti erunt ante Júdicis sententiam; idque vel in sola ánima per ignem Purgatórii, vel in córpore simul et ánimâ per últimæ conflagratiónis ignem: ita tamen, ut quod deérit diuturnitáte témporis, gravitáte pœnæ compensétur. Qua de cáusa S. Thomas, *Suppl. q.* 74. *art.* 8. *ad* 5, inquit : «Tres sunt cáusæ, quáre súbitò illi, qui «vivi reperiéntur, purgári póterunt. Una «est, quia in eis páuca purgánda inve«niéntur, cùm terróribûs, et persecu«tiónibûs præcedéntibûs fúerint purgáti. «Secúnda cáusa est, quia et vivi et vo«luntárii pœnam sustinébunt ; pœna «áutem in hac vita voluntárié suscépta «multò plùs purgat, quàm pœna post «mortem inflícta, sicut patet in Marty«ribus, quia si purgándum quid in eis «invenítur, passiónis falce tóllitur, ut «August. dicit lib. unic. de bapt. con«tra Petilian., c. 13, cùm tamen pœna «martyrii sit brevis in comparatióne ad «pœnam, quæ in purgatório sustinétur. «Tértia est, quia calor ille (extrémæ diéi «judícii) recuperábit in intentióne, qüan«tùm amíttit in témporis brevitáte.»

354. Obj. 5.° Per pœnam Purgatórii, vel expiarétur peccátum veniále quoad culpam, vel solùm quoad pœnam: Atqui, non potest remítti quoad culpam, quia státus post hanc vitam non est státus meréndi: neque quoad pœnam, quia non remíssâ culpâ, non remíttitur pœna: Ergo, frustrà pónitur Purgatórium.

Resp. Dist. min. Státus post hanc vitam non est státus meréndi, neque in ipso remítti potest culpa veniális, neg. : non est státus meréndi, et tamen in ipso potest culpa veniális remítti, concéd. Id tenet, ejúsque reddit ratiónem D. Thom. *quæst.* 7. *de Malo*, *art.* 11. inquiens:

«Opórtet dícere, quôd veniália remit-«túntur eis (existéntibus in Purgatório) «post hanc vitam étiam qüantùm ad cul-«pam, eô modô, quô remittúntur in hac «vita, scílicet, per actum Charitátis in «Deum, repugnántem veniálibûs in hac «vita commíssîs. Quia tamèn, post hanc «vitam non est státus meréndi, ille di-«lectiónis motus in eis tollit quidem im-«pediméntum veniális culpæ, non tamen «merétur absolutiónem, vel diminutió-«nem pœnæ sicut in hac vita.»

355. Obj. 6.° Ideò conténditur, Purgatórium dari, quia dimíssâ culpâ mortâlî, adhuc plerúmque supérest pœna temporális luénda, quæ cùm in hac vita non sit satisfácta, satisfíeri debet in áltera: sed falsum est, dimíssâ culpâ, restâre pœnam luéndam: Ergo, et falsum est, dari Purgatórium.

Resp. Neg. min. De pœna síquidem post culpam in hac vita dimíssam subëúndâ, sexcénta in sacris lítteris occúrrunt exémpla, seu testimônia. Primum in Proto-Parente, qui etsi, ut habétur Sap. *cap.* 10 *v.* 2 edúctus fúerit à peccáto suo, et proíndè pœnam ætérnam eváserit, pœnam tamen mortis, aliarúmque ærumnárum débuit sustinére. Secúndum occúrrit in pópulo Hebræo, cui, intercedénte Moyse, placátus Dóminus pro peccáto vítuli, nihilóminùs, ut légitur Exodi, *cap.* 32, *v.* 34, subjúnxit: «Ego áutem in die ultiónis visitábo et hoc «peccátum eórum.» Prætermíssîs, brevitátis causâ, áliîs, ut quæ legúntur *Num. c.* 11, 12, *et* 20; *Deuteronóm.*, *c.* 1, etc. etc., addúcimus célebre exémplum Davídis, quod légitur *lib.* 2 *Reg.*, *cap.* 12, ubi corréptus David à Nathan Prophéta de adultério cum uxóre Uríæ, *v.* 13, cùm dixísset: «Peccávi Dómino,» státim audívit: «Dóminus quoque trans-«tulit peccátum tuum, non moriéris.» Sed áddidit Prophéta: «Verúmtamèn «quóniam blasphemáre fecísti inimícos «Dómini, propter verbum hoc, fílius, «qui natus est tibi, morte moriétur.» Quod quidem fuit pœna Davídi inflícta post dimíssam culpam.

Doctrínam hanc de pœna peccáti post culpam remíssam plerúmque remanénte, támquàm Cathólicam definívit Concílium Tridentínum, *Sess.* 14, *Can.* 12, anathémate fériens eum, qui díxerit: «to-«tam pœnam simul cum culpa remítti «semper à Deo.»

Ex his suâ spóntè fluit, quòd pœna temporális, quæ post dimíssam culpam rémanet luénda, si non sólvitur in hac vita, solvénda sit in áltera, ut divínæ justítiæ fiat satis. Hinc Concílium Florentínum, *Collat.* 22, in Decréto definitívo Eugenii IV. inquit: «Si verò pœ-«niténtes in Dei charitáte decésserint, «ántequàm dignîs pœniténtiæ frúctibûs de «commíssis satisfécerint et omíssis; eó-«rum ánimas pœnis purgatórii post mor-«tem purgári, et ut à pœnis hujúsmodi «relevéntur, prodésse eis fidélium vi-«vórum suffrágia.»

356. Schólion. Si qui fortè SS. Patres videántur docére, nullum post hanc vitam esse pœniténtiæ, aut satisfactiónis locum; intelligéndi sunt de pœniténtia, et conversióne, quâ hómines fiunt ex malis boni, quæ certè pœniténtia locum in futúro sæculo non habet: mínimè verò significáre volunt, in álio sæculo satisfíeri non posse pro pœna, quæ post commíssam culpam rémanet luénda.

APPÉNDIX

DE PASSIÓNIBUS.

357. Ímpetus illi, qui in nobis ex appetítu sensitívo pullulántes *passiónum* nómine designári solent, tanti moménti sunt in negótio morum, ut et virtútum máxima pars illis regéndis occupétur, et vítia pœnè ómnia ex eórum deordinatióne provéniant. Undè non abs re erit quædam de ipsis in hac Appendíce delibáre ; ac ex D. Thoma, qui hanc matériam 1.ª 2.æ à quæst. 22, usque ad 48, peregrégiè prosecútus est, quædam decérpta hùc revocáre, ne rem, et ad notítiam morum necessáriam, et scítû jucundíssimam neglexísse videámur.

Quæ circa passiónes in commúni quæri possunt, ad tria cápita reducúntur: scílicet, quid sint; quot sint; et quómodò se hábeant ad bonitátem, et malítiam morálem. Sit ergo

§ I.

Quid sit Pássio.

358. Omíssis áliis definitiónibus, præstat, quam ex D. Damascéno, *lib.* 2, *Orthodox. Fidei* D. Thomas refert, scílicet: «Motus appetitívæ virtútis sensíbilis (*seu sensitívæ*), ex imaginatióne «boni, vel mali, cum transmutatióne «corporáli,» ob quam nomen passiónis óbtinent.

In hac definitióne ly *motus* óbtinet locum géneris, et idem sonat ac quidam ímpetus; dum verò ádditur, *virtútis appetitívæ sensíbilis*, íncipit jam indicári id, quô motus, qui dícitur pássio, tum ab áliis mótibus, quos corpus nostrum experítur, tum à voluntátis affectíbus, qui et ipsi quadántenùs possunt motus appellári, discérnitur. Additur áutem, *ex imaginatióne boni, vel mali*, quô horum mótuum própria cáusa assignátur; próprium enim motívum appetítûs sensitívi est bonum, et malum imaginatióne apprehénsum; sicut bonum, et malum intellectû apprehénsum, est próprium motívum voluntátis. Partículæ verò, *cum transmutatióne corporáli*, significant discrímen *passiónis* tum à mótibus voluntátis, quæ non se movet per transmutatiónem corporálem, non enim volúntas, cùm sit poténtia purè spirituális in órgano corpóreo résidet; tum à mótibus partis sensitívæ cognoscitívæ, quæ licèt sit affíxa órgano corpóreo, per se tamen intentionáliter tantùm, sed non physicè corpus transmútat; pássio verò étiam physicè corpus, et præcípuè cor mutat, ut notat D. Thom. 1.ª 2.æ *quæst.* 24, *art.* 2, *ad* 2, ínquiens: «In omni passióne áddi«tur áliquid, vel diminúitur à naturáli «motu cordis; in quántùm cor intén«siùs, aut remíssiùs, movétur secúndùm «systolem, aut dyástolem.»

§ II.

Quótuplex sit Pássio.

359. Appetítus sensitívus est duplex, ut demónstrat S. Thom. 1 *Part.*, *quæst.* 81, *art.* 2. ínquiens: «In par-«te sensitíva sunt duæ appetitívæ po-«téntiæ. Una per quam ánima simplíci-«ter inclinátur ad prosequéndum ea, «quæ sunt conveniéntia secúndùm sen-«sum, et ad refugiéndum nocíva; et «hæc dícitur Concupiscíbilis. Ália verò, «per quam ánimal resístit impugnánti-«bus, quæ conveniéntia impúgnant, et «nocuménta ínferunt; et hæc vis voca-«tur Irascíbilis: undè dícitur, quòd ejus «objéctum est árduum, quia scílicet, «tendit ad hoc quòd súperet contrária, «et superemíneat eis.»

Hinc fluit, álias esse passiónes partis *concupiscibilis;* álias verò, partis *irascíbilis*. Différunt áutem passiónes partis *concupiscibilis* à passiónibus partis *irascíbilis*, eò quòd, ut notat S. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 23. *art.* 2. Omnis pássio concupiscíbilis, aut tendit in bonum, aut recédit à malo, undè hæ passiónes sunt ex parte objécti ad ínvicem contráriæ, ferúntur enim in términos contrários, bonum, nempè, et malum: at verò, passiónes partis irascíbilis, non tantùm circa divérsum términum, sed circa eúmdem, mótibûs oppósitîs ferúntur; ut spes in bonum árduum tendit, desperátio verò ab eo recédit: audácia insúrgit in malum, timor verò ei succúmbit: undè hæ passiónes ad ínvicem contrariántur, non modò ex parte término, sed étiam ex accéssu, et recéssu ab eódem término.

360. Passiónes *Concupiscíbilis*, ut demónstrat S. Thom. 1.ª 2.æ *quæst.* 23. *art.* 4. sunt sex: Amor, nempè, et Odium; Desidérium, et Fuga; Gáudium, et Tristítia. Amor est véluti pondus urgens in bonum, undè S. August. «Amor meus, pondus meum; eò «feror, quocúmque feror.» Desidérium est motus in bonum absens, ex illo póndere procédens. Gáudium est quies in bono jam obténto. È contrà, Odium est véluti pondus rétrahens à malo. Fuga est motus ex illo póndere causátus. Tristítia est violénta quies in malo jam incúrso.

Passiónes áutem *Irascíbilis*, ut ibídem declárat S. Dr. sunt tantùm quinque: Spes, nempè, et Desperátio; Audácia, et Timor, seu Metus; et Ira, quæ caret contrárîo: ut vidére licet ap. D. Thom. *ibid. art.* 3. Spes ánimum erígit ad bonum in árduo situm: Desperátio áutem déprimit. Audácia insúrgit in malum árduum; Timor, seu Metus, succúmbit. Ira verò, ánimum in cáusam mali accéndit, et ácuit ad vindíctam. Hic óbiter animadvértimus, quòd omnis pássio partis irascíbilis, orítur ex passióne partis concupiscíbilis, quippè pars irascíbilis est véluti minístra partis concupiscíbilis, et hujus est téndere in bonum, et quiéscere in bono; illíus verò impedimenta removére.

§ III.

Quómodò passiónes se hábeant ad bonitátem, vel malítiam morálem?

361. Stöicórum sententia fuit, passiónes, non modò virtúti esse inútiles, sed étiam omnes omninò ut malas esse damnándas. È contrà, Peripatétici passiónes moderátas, et per ratiónem regulátas, támquàm bonas propugnábant. Verùm, quantúmvis hæ duæ sententiæ primâ fronte inter se pugnántes videántur, D. Thomas, 1.ª 2.æ *quæst.* 24, *art.*

2, ánnotat, discrímen dumtáxat in voce esse ; cæterùm in re convenire. Stóici enim non satis discerneńtes voluntátem ab appetítu sensitívo, omnes ánimi nostri afféctus per ratiónem regulátos nuncupábant *voluntátes;* qui verò ratiónis præscríptum vel excéderent, vel ségniùs sequeréntur, græcè quidem *pathos*, latinè verò *perturbatiónes, ægritúdines morbósque,* appellábant : quô sensû sumpta pássio, ut, scílicet, à ratiónis régula defíciens, étiam apud Peripatéticos mala est, et vitiósa : at verò, ut ratióni obtémperat, et coöperátur, nec ab ipsis Stóicis condemnári valet.

362. Quæri tamen potest, an pássio, dum ratióni, voluntatíque coöperátur, dimínuat, vel áugeat voluntátis bonitátem? An, v. g. Judex, qui cum passióne, ardoréque partis sensitívæ justítiam adminístrat, méliùs, vel detériùs agat, quàm si silénte appetítû sensitívô totum opus paccátâ, nudâque voluntáte perágeret?

Huic quæsíto cum S. Thoma respondémus, esse distingüéndum: pássio enim dupliciter ad ratiónem, et voluntátem comparári potest ; unô modô ut antecédens, áliô modô ut súbsequens. Illud áccidit, quándò præcurréntes passiónes sollícitant, et urgent voluntátem étiam ad rem bonam, puta, ad miseréndum, puniéndum etc. : istud verò áccidit, cùm è contrâ, præcúrrens rátio, et volúntas passiónum motus éxcitat, ut opus non frígidè, sed ardénter, ac vívidè peragátur ; quippè passiónes sunt véluti quidam ignículi, attentiónem, veheméntiam, ardórem, vigorémque, óperi inspirántes. Sic Judex ad malos terréndos iram in se éxcitat ; et miles advérsùs hostem pugnatúrus ánimum exácuit iracúndiâ, quam elegánter véteres Académici *fortitúdinis dotem* dixére : undè vulgátum illud Homéri :

.....Virtúti immísit furórem.

Hôc pósitô fácilè evanéscit difficúltas ; nam pássio prævéniens, trahénsque post se voluntátem, dimínuit bonitátem : tum quia obnúbilat judícium ratiónis, ex quo, ut fonte suô, dependet bónitas morális, quæ ídeò, véluti turbátô fonte rívulus, minùs pura est : tum quia dimínuit libertátem, volúntas enim passiónis ímpetû abrépta, minùs est sui juris, ac quándò est actûs sui dómina. Ast verò, pássio súbsequens dupliciter súbsequi potest ratiónem, et voluntátem : unô modô, per quámdam redundántiam, qüatenùs nempè volúntas, cùm fúerit inténsa, secum rapit appetítum inferiórem ; pássio hôc modô súbsequens, non addit quidem própriè bonitátem actióni, sed tantùm osténdit majórem bonitátem ejus ; ad perfectiónem enim boni morális spéctat, non solùm ut homo benè agat sécúndùm partem rationálem ; sed étiam ut membra sua omnésque afféctus exhíbeat *arma justitiæ*, ut lóquitur Apóstolus. Áliô modô, pássio est súbsequens per electiónem, qüatenùs nempè, volúntas expréssè, et nominátim éligit áliquam passiónem, puta, irásci ad incutiéndum justum timórem ; tristári ad excitándam in áliis tristítiam salutárem etc. : et hôc modô pássio cónsequens addit ad bonitátem actiónis, quia pars rationális ex profésso éligit passiónem, ut ejus áctio prómptior, ac vivídior evádat : undè D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 24. *art.* 3. *ad* 1, ait : «homo ex judí«cio ratiónis éligit áffici áliquâ passióne, «ut prómptiùs operétur, coöperánte ap«petítû sensitívô : et sic pássio ánimæ «addit ad bonitátem actiónis.»

§ IV.

De Passiónibus appetítûs concupiscíbilis.

363. Atténtô quòd appetítus concupiscíbilis versátur circa bonum sensû apprehénsum, nudè, et secúndùm se spectátum; irascíbilis verò circa idem bonum sub ratióne *árdui* considerátum; ídeò præmíttimus bréviter de passiónibus ad concupiscíbilem spectántibus pertractáre: et in primis

DE AMÓRE, ET ÓDIO.

Utrámque partis concupiscíbilis passiónem sub uno título comprehéndimus, quia sunt ad ínvicem contráriæ, et contrária contráriis innotéscunt, undè commúne prolóquium, *oppositórum éadem est sciéntia*. Ut áutem ab Amóre exordiámur, dícimus cum D. Thoma: «Amor «est complacéntia appetíbilîs, seu boni.» Complacéntia hæc in dúplici státu considerári valet: primò, ut recens, infírma, ténera, quæ nondùm rapit, sed solùm léviter cómmovet, et ágitat appetítum: hujus géneris complacéntia non dícitur próprié, amor, sed pótiùs inchôátio amóris, aut nuda *complacéntia*. Secúndò considerári potest, ut jam robústa, firma, constans, et appetítûs dómina, cùm scílicet honum non léviter tantùm cómmovet, sed poténtèr inclínat ad se appetítum; et hujus géneris complacéntia próprié, ac perféctè *Amor* nuncupátur. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 26. *art.* 2.

364. Amóris cáusa prima, et precípua, imò, quæ est aliárum rátio, est *bonum*, nulla enim res placet, et amátur, nisi qüatenùs apprehénditur ut convéniens appeténti, ipsíque proíndè bona. Secúnda cáusa amóris est similitúdo; undè provérbium: *símile símili gáudet;* et Eccles. *cap.* 13: *omne ánimal díligit sibi símile*. Ad has amóris cáusas áliæ, quas áliqui assígnant, redúci vidéntur, ut familiáritas, pulchritúdo, sympathía, sociétas, communicátio in áliquo bono, etc.

365. Efféctus Amóris, cûm innúmeri sint, sex præcípuè à D. Thoma recenséntur: 1.° Únio; 2.° Adhæsio; 3.° Éxtasis; 4.° Zelus; 5.° Læsio Amántis; 6.° demúm, universális quidam influxus in ómnia, quæ agúntur ab Amánte.

Unio ádeò próprius est *Amóris* efféctus, ut Dionysius eum vocáverit Virtútem unitívam; et S. Augustínus, *lib.* 8.° *de Trinit. cap.* 10, inquit: «Amor «est quási junctúra quædam, duo cópu«lans, vel copuláre áppetens, Amántem, «scílicet, et id, quod amátur.» Simíliter Aristóteles, *lib.* 2.° *Politic., cap.* 2, ait: Quòd Amántes desiderárent, ex ambóbus fíeri unum; «sed, quia ex hoc «accíderet, aut ambo, aut álterum cor«rúmpi, quærunt uniónem, quæ cónve«nit, et decet; ut, scílicet, simul con«verséntur, et simul colloquántur, et in «áliis hujúsmodi conjungántur.»

Adhæsio, seu inhæsio, dupliciter causátur ab amóre: 1.° quántùm ad cognitiónem, quátenùs amor altè defígit amátum in apprehensióne Amántis, sicque éfficit, ut perpétuâ contemplatióne Amánti inhæreat amátum: 2.° quántùm ad afféctum, quátenùs Amans omnes afféctus suos defíxos habet in amáto, ut non imméritò díxerit Plato: «ánimam magis esse ubi amat, quàm ubi «ánimat.»

Éxtasim cáusat Amor et secúndùm apprehensiónem, et secúndùm afféctum. Secúndùm apprehensiónem quidem, qüatenùs facit, ut Amans suî oblítus, de amáto dumtáxat cógitet; sicque ferátur

extra própria, in quo rátio Éxtasîs consístit. Secúndùm afféctum verò, qüatenùs amátum ita curas, affectúsque omnes Amántis rapit ; ut próprîs negléctîs de amáto solùm sollicitúdinem hábéat, sicque extra se ipsum éxeat.

Zelus causátur ab Amóre, qüatenùs amor cùm intènsus fuérit, non solùm fertur in amátum, sed étiam ácriter repellit omne sibi contrárium, et repúgnans, in quo sita est rátio Zeli.

Læsiónem Amántis causat Amor, vel ratióne sui materiális, vel étiam ratióne sui formális. Ratióne sui materiális dícitur id fácere ob corporálem transmutatiónem, quæ materiáliter ad ratiónem omnis passiónis pértinet: qüántò enim amor est inténsior, tantò spíritus animales cómmovet, inténdit, aut consúmit. Ratióne sui formális, qüandò amor inordinátus est, et his rebus adhæret, quæ nec decent, nec cóngrüunt Amánti. Ast verò, si amor rectus sit, et vero bono adhæreat, non lædit, sed magis pérficit Amántem : ut docet D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 28. *art.* 5.

Est demùm amor cáusa ómnium, quæ ab Amánte agúntur ; non modò qüatenùs, ut inquit Dionysius, *cap.* 4, *de Div. Nom.*, «propter amórem boni «ómnia agunt, quæcúmque agúnt,» aut qüatenùs bonum amátum habet ratiónem finis, qui movet agens ad agéndum ómnia quæ agit; sed étiam quia amor est dóminus appétitûs, cujûs est applicáre ad agéndum ; tum quia amor est radix ómnium afféctuum, ac passiónum, quibûs movétur animal ; tum quia est potentíssimus motor urgentíssimè stímulans, efficacíssimè ápplicans vires agéndi, imò mirò quòdam modò indústriam inspírans, ac perseveántiam.

Præter hos celebrióres amóris efféctus, álios his próximos vidére licet ap. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 28, *art.* 5.

366. Quæ de Ódio dicénda nunc forent, ex his, quæ de amóre modò dicta sunt, satis possunt dignósci, cum contrária contráriis innotéscant. Unum admiratióne dignum est, vidélicet, ódium, quantúmvis sît ab amóre divérsum, eique contrárium, ab eo tamen generári, nasci, ac educári : amor enim quoddam pondùs ánimi est, undè sicut ab eódem póndere producitur, et accéssus ad centrum, et recéssus à puncto, quod centro oppónitur ; ita et ab eódem amóre fit, et quòd ánimus inclinétur in bonum, ipsíque commensurétur, coäptétur, conformétur, et in illo sibi compláceat; et quód ea, quæ bono amáto repúgnant, repúgnent quoque Amánti, displíceant, et ingráta sint, in quo sita est rátio Ódii. Hinc est, qnòd ódium mortís in nobis oritur ex amóre vitæ ; ódium infirmitátis, ex amóre salútis ; ódium belli, ex amóre pacis etc. etc.

§ V.

De Desidério, et Fuga.

367. Desidérium, et Fuga, sunt véluti quædam ánimi pennæ, quibûs et ad bonum absens fertur, et malum absens, quàm longíssimè potest, déviat, ac fugit.

Desidérium, prout est pássio, jure definíri potest : «Motus, seu afféctus ap«petítûs sensitívi, tendens in bonum ab«sens, sensû apprehénsum.» Ex hac definitióne satis erúitur discrímen inter desidérium, et álias appetítûs sensitívi passiónes. Nam Amor est afféctus, quô nobis complacémus in bono, sive præsénte, sive absénte : Delectátio, seu Gáudium, versátur circa bonum præsens, et posséssum ; at verò Desidérium est própriè et præcísè boni abséntis. Ab ipsa Spe, quæ magis Desidério vidétur

affinis, per prædictas particulas distinguitur Desidérium; Spés enim non est qualiscúmque boni prosecútio, sed *árdui, ac difficultátibus circumsépti*; nec quomodocúmque in illud tendit, sed cum quadam ánimi erectióne, conátu, ac luctâ contra difficultátes ánimum deprimentes. Ast verò, Desidérium est simplex ánimi motus, et inclinátio in bonum absens, præcisè qüatenùs bonum. Sic témpore belli, próprie loquéndô non dícimus desideráre, sed speráre victóriam, cùm victória sit bonum árduum, ac difficultátibus circumséptum, etc.

368. Cáusa Desidérii est *amor cum indigéntia*: amor quidem, ex quo dimánat, ut à suo princípio, non secùs ac motus deorsùm ex gravitáte: indigéntia verò, quia non omnis amor desidérium parit, sed tantùm amor, qui índigus est, et privátus bonô amátô.

369. Effé ctus peculiáres Desidérii, sunt in primis tædium, quod est dolor ex dilatióne boni desideráti cum adjúncto fastídio eórum, quæ habéntur: item importúnitas, quæ est nímia, moléstaque sollicitátio rei desiderátæ, cum suspíriis; item conátus ille, quô in res prohíbitas sæpè prorrúmpimus, juxtà vulgátum illud Ovídii,

Nititur in vétitum, semper cúpimusque negáta.

Alios efféctus Desidérii prætermíttimus, quia sat supérque noti sunt Desideántibus.

370. De Fuga, quia contrária est Desidério, non est cur operósiùs disserámus, cùm ex dictis circa Desidérium satis innotéscat; contrariórum enim contrária est rátio.

—

§ VI.

De Delectatióne, seu Gáudio, et de Tristítia, seu Dolóre.

371. Hæ duæ passiónes sunt omnium aliárum términi; quemádmodùm. Amor, et Ódium sunt eárum princípia; omnis enim ánimi nostri afféctus ex amóre boni, aut ódiô mali procédit; et in delectatióne, aut tristítiâ, seu dolóre consummátur.

Delectátio váriis nomínibûs éxprimi consuévit: dícitur enim *gáudium, lætítia, exultátio, jucúnditas*, etc. quæ nómina ita expóni possunt ex D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 31, *art.* 3, ut Delectátio sit próprium, genericúmque hujus passiónis nomen; Gáudium verò, próprie loquéndô, delectatiónem significat, qüatenùs ad rationálem partem áttinet, undè ibid. S. Dr. inquit: «nomen gáu«dii non habet locum nisi in delectatió«ne, quæ conséquitur ratiónem. Undè «gáudium non attribúimus brutis ani«málibus, sed solùm nomen delectatió«nis.» S. Dr. *ibid. ad* 3, proséquitur ínquiens: «Quòdália nómina ad delecta«tiónem pertinéntia sunt impósita ab «efféctibus delectatiónis: nam lætítia «impónitur à dilatatióne cordis, ac si «dicerétur latítia. Exultátio verò díci«tur ab exterióribus signis delectatiónis «interióris, quæ appárent extériùs, in «quántùm scílicet intériùs gáudium pró«silit ad exterióra. Jucúnditas verò dí«citur à quibúsdam speciálibus lætítiæ «signis, vel efféctibus,» puta, jocis.

372. Delectátio prout ad appetítum sensitívum pértinet, definítur: «pássio «resúltans in appetítu sensitívo ex præ«séntia boni sensíbilis, seu quies in bono «sensíbili obténtô.» Hæc quies accipiénda est *positivè*, pro quodam afféctu,

seu immutatióne factâ in appetítu, qüatenùs, cùm ántea elongátus à bono, atque támquàm extra centrum suum pósitus, quámdam paterétur violéntiam, ex possessióne boni, ac conjunctióne cum ípso ita benè se habet, ut pro eo tunc álió non tendat per desidérium, adeóque in tali bono dícitur quiéscere.

Juvat cum D. Thoma, 1.ª 2.æ *quæst.* 31, *art.* 5, adnotáre, quòd «si compa-«réntur delectatiónes intelligíbiles delec-«tationibûs sensibílibûs, secúndùm quòd «delectámur in ipsis actiónibus, puta, in «cognitióne sensûs, et in cognitióne in-«telléctûs, non est dúbium, quòd multò «sunt majóres delectatiónes intelligíbi-«les, quàm sensíbiles..... sed si com-«paréntur delectatiónes intelligíbiles spi-«rituáles delectatiónibûs sensibílibûs «corporálibûs, sic secúndùm se, et «simplíciter loquéndò, delectatiónes spi-«rituáles sunt majóres..... sed quoad «nos delectatiónes corporáles sunt ma-«gis veheméntes propter tria. Primò «quia sensibília sunt magis nota quoad «nos, quám intelligibília. Secúndò étiam «quia delectatiónes sensíbiles, cùm «sint passiónes appetítûs sensitívi, sunt «cum áliqua transmutatióne corporá-«li, quod non contíngit in delectatió-«nibus spirituálibus, nisi per quámdam «redundántiam à superióri appetítu ad «inferiórem. Tértiò, quia delectatiónes «corporáles appetúntur ut medicínæ «quædam contra corporáles defectus, «vel moléstias, ex quibus tristítiæ quæ-«dam consequúntur.» Undè inférre licet quòd delectatiónes corporáles dupliciter deléctant, et propter bonum, quod áfferunt; et máximè propter malum, quod áuferunt.

Hìc non abs re erit advértere cum D. Thoma, *ib. ad* 3^m «quòd delectatió-«nes corporáles sunt secúndùm partem «sensitívam, quæ regulátur ratióne; et «ídeò indigent temperári, et refrænári «per ratiónem: sed delectatiónes spiri-«tuáles sunt secúndùm mentem, quæ est «ipsa régula: undè sunt secúndùm seíp-«sas sóbriæ, et moderátæ,» dúmmodò scílicet ipsa mens legi divínæ sit confórmis.

373. Prima, et universálior Delectatiónis cáusa est operátio, nam, ut ait D. Thomas, 1.ª 2.æ *quæst.* 32, *art.* 1.º «ad delectatiónem duo requirúntur, scí-«licet, consecútio boni conveniéntis, et «cognítio hujúsmodi adeptiónis. Utrúm-«que áutem horum in quádam operatió-«ne consístit: nam actuális cognítio «operátio est quædam; simíliter bonum «convéniens adipíscimur áliquà opera-«tióne; ipsa étiam operátio própria est «quoddam bonum convéniens. Undè «opórtet, quòd omnis delectátio áliquam «operatiónem consequátur.»

Secúnda Delectatiónis sensíbilis cáusa est alternátio; nam juxta provérbium, *placet varietas*. Hujus verò ratiónem réddimus ex his, quæ observávit D. Thomas: tum quia natúra nostra transmutábilis est, ideóque transmutatióne, ut re sibi connaturáli, gáudet; tum quia homo desíderat totum cognóscere; cùm ergo quædam non possint apprehéndi tota simul, deléctat in his transmutátio, ut unum tránseat, et áliud succédat, et sic totum sentiátur. Cùm hæ causæ locum non téneant in visióne divína; nec in delectatióne ex ea consequénte, nec requíritur, nec locum óbtinet varietas.

Tértia delectatiónis cáusa est similitúdo; nam, ut fert commúne provérbium, *Símile símili gáudet:* et hoc ídeò est, quia similitúdo est quædam únitas, sicque bonum bono unítum, ipsum áuget; undè consequitur nova quædam delectátio. Hæc tamen intelligénda sunt per se; nam per áccidens ex accéssu símilîs potest bonum próprium cor-

rúmpi, ut dum fígulus fígulum in suo lucro turbat; et tunc símile suum símile abominátur, undè provérbium *figulus figulum odit.*

Inter delectatiónis cáusas recenséri possunt, tum admirátio, qüatenùs áliquam rei novæ cognitiónem secum affert: tum beneficéntia, quâ fit hómini quædam imaginátio superabundántis boni in ipso existéntis: tum ira, quæ, ut ait Homerus, *melle effússô longè dúlcior est*, qüatenùs spem facit vindíctæ, quæ jucúnda est. Similiter, *amári*, *laudári*, *súscipi*, delectatiónem cáusant, qüatenùs sunt signa boni in nobis existéntis. Imò *víncere*, *redárgüere*, *áliosque increpáre*, jucúnda sunt, non qüatenùs áliis malum inferunt, sed qüatenùs pèrtinent ad bonum próprium, quod homo plùs amat, quàm malum altérius aversétur; víncere enim est delectábile, quia per hoc fit æstimátio própriæ excelléntiæ: redárgüere áutem, et increpáre sunt étiam delectatiónis cáusa, præcípuè, quia éxcitant in hómine própriæ sapiéntiæ, et excelléntiæ imaginatiónem; increpáre enim, et corrígere sapiéntum est et majórum.

374. Efféctus delectatiónis, est in primis *Dilatátio*, qüatenùs nempè in gáudio cor sese explicáre, ac diffúndere vidétur; spiritúsque diffláti sese ubériùs effúndunt qüasi in occúrsum boni pergéntes, tantâ aliquándò licéntiâ, ut cor ipsum déserant, sicque delíquium, et mors sequántur: ob hanc cáusam multi ex nímio, inopinatôque gáudiò expirásse legúntur.

Álius efféctus delectatiónis sensíbilis esse potest, usum ratiónis impedíre; vel ipsum pénitùs absorbéndò, si delectátio máxima sit, et omnem ánimi intentiónem ad se rápiat; vel saltem, si moderátior sit, multùm distrahéndò.

Tandem, efféctus delectatiónis est, perfícere própriam operatiónem, quátenùs eam suaviórem, cariórem, ac appetibiliórem reddit.

375. Natúra, cáusæ, et efféctus Tristítiæ satis intélligi possunt ex dictis circa Delectatiónem, contrariórum enim contrária est rátio. Sic ergo Tristítia definíri potest: *Quies appetítûs in malo;* quies, ínquimus, non tranquílla, et appetítui convéniens, ac grata; sed repúgnans, disconvéniens, et ingráta.

376. Efféctus tristítiæ sunt: tum, angustiáre, constríngere, ac aggraváre ánimum, sicut è convérsò, delectátio ipsum lætíficat, dilátat, et érigit: tum, operatiónem debilitáre, sicut è convérsò, delectátio róborat: tum, præ cæteris passiónibus córpori, vitæque nocére; eò quòd, ut præclárè notat D. Thom., impédiat, ne cor motiónem, ac vitam líberè in ália membra effúndat; sicque qüasi vitálem fontem occlúdat, ipsum constringéndò, ac præ cæteris passiónibus oppriméndò. Hic sédulò adverténdum, prædícta de tristítia immoderáta esse intelligénda; nam si moderáta est, vitæ prodest, eò quia spíritus intùs cóntinet, ac figit. Hinc Apostólus, *epist.* 2.ª *ad Corint.*, *cap.* 6, ait: «Quæ secúndùm «Deum tristítia est, salútem; sæculi «áutem tristítia mortem operátur.»

§ VII.

De Passiónibus partis irascibilis.

377. Hæ passiónes, ut jam suprà annotávimus, sunt númerò quinque, vidélicet, Spes, et Desperátio; Timor, et Audácia; et Ira.

DE SPE, ET DESPERATIÓNE.

Spes definítur: «Pássio, quâ appetítus «tendit in bonum futúrum, árduum, «adéptû tamen possíbile.» Ut *pássio*,

cónvenit cum áliis passiónibus; cæteræ áutem partículæ eam ab áliis distíngüunt. A Timóre quidem, quátenùs objéctum Spei dícitur *bonum;* Timor áutem est de *malo:* à Gáudio qüatenùs objéctum Spei dícitur futúrum; Gáudium áutem est de præsénti: à Desidério, qüatenùs objéctum Spei dícitur árduum; Desidérium verò est de bono futúro, præcísè ut est convéniens, non áutem ut índuit ratiónem árdui: à Desperatióne, qüatenùs objéctum Spei dícitur *adéptû possíbile;* Desperátio áutem est *de impossíbili.* Ex dictis patet, Spem suppónere Desidérium, et in illo fundári, áddere tamen suprà ipsum quámdam appetítûs firmitátem contra difficultátes; quippè Desidérium est simplex anhelátio in bonum absens.

378. Cáusæ Spei sunt vires, quibûs difficultátes fiunt superábiles, ad quam cáusam pértinent divítiæ, fortitúdo, amíci etc.; item, calor córdis, quô spíritus roborántur, ne ità fácilè cedant difficultátibus; inconsiderátio demùm, quâ fit, ut difficultátes non reputéntur, aut non advertántur. Propter has cáusas, et júvenes, et ébrii, et stúlti sunt bonæ spei: júvenes quidem, tum quia in eis est parùm de prætérito, multùm verò de futúro, et ídeò spe magis, quàm memoriâ vivunt; tum quia óptimam opiniónem de própriis viribus habent, difficultátes verò parvipéndunt, quia eas satis non pénetrant, nec expérti sunt: tum demùm, quia abúndant calóre cor dilatánte, et spírituum motum obfírmante. Ébrii verò, quia et in ipsis calor æstuat, et benè de suís víribus séntiunt, nec difficultátes perpéndunt. Stúlti demùm propter inconsiderationem periculórum. Hinc è convérsò, Senes sunt raræ spei, eò quòd, cùm in prætéritis expérti sint, res plerúmque in detériùs cádere, in futúris idem suspicántur; et prætéreà difficultátes magis pónderant, ac pénetrant; et demùm langüéscens in illis calor non satis róborat spírituum motum, qui proptérea ex opinióne difficultátum fácilè retundúntur.

379. Efféctus Spei sunt, tum delectáre, qüatenùs per eam boni desideráti quámdam prælibatiónem degustámus: tum, operatiónem perfícere; nam qüatenùs réspicit bonum árduum, éxcitat attentiónem; qüatenùs verò réspicit bonum possíbile, ácuit conátum: tum, indúcere in amórem persónæ, à qua bonum sperámus; ex hoc enim, quod per áliquem sperámus bona nobis proveníre posse, movémur in ipsum, sicut in bonum nostrum, et sic ad eum amándum stimulámur.

380. Desperátio contrariátur Spei, non quidem penès objéctum, nempè, bonum, et malum, útraque enim est de bono; sed contrariátur penès accéssum, et recéssum; spes enim est accéssus ad bonum; desperátio verò recéssus ab illo. Contíngit enim aliquándò, bonum desideratum, tot, tantísque difficultátibûs circumvallári, ut illis óbrutus ánimus succúmbat, et ab ejus prosecutióne recédat. Hinc, Desperátio definíri potest: «Pássio, quâ appetítus recédit à bono «árduo, quod adéptû impossíbile exis«timátur.» Notáre juvat, hanc impossibilitátem non debére esse metaphysicam, sed morálem, qüatenùs nimis difficília, ut impossíbilia reputántur.

§ VIII.

De Audácia, et Timóre.

381. Audácia definítur: «Pássio, «quâ appetítus in malum terríbile in«súrgit, ad ipsum fugándum, et supe«rándum.» Ut *pássio* cónvenit cum áliis appetítûs sensitívi mótibus: cæteræ par-

ticulæ próprium audáciæ charactérem assignant. Hæc ut intelligántur, adverténdum cum D. Thom. quòd licèt appetítus per se tendat in bonum; per áccidens tamen tendit étiam in malum, non quidem ad ipsum obtinéndum, sed vincéndum, quándò, nempè, spes ipsíus superándi effúlget, et hic est motus, quem *audáciam* appellámus.

382. Cáusæ audáciæ sunt, in primis, Spes: non enim quis movétur ad insurgéndum contra mala, nisi ex spe vincéndi ipsa; undè Aristóteles 3 *Ethic.*, *cap.* 8, ait: «quòd illi, qui sunt bonæ «spei, sunt audáces;» id quod experiéntiâ confirmátum vidémus in juvénibus, ébriis, stultis etc. Hinc, ómnia, quæ spem fovent, et áugent, parî ratióne sunt cáusæ audáciæ, ut divítiæ, amíci, robur, experiéntia in perículis etc. Sed præ ómnibus, legítimam, ac laudábilem audáciam facit confidéntia divíni auxílii: ipse Aristóteles quámvis solo lúmine ratiónis ductus, *lib.* 2 *Rhetor.*, *cap.* 5, scrípsit: «eos, qui benè se habent ad «divína, audacióres esse:» addítque, qui injúriam passi sunt, reddi audacióres, eò quòd Deus «injústum passis au«xílium ferat.» Est prætérea ex parte materiáli, áltera cáusa audáciæ, nempè calor cordis, qui róborat ímpetum spírituum, ne ita fácilè ab apprehensióne periculi retundántur: undè, ut obsérvat Aristóteles, *lib.* 3, *de part. Animal.*, *cap.* 4; animália, quæ habent cor parvum, sunt audacióra; quæ verò magnum, sunt timidióra; et hoc ídeò, ut inquit D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 45, *art.* 3, «quia calor naturális non tantùm «potest calefácere magnum cor, sicut «parvum; sicut ignis non tantùm po«test calefácere magnam domum, sicut «parvam.»

383. Ad recenséndum audáciæ efféctus, præmonére opórtet, audáciam aliquándò in actum prorrúmpere, prævió judício ratiónis circa perícula; aliquándò verò, absque prævio hujúsmodi ratiónis judício. Hôc pósitò dícimus, Audáces, qui non ex judício ratiónis aggrediúntur perícula, sed ex sola passióne, inítiò promptióres esse ad perícula subëúnda; cùm verò experiúntur perícula, quæ non ita magna putábant, defíciunt, animîsque cóncidunt. È convérsò áutem, hi, qui non nisi post judícium ratiónis perícula aggrediúntur, inítiò remissióres sunt; in ipsis verò perículis invíctum rétinent ánimi robur, quia, ut inquit D. Thomas, 1.ª 2.æ *quæst.* 45, *art.* 4, «quándò sunt in ipsis perículis, non ex«periúntur áliquid improvísum, sed «quandóque minóra illis, quæ præ«cogitavérunt; et ídeò magis persís«tunt.»

384. Timor oppónitur Audáciæ; undè sicut Audácia érigit ánimum contrà mala ex spe superándi; ita Timor déjicit eum ob difficultátem evadéndi. Hinc Timor definîri potest: «Dejéctio ánimi «victi à gravitáte periculi.»

385. Sex spécies Timóris assignántur à D. Thoma, 1.ª 2.æ *quæst.* 41, *art.* 4. Primò, *Segnities*, cùm quis scílicet réfugit operári propter timórem excedéntis labóris: Secúndò, *Erubescéntia*, cùm scílicet quis timet ne ob actûs turpitúdinem sua lædátur existimátio; quod quidem si áccidat in ipsa actûs turpîs patratióne, próprië rétinet nomen erubescéntiæ; si áutem sit de actu turpi jam patrátò, próprië loquéndò, *Verecúndia* appellátur, quæ tértia est Timóris spécies; et útraque est Timor infámiæ, vel contuméliæ: Quártò, *Admirátio*, vidélicet, cùm quis considerat magnum áliquod malum, cujûs non valet éxitum vidére, vel cùm réfugit judícium proférre, métuens ne decipiátur: Quintò, *Stupor* procédens ex insuéti ma-

li consideratióne: Sextò, *Agonía*, cùm malo futúro providéri non potest.

386. Si áutem Timor considerétur, prout à Deo per ipsum aliquómodò avértimur, vel ad ipsum convértimur, divíditur á S. Thoma, 2.ª 2.æ *quæst.* 19, *art.* 2, in *mundánum*, *servilem*, *initiálem*, et *filiálem*. *Mundánus* quidem timor est, cùm quis propter mala, quæ timet, à Deo recédit; ideóque semper est malus. *Servilis* áutem timor est, cùm timétur pœna; quæ si timeátur támquàm principále malum, timor dícitur *serviliter servilis*, estque malus, non enim réfugit culpam, sed tantùm pœnam; quæ si non foret, culpa placéret. Si áutem timeátur quidem pœna, sed non támquàm principále malum, timor dícitur *simpliciter servilis*, et quoad substántiam est actus bonus, eóque, si sit gehénnæ timor, peccátor ad justificatiónem dispónitur, ut Tridentína Synodus, *Sess.* 6, *can.* 8, definívit. *Initiális* vero timor est, cùm timétur et culpa, et pœna. Dénique, filiális timor est, cùm quis timet culpam, quia est Dei offénsa; próprium enim boni fílii est timére offénsam Patris.

387. Quoad Timóris cáusas dícimus, quòd sicut malum præsens est cáusa tristítiæ, ita malum futúrum est prima Timóris cáusa. Áltera est, amor boni oppósiti malo, quod timétur. Tértia cáusa dispositíva est defectus; nam ex defectu virtútis próvenit, quòd quis non possit ímminens malum repéllere. Ad hanc cáusam refértur, tum defectus róboris, divitiárum, amicórum, aliorúmque, quæ juvant ad repelléndum malum; tum condítio temperaménti frigidióris, aut mollióris, quæ timidióres facit, ut patet in fœminis; tandem consciéntia sceleráta est timóris cáusa, ut enim adnotávit Séneca, *epist.* 97, «próprium «est nocéntium trepidáre.» Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst* 43, *art*, 1 *et* 2.

388. Efféctus timóris hi enumerántur à S. Thoma ibid. quæst. 44. Contráctio, vidélicet, et hebetátio calóris, et spirítuum, idque ex ipsa debilitáte virtútis, ob quam malum non ita fácilè potest depélli: pallor, ac tremor; hi enim consequúntur ex ipsa contractióne, et hebetatióne calóris, et spirítuum, quibûs proíndè exterióra córporis membra destituúntur: sitis, solútio ventris, loquéndi difficúltas, et aliquándò étiam mors, nimírùm ob calóris, et spirítuum hebetatiónem, propter quam spíritus à cérebro refúgiunt, et à corde. Dénique timor ob calóris defectum, quántùm est de se, operatiónem exteriórem ímpedit; tamen si moderátus est, timéntem reddit cáutum, efficítque, ut in operándo majórem adhíbeat diligéntiam: hinc próvenit quòd timor sit peccatórum frænum, et quòd hómines próvidos, cautósque reddat.

§ IX.

De Ira.

389. Ira, quam Gregórius Nissénus elegánter vocat *armigerum concupiscéntiæ*, definitur ab Augustíno, *lib.* 2, *Confes.*, *c.* 6, *Appetítus vindictæ*. Ipsi nulla ália oppónitur pássio, ut vidére licet ap. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 23, *art* 3.

390. S. Thom. 1.ª 2.æ *quæst.* 46, *art.* 8, recénset cum Damascéno tres iræ spécies: nimírùm *bilim*, quæ citò accénditur, et *excandescéntia* vocári solet, seu *fel* ut ibid. vocat S. Thom. eò quia in felle est sedes, et matéria bilis: secúnda, *bilim diuturniórem*, ex parte tristítiæ causántis iram, quæ diù in memória manet; hanc S. Thom. ibid. ait pertinére ad *Maniam*, quæ à manéndo

dícitur : tértia, *ira ulciscéndi occasiónem captans, animóque repósita*, hoc est, *ira inveteráta;* hanc, docet S. Thom. ibid. pertinére ad furórem, qui, donec púniat, númquàm quiéscit.

391. Cáusæ, ex quibus ira prófluit, sunt primò áliquid factum contra illum, qui iráscitur, nemo enim iráscitur, nisi áliquid contra ipsum fiat : secúndò despéctus, sive contémptus ejus, qui irásci-tur ; is enim contémptus oppónitur própriæ excelléntiæ, quam hómines áppetunt, ideóque hujúsmodi contémptus iram fácilè concitáre vidétur ; tértiò, est defléctus alicújus rei necessáriæ, aut desideràtæ ; quocírca, Aristóteles, *lib.* 2, *Rhet. cap.* 2, obsérvat, quòd «infírmi, «egéntes, et qui non habent id, quod «concupíscunt, facíliùs irascúntur, quia «facíliùs contristántur :» quártò, naturále contemperámentum córporis ; qui enim copiosiórî abúndant bile, ad iram sunt proclivióres ; et si bilis magis accendátur, ut æstivô témpore contíngit, magis ad iram provocántur.

392. Efféctus iræ sunt, 1.° delectátio ex vindícta, sive executióni mandátâ, sive ánimô præconcéptâ : 2.° alterátio corporális ex fervóre sánguinis, et spirítuum circa cor ; ideóque Damascénus, *lib.* 2, *de Fide, cap.* 16, iram definit : «Sánguinis, qui corde affúsus est, ebul-«lítio, ex exhalatióne, seu fulígine bilîs «provéniens :» 3.° mentis perturbátio, quæ sequéla quædam est perturbatiónis corporális. Cæteros iræ efféctus, tum in álios, tum in ipsum, qui irásci-tur, copiósè descríbit Séneca, *lib.* 1.° *de Ira, cap.* 1.° *et seqq.*, ad quem remíttimus lectórem, cùm nobis suffíciat hæc pro Tyrónibus delibásse.

Pro hac de passiónibus matériâ vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *à q.* 22 *usque ad* 48.

393. Schólion. Passiónes seípsis non pugnant cum virtútum offíciis ; passiónes síquidem secúndùm se considerátæ non sunt neque bonæ, neque malæ, moráliter ; bonum enim, et malum morále pendent à ratióne, et à voluntáte : passiónes áutem secúndùm se sunt quidam motus appetítûs secúndùm se irrationális. Quòd ígitur passiónes sint bonæ, vel malæ moráliter, hoc contíngit, quia súbjacent império ratiónis, et voluntátis. Si ergo sint moderátæ ex præscripto rectæ ratiónis, bonæ erunt ; malæ verò, si à recta ratióne recédant. Vid. S. August., *lib.* 9, *de Civit., cap.* 5. Passiónes ergo seípsis non pugnant cum virtútum offíciis.

TRACTÁTUS

DE LÉGIBUS.

394. Ad perféctam, consummatámque notítiam peccáti, máximè juvat Legum cognítio, aiénte Apóstolô Páulô, *epist. ad Rom., cap.* 7. *v.* 7: «peccátum non cognóvi, nisi per Legem; «nam concupiscéntiam nesciébam, nisi «Lex díceret: Non concupisces.»

Matéria Legum commúnis est Philósophis, Juristis, ac Theólogis: nobiliórî tamen, ac sanctiórî consideratióne circa eas ocupántur Theólogi; hi enim non solùm Leges divínas positívas, quæ própriè ad illos pértinent, cùm sola Dei revelatióne notæ fiant, perscrutántur: verùm ètiam de lege naturáli, de qua agunt Philósophi, et humánâ, de qua pertráctant Jurisperíti, tum Cæsárei, tum Canonístæ; sed ob altiórem finem à Theólogis hæc pertractántur, nempè, ad consciéntiam Fidélium benè formándam, et ad eórum actiónes benè dirigéndum, ad vitam ætérnam nanciscéndam.

CAPUT PRIMUM.

DE HIS, QUÆ PÉRTINENT AD SUBSTÁNTIAM LEGIS IN COMMÚNI.

395. Omíssis divérsis definitiónibûs hujus nóminis *Lex*, quas pleríque edidérunt, inquimus, quòd Lex próprièdicta, est régula præscríbens Communitáti, quod rectum est; nam Proverb., *cap.* 8, *v.* 15, légitur: «Legum conditóres justa decérnunt.» Lex hôc modô accépta méritò à D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 90, *art.* 4, definitur: «Quædam ratiónis ordinátio ad bonum com«múne, ab eo, qui curam Communitá«tis habet, promulgáta.» In hac definitióne ly *ratiónis ordinátio* áccipi debet pro eo actu, quô Supériôr áliquid præscríbit agéndum vel non agéndum; quæ præscríptio, cùm sit quædam ordinátio

ad áliquid agéndum, vel non agéndum, méritò lex *ratiónis ordinátio* nuncupátur. Hæc tamen ordinátio, ut lex sit, debet esse obligatória, seu vim habens cogéndi súbditos ad eam adimpléndam; secùs enim lex non distinguerétur à consilio, admonitióne, oratióne, seu supplicatióne, hæc enim, etsi sint ratiónis ordinatiónes, ad natúram legis non pertíngunt, quia vim non óbtinent obligándi, sed tantùm persuadéndi. Ítemùm, ordinátio ratiónis ut sit lex, debet esse fixa, et stábilis, nempè, quæ néc désinat, moriénte illô, qui legem túlit; nec solùm spéctet súbditos modò vivéntes, sed étiam futúros; et duret semper donec revocétur, vel quoadúsque legis cáusa, aut matéria désinat esse justa. Si ita non foret, lex cum præcépto confundéretur, à quo tamen díffert: nam necessárium non est, quòd præcéptum Communitáti imponátur, sed impóni valet alícui particulári, et à Superióre particulári, puta Patrefamílias, quí tamen condéndi legem potestáte non gáudet. Ipse Princeps, qui potestátem habet condéndi leges, si áliquid Communitáti præcíperet, per unum, aut álterum diem, vel pro stato tantùm témpore servándum, legem non éderet, quia tale præcéptum non habéret esse ita fixum, ut esset in perpétuum, adeóque saltem morte præcipiéntis, etsi non revocátum, esse desíneret. Ly áutem *ad bonum commúne* in definitióne expréssum, exclúdit tum leges tyránnicas, quæ ídeò honéstæ non sunt, ac justæ; tum præcépta, aut Statúta, quæ in privátum bonum condúntur. Ádditur áutem, *ab eo, qui curam Communitátis habet*, ad ostendéndum, quòd præcépta Patrumfamílias, aliorúmque hujúsmodi Superiórum particulárium, estò obligatória sint, leges tamen próprie neque habénda, neque appellánda sunt. Ly tandem *promulgáta*, índicat, Statúta, et Leges étiam à legítima Potestáte concéptas, ac étiam conscríptas, non obtinére próprie vim legis obligántis, quoúsque promulgatióne innotéscant, ac intiméntur. Quæ tamen, ut distínctiùs exponántur, sit

§ I.

An Lex essentiáliter sit actus intellèctûs?

396. Disceptátur inter Theólogos, in quo actu Lex collocánda sit; an in actu intellèctûs, an voluntátis, an in utróque. Scotus eam formáliter cóllocat in actu voluntátis, actum intelléctûs præsupponénte. S. Thomas è convérsò, 1.ª 2.æ *quæst.* 90, *art.* 1.°, sentit, Legem esse formáliter actum ratiónis, connotántem tamen voluntátis actum. Áliqui extra utrámque scholam, Legem, dicunt, æquáliter in utróque, voluntátis nempè ac intelléctûs, actu consístere. Ut áutem aperiámus, quænam harum sit senténtia rationabílior, en ex D. Thoma desúmpta

CONCLÚSIO.

Lex essentiáliter est actus intelléctûs, præsuppónens tamen, et cónnotans voluntátis actum.

397. Explicátur, simul et prob. Conclus. Imperáre tria dicit: primò ordináre eum, cui imperátur, ad opus faciéndum, et média hìc et nunc exequénda ad finem consequéndum. Secúndò, intimáre opus modò imperatívò dicéndò: *fac hoc.* Tértiò, movére ipsum, cui imperátur, ad óperis executiónem. Hæc áutem tria ad ratiónem spectant; nam ordináre est conférre, seu comparáre unum ad áliud, quod, cùm sit quid intelligí-

bile, est ita próprium ratiónis, ut voluntáti convenire non possit, cùm sit poténtia cæca: Simíliter, intimáre, seu denunciáre áliquid álteri, est illi áliquid manifestáre, et loqui: quod ítèrùm ita pértinet ad intelléctum, ut voluntáti compétere nëqueat, cùm manifestáre, et loqui non sit nisi cognoscéntis: movére áutem, quámvis per se, primò convéniat voluntáti, quia ipsíus est movére poténtias, étiam ipsum intelléctum ad exercítium; secundáriò, tamen, cónvenit intelléctui ex vi actûs voluntátis præcedéntis, cujûs vis in actu intelléctûs rémanet. In hac parte, volúntas se habet ad intelléctum, sicut projíciens ad lápidem, quem movet, ita enim ipsum movet, ut vim suam lápidi transfúndat, quâ vî in lápide remanénte, lapis ipse movet ália córpora, undè méritò dícitur ea movére, præsupponéndò tamen, et connotándò virtútem projiciéntis. Similî modò cùm intelléctus agat sub influxu voluntátis, applicámus enim intelléctum, cùm vólumus, et ad quod vólumus, virtus voluntátis intelléctum movéntis manet in ipso, et ita quidem, ut possit ália movére ad opus áliquod faciéndum Et quia intelléctus dum ímperat, órdinat eum, cui ímperat, ad áliquod opus faciéndum, ut suprà observátum est; hinc fit, quòd, cùm intelléctus ímperans órdinet eum, cui imperátur, ad opus faciéndum, quod sinè cognitióne extremórum non fit; et cognóscere sit tantùm próprium intellectûs; imperáre formáliter est actus intelléctûs, præsuppónens tamen, et cónnotans actum voluntátis. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *q.* 90, *art.* 1.

398. Lex est régula, et mensúra áctuum humanórum, secúndùm quam indúcitur áliquis ad agéndum, vel ab agéndo retráhitur: Atqui, régula, et mensúra humanórum áctuum est rátio, actiónes enim nostræ, ut bonæ sint, debent ratióni conformári: Ergo, Lex essentiáliter ín actu intelléctûs consístit.

399. Id ipsæ Sacræ Scriptúræ vidéntur attestári, nam *Psalm.* 18, *v.* 9, légitur: «Præcéptum Dómini lúcidum «illúminans óculos:» *Psalm.* 118, *v.* 105: «Lucérna pédibus meis verbum «tuum, et lumen sémitis meis:» et expréssiùs *Proverb.*, *cap.* 6, *v.* 23: «Mandátum lucérna est, et lex lux:» esse áutem lucérna, esse lumen, esse lux, non índicant actus voluntátis, quæ est poténtia cæca; índicant áutem actum intelléctûs, qui est poténtia cognoscitíva: Ergo, Lex actus est, non voluntátis, sed intelléctûs.

Indè suâ sponte fluit, legem méritò definíri: *Ordinatiónem ratiónis.*

§ II.

An Lex semper ad bonum commúne débeat ordinári?

400. Duplex hujus quæsíti sensus reddi potest. Unus, an lex ad áliquam Communitátem semper débeat dírigi: alter, an lex ordinári semper debéat ad bonum commúne, támquàm ad finem. Ut secúndùm priórem sensum respondeámus quæsíto, sit

CONCLÚSIO.

Lex, ut veram legis ratiónem hábeat, debet semper dírigi ad Communitátem, nec satis est, ut uni, vel álteri hómini imponátur.

401. Prob. Conclus. 1.° inductióne. Lex ætérna, et naturális, non uni tantùm hómini datur, sed in córdibus ómnium hóminum insériturr: Lex étiam divína positíva, non pro quibúsdam tantùm privátis, sed pro Communitáte óm-

nium data est; Vetus quidem pro pópulo Israëlítico; Nova áutem pro toto Mundo: humánæ étiam Leges, sive Civíles, sive Canónicæ, ad Communitátem dirigúntur. Ergo, etc.

402. Prob. 2.° Lex in hoc distínguitur à præcépto, quòd præcéptum possit uni, vel páucis impóni, non simíliter lex. Hinc, secúndùm commúnem sensum, Legislátor non censétur legem ferre, quándò quippiam uni, vel álteri ímperat. Hôc pactô, quándò Deus, *Gen. c.* 22, *v.* 2, mandávit Ábrahæ, ut fílium suum immoláret, non censétur tulísse legem, etiámsi verum præcéptum Ábrahæ imposúerit.

403. Hæc compléxus est D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 90, *art.* 3, ínquiens: «Quòd lex própriè primò et principáli«ter réspicit órdinem ad bonum com«múne. Ordinâre áutem áliquid in bo«num commúne est, vel totíus multitú«dinis, vel alicújus geréntis vices totíus «multitúdinis.» Et *ibid. ad* 3, addit; Patremfamílias pro sua domo posse quidem fácere præcépta, sed non leges; quia «sicut homo est pars domûs; ita «domus est pars civitátis. Cívitas áutem «est communítas perfécta..... et ídeò «sicut bonum unius hóminis non est «últimus finis, sed ad commúne bonum «ordinátur; ita étiam bonum uníus do«mûs ordinátur ad bonum totíus civitá«tis, quæ est communítas perfécta. Un«dè ille, qui gubérnat áliquam famí«liam, potest quidem fácere áliqua præ«cépta, vel statúta; non tamen quæ «própriè hábeant ratiónem legis.

404. Schólion. Animadverténdum est magnóperè, ad veram ratiónem legis non requíri, ut ferátur pro tota Communitáte, et pro síngulis totíus Communitátis: sed satis est, ut sic ferátur, quòd vel totam Communitátem óbliget, vel áliquam ejus partem, ita bonô commúni exigénte. Sic si bonum commúne Civitátis éxigat, póterit ferri lex, quæ tantùm uníus opifícii artífices, et non álios, concérnat; vel comprehéndat uníus tantùm conditiónis hómines, puta, Plebéjos, et non Nóbiles, aut è contrà; vel obstríngat ad arma alicújus géneris hómines, estò non omnes, puta, Ecclesiásticos, aut Senes.

Lex áutem, ita debet esse ad bonum commúne ordináta, ut bonum commúne débeat esse ipsíus finis. Pro quo sit

CONCLÚSIO.

De ratióne legis est, quòd formáliter sit propter bonum commúne, ut propter finem.

405. Prob. 1.° Vel ipsi Gentíles hanc agnovére veritátem: Plato enim, *lib.* 1 *de Légibus*, inquit: «Leges condêndas «esse públicæ pacis grátiâ.» Aristóteles, *lib.* 4, *Politic., c.* 1: «Leges ad «commúnem Pópuli salútem sunt accom«modándæ:» Cícero, *lib. de légibus:* «Constat, leges pro salúte Reipúblicæ «tuénda esse instituéndas.»

406. Prob. 2.° Lex omnis, aut est à Deo Legislatóre, aut ab hómine: si à Deo, ordinátur in bonum commúne; nam vel est à Deo, ut auctóre natúræ; vel à Deo, ut auctóre grátiæ: utrôque áutem modô, ad bonum commúne hóminis támquàm in finem ordinátur; Deus enim ut Auctor natúræ inténdit beatitúdinem hóminis naturálem; ut Auctor verò grátiæ, inténdit ejúsdem hóminis beatitúdinem supernaturálem.

Si áutem Lex est ab hómine lata, debet esse ad exémplar legis divínæ; quia Minístris non licet áliquid præcípere contra id, quod præcipit is, cujûs sunt Minístri; Reges áutem, et Príncipes

sunt Minístri Dei, cujûs regnum est Mundus; undè Sapiéntiæ *lib. cap.* 6, *v.* 5: «Cùm essétis Minístri regni illíus, «non rectè judicástis:» et *epist. ad Rom., cap.* 19, *v.* 6: «Minístri enim «Dei sunt, in hoc ipsum serviéntes:» Ergo, potestáte non gáudent Legum condendárum, nisi propter bonum commúne, quod Deus præcípuè inténdit. Quapróptер in Concílio Toletáno VIII, *can.* 10, sancítum légimus, quòd Reges sint «non prospectántes próprii jura «cómmodi, sed consuléntes Pátriæ, at- «que Genti.» Et Isidórus, *lib. Etymol., cap.* 21, inquit: «Lex est nullò privátò «cómmodò, sed pro commúni Cívium «utilitáte conscrípta.»

407. Prob. 3.° Conclus. ratióne innixâ doctrínæ D. Thomæ, 1.ª 2.æ *q.* 90, *art.* 2. Omnis pars ordinátur in totum, sicut in finem; sic síngulí mílites ordinántur sicut in finem in bonum exércitûs, cujûs sunt partes; síngulæ partes domûs ordinántur sicut in finem in bonum perfféctum ipsíus domûs; síngulæ partes alicújus máchinæ, puta, horológii, ordinántur sicut in finem in bonum esse máchinæ etc. Atqui, quílibet homo est pars Communitátis: Ergo, síngulí hómines ordinári debent sicut in finem in bonum Communitátis: Ergo, lex, quæ síngulis homínibus impónitur, impóni debet propter bonum commúne támquàm propter finem. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *q.* 92, *art.* 1, *ad* 3.ᵐ

408. Multæ quidem occúrrunt leges, quæ privátum bonum vidéntur respícere: ut lex naturális de própria vita tuénda contra injústum aggressórem; lex eleemósynæ ad subveniéndum páuperi; lex correctiónis fratérnæ ad emendatiónem fratris delinquéntis; lex Confessiónis Sacramentális, quæ salútem pœniténtis tantùm réspicit; et leges de áliis Sacraméntis suscipiéndis, quæ prosunt tantùm suscipiéntibus etc. Verùm, præfátæ leges, quantúmvis respíciant bonum privátum, ut matériam próximam; eárum tamen motívum, et finis formáliter est bonum commúne. Lex enim naturális de própria vita tuénda contra injústum aggressórem, primò, et per se réspicit bonum commúne, nempè, conservatiónem natúræ humánæ; natúra enim conservári nequit nisi in singuláribus, et indè natúræ Auctor, et Conservátor síngulis præscríbit, ut contra injústum aggressórem possint vim vi repéllere ad própriam vitam tuéndam. Simíliter leges eleemósynæ, et correctiónis fratérnæ per se primò ad bonum commúne ordinántur; nam ad bonum commúne spectat, et quòd páuperes alántur, ne pestes, aut furta in República grasséntur; et quòd vítia emendéntur, quæ sunt contra commúne bonum natúræ rationális. Leges étiam Sacramentórum, aliæque supernaturáles, estò hábeant pro matéria próxima salútem persónæ particuláris, per se tamen ordinántur ad cultum Dei, qui est últimus hóminum finis, et in cujûs adeptióne natúra humána beatificátur.

409. Cùm ex dictis sat supérque constet, Leges debére respícere, támquàm finem, bonum commúne, non abs re erit transcríbere ex D. Thom. *opusc. de Regímine Príncipum, cap.* 15, hæc verba: «Cuicúmque incúmbit áliquid «perfícere quod ordinátur in áliud, si- «cut in finem, hoc debet atténdere, ut «suum opus sit cóngruum fini; sicut «faber facit gládium ut pugnæ convé- «niat; et ædificátor sic debet domum «dispónere, ut ad habitándum sit apta. «Quia ígitur vitæ, quâ in præsénti benè «vívimus, finis est beatitúdo cœléstis; ad «Regis (*sicque cujúslibet Legislatóris*) «officium pértinet, eâ ratióne vitam mul- «titúdinis bonam procuráre secúndùm

«quòd cóngrüit ad cœléstem beatitúdi-«nem consequéndam, ut scílicet ea præcí-«piat, quæ ad cœléstem beatitúdinem et «ducunt, et eórum contrária secúndùm «quòd fúerit possíbile, interdícat. Quæ áu-«tem sit ad veram beatitúdinem via, et «quæ sint impedimenta ejus, ex lege divi-«na cognóscitur, cujûs doctrína pértinet «ad Sacerdótum offícium, secúndùm illud «Malachíæ cap. 2, v. 7. Lábia Sacerdó-«tis custódient sciéntiam, et legem re-«quírent de ore ejus. Et ídeò in Deu-«ter., cap. 17, v. 18. Dóminus præci-«pit, póstquàm séderit Rex in sólio Reg-«ni sui, describet sibi Deuteronómium «legis hujus in volúmine, accípiens «exémplar à Sacerdóte Levíticæ Tribûs, «et habébit secum, legétque illud ómni-«bûs diébûs vitæ suæ, ut discat timére «Dóminum Deum suum, et custodíre «verba, et cæremónias ejus, quæ in le-«ge præcépta sunt. Per legem ítaque di-«vínam edóctus (*Legislátor*) ad hoc «præcípuè stúdium debet intèndere qüá-«liter multitúdo sibi súbdita benè vi-«vat: quod quidem stúdium in tria di-«víditur, ut primò quidem in subjécta «multitúdine bonam vitam instítuat; se-«cúndò, ut institútam consérvet; ter-«tiò ut conservátam ad melióra promó-«veat.»

410. Áurea hæc D. Thomæ doctrína reféllit quamplúrima, quæ erróneè, simul et blasphémè Roussójus scripsit, *Tom.* 8, *op. de Contráctu sociáli*, *lib.* 4, *cap.* 8, falsúmque osténdit hoc ib. ipsíus princípium: «Cùm ad ipsum «(*Reipúblicæ Rectórem*) nihil pertíneat «de áltero Mundo, quæcúmque sit sub-«ditórum sors in vita futúra, tale negó-«tium ad ipsum non spéctat, modò sint «boni cives in hac vita.» Hæc Rousseaus. Proféctò, bonus civis esse non potest, cujûs vita non ita institúitur, ut cón-grüat felicitátis ætérnæ consecutióni; ut enim scitè Augustínus, *Tract.* 45 *in Joán.*, aiébat: «Ad hoc debet unicuí-«que prodésse benè vívere (*seu esse bo-«nus civis*) ut detur illi semper vívere: «nam cui non datur semper vívere, quid «prodest benè vívere?»

§ III.

De habénte potestátem condéndi leges.

CONCLÚSIO.

Potéstas legislativa cómpetit Communitáti, vel illi, qui curam gerit Communitátis.

411. Prob. Concl. ratióne innixâ doctrínæ D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 30, *art.* 3. Ad eum solùm pértinet cóndere legem, cujûs est ordináre in bonum commúne, vel bono commúni prospícere: Atqui, ordináre in bonum commúne, est solíus Communitátis, seu ejus qui Communitátem gubérnat: Ergo, leges cóndere, est vel solíus Communitátis, vel illíus, qui curam gerit Communitátis. Major patet: quia Lex primò, et principáliter réspicit órdinem ad bonum commúne; ádeò ut, si fortássis próximè respíciat bonum alicújus particuláre; fináliter tamen ac principáliter téndere débeat in bonum commúne. Vid. *num.* 408. Prob. ergo Min. Ordináre ad finem ad eum pértinet, ad quem spectat óperam adhibére, ut obtineátur finis: sic quia ad médicum pértinet óperam adhibére ut obtineátur sánitas, ejus est ordináre média ad ipsam obtinéndam: Atqui, prospícere bono commúni non est commíssum alícui particulári, nam quílibet homo privátus, quà talis, caret médiis ad bonum commúné procurándum, tum témpore pacis, tum témpore belli: Ergo, ordináre in bonum commú-

ne, seu bono communi prospícere est vel solíus Communitátis, vel illíus qui ejúsdem curam gerit.

§ IV.

De promulgatióne legis.

Duo hic quæri possunt. Unum, an ad legis obligatiónem necessária sit ejus promulgátio: álterum, an hæc legis promulgátio sit necne de ejus essèntia. Pro quorum resolutióne sit

I. CONCLÚSIO.

Ut lex actuáliter óbliget, necessária est aliquális ejus promulgátio.

412. Signánter dícimus in Conclusióne: necessária est *aliquális* promulgátio: quia divérsa requírítur pro legum diversitáte. Lex ætérna, et naturális unicuíque promulgátur per ratiónis dictámen. Lex divína positíva quandóque promulgátur per intérnam revelatiónem, ut in Prophétis; quandóque verò per extérnam propositiònem ábsque solemnitáte, sícut eam Christus suis Apóstolis promulgávit, aliquándò tandem cum solemnitáte, ut Lex Vetus in monte Sinai, et Lex Nova in die Pentecóstes. Lex áutem humana debet semper promulgári cum áliqua solemnitáte; et sic usus inváluit: potéstque hujus inter legem divínam, ac humánam discríminis assignári rátio, quòd Deus nempè sit absolútè, et omnímodè Suprémus Dóminus, sícque possit, quò volúerit modò, suam Legem intimáre; non sic áutem homo est Suprémus Dóminus: aliúndè, cùm homo dúplicem gerat persónam, privátam vidélicet, et públicam, ita debet Legem propónere, ut significet, se eam, non ut persónam privátam, sed ut públicam propónere, quod óbtinet áliquâ adhíbitâ solemnitáte. His præmíssis

413. Prob. 1.° Conclus. verbis D. Thomæ, 1.ª 2.æ *quæst.* 90, *art.* 4: «Lex impónitur áliis per modum régulæ «et mensúræ. Régula áutem, et mensúra impónitur per hoc, quòd applicá«tur his, quæ regulántur, et mensurán«tur. Undè ad hoc, quòd Lex virtútem «obligándi obtíneat, quod est próprium «Legis, opórtet, quòd applicétur homí«nibus, qui secúndùm eam regulári de«bent. Talis áutem applicátio fit per hoc «quòd in notítiam eórum dedúcitur ex «ipsa promulgatióne. Undè promulgá«tio ipsa necessária est ad hoc, quòd «Lex hábeat suam virtútem,» scílicet obligándi: Et profèctò, cùm Lex sit régula humanórum áctuum, ac isti actus néquëant secúndùm áliquam régulam regi, nisi ipsa régula cognoscátur, et cùm hæc régula, quæ Lex dícitur, cognoscátur dum promulgátur; évidens fit, aliquálem Legis promulgatiónem esse necessáriam ad hoc, ut Lex vim obtíneat obligándi.

Prob. 2.° Conclus. His confórmiter lóquitur Scriptúra; dum Christus, *Joán. cap.* 15, ait: «Si non venissem, et lo«cútus fuíssem eis; peccátum non ha«bérent:» et Apóstolus, *epist. ad Rom.*, de lege evangélica lóquens inquit: Quó«modò áudient sinè Prædicánte?» Ergo, sinè promulgatióne Lex vim non óbtinet obligándi. Ergo, aliquális promulgátio Legis est necessária etc.

414. Petes 1.° Utrùm, ut Lex censeátur sufficiénter promulgáta, requirátur, quòd síngulis intimétur?

Resp. Negátivè. Alióquin enim vix ulla lex positíva esset sufficiénter promulgáta, cùm ferè semper áliqui sint, qui leges positivas, præsértim humánas, ignórent. Hinc, ipsi Legislatóres in suis legibus feréndis, non solent dícere: «Præcípimus vobis, qui præséntes estis,

»vel qui audístis ; » sed generáliter : «Præcípimus ómnibus, qui sub ditióne «nostra sunt etc.» Ad hoc ergo, ut lex censeátur sufficiénter promulgáta, súfficit, quòd ex loco públicο, per públicum Ministrum promulgétur, sive verbô, sive scriptô, ita ut ad singulórum notítiam deveníre qüeat. Id confirmávit Innocéntius III, C. *Ad hæc* de Postul. Prælat. exprésse docens ; quòd non sit, necessárium, cùm Constitútio solémniter éditur, aut públicè promulgátur, ipsíus notítiam singulórum áuribus per speciále mandátum, vel lítteras inculcáre ; sed suffícere, ut ad ejus observántiam súbditi teneántur, quòd nóverint eam solémniter éditam, seu públicé promulgátam.

415. Petes 2.° An lex sufficiénter promulgáta óbliget omnes étiam eam invincibíliter ignoránles ?

Resp. In hac re divísos Auctóres reperímus : verúm de fácili, ut nobis vidétur, conciliári qüeunt, dúplicem distinguéndô obligatiónem legis, perféctam, scílicet, et imperféctam. Perfécta, quam álii vocant obligatiónem *in actu secúndo*, datur cùm quis ita tenétur lege, ut nisi fáciat, quod ipsa præscríbit, culpæ, ac pœnæ reus reddátur. Imperfécta áutem obligátio legis, quam álii núncupant obligatiónem in *actu primo*, datur, cùm quis comprehénditur quidem sub lege, sed póssitô quòd invincibíliter ignoret legem, nec culpæ nec pœnæ reátum incúrrit, si contra ipsam fécerit. Hîs pósitîs dícimus : eos, qui legem invincibíliter ignórant, non tenéri lege obligatióne perféctâ, quia ignorántia invincíbilis á culpa excúsat ; tonéri áutem obligatióne imperféctâ, quod hoc símplici discúrsu osténdimus. Si áliquis privátus iis, qui legem invincibíliter ignórant, denúntiet legem esse promulgátam, ipsi peccábunt si legem transgrediántur : Ergo, ad eam servándam obligántur : hæc áutem obligátio nequit provenire ab eo privátο, qui legem esse promulgátam ostendit ; Ergo, debet provenire ab ipsa lege, qüatenùs est promulgata : Ergo, lex ex quo est promulgáta, comprehéndit étiam invincíbiliter eam ignoránles, quámvis hi per áccidens propter ignorántiam invincíbilem non peccent, si legem transgrediántur.

Adeò verum est, legem promulgátam aliquómodò obligáre étiam eos, qui eam invincibíliter ignórant, ut si lex sit írritans áliquen contráctum, hic contráctus sit írritus, licèt contrahéntes invincibíliter legem ignórent, adeóque à culpa, et pœna immúnes reddántur.

II. CONCLÚSIO.

Probabílius est, promulgatiónem non esse ae essèntia legis ; sed tantùm conditiónem necessáriò requisítam, ut lex súbditos obliget obligatióne perféctâ, seu in actu secúndo.

416. Quænam sit obligátio perfécta, seu in actu secúndô, explicátum manet número præcedénti. Dícimus, promulgatiónem esse conditiónem necessáriò requisítam, quális est propositio objécti per intelléctum, ut objéctum móveat voluntátem ad sui amórem. Quemádmodùm ergo, ut objéctum in actu secúndo voluntátem móveat ad sui amórem, requíritur quidem necessáriò, ac indispensabíliter ut ab intelléctu voluntáti proponátur, cùm nihil sit vólitum, quin sit præcógnitum ; rátio tamen, seu vis movéndi voluntátem, non est propositio objécti, sed bónitas in objécto repérta ; ita, ad hoc ut lex in actu secúndo ad sui observántiam óbliget, requíritur quidem indispensabíliter, ut súbditis promulgatióne proponátur : rátio tamen, seu vis

obligándi, non est ipsa promulgátio, seu propositio, sed auctóritas, quam lex in se habet, prout à Legislatóre, ut persónam Reipúblicæ geránte, prománat.

Prob. Conclus ratióne innixâ doctrinæ D. Thomæ, 1.ª 2.æ *q.* 90, *art.* 4. D. Thomas legem cómparat régulæ, ac mensúræ; ac obsérvat, quòd sicut mensúra, ut actú mensúret, debet applicári mensurábili; ita lex, ut actû óbliget, debet promulgatióne súbditis impóni: Atqui, mensúra, estò in actu secúndo non mensúret, nec mensuráre qüeat, nisi mensurábili, puta, panno, applicétur; rátio tamen mensurándi non est ipsa applicátio, sed vis intrínseca, seu longitúdo ac latitúdo ipsíus mensúræ: Ergo, estò lex in actu secúndo obligáre néqüeat, nisi promulgatióne súbditis imponátur; vis tamen obligándi non est ipsa promulgátio.

Itaque, lex, priúsquàm promulgétur, prout est jam formáta in péctore Legislatóris, habet totam vim obligándi in actu primo, proindéque totam esséntiam legis, ántequàm promulgétur: ut áutem in actu secúndo óbliget, promulgatiónem requírit quidem, sed non támquàm áliquid ad ejus esséntiam pértinens, sed tantùm támquàm conditiónem ad obligándum in actu secúndo requisítam; sicut mensúra, priúsquàm mensurábili applicétur, habet vim mensurándi in actu primo, non mensúrat áutem in actu secúndo, nisi cum mensurábili applicátur. Sed de hac quæstióne satis, quia tanti moménti non est, ut in ea diútiùs immorári cogámur.

CAPUT II.

DE DIVISIÓNE, EFFÉCTIBUS, ET ÁCTIBUS LEGIS.

Explanátâ esséntiâ, et conditiónibûs ad natúram legis in commúni requisítis, ipse doctrinæ ordo nos manudúcit, ut divérsas Legum spécies, earúmque efféctus, et actus exponámus.

§ I.

De Divisióne Legum.

417. Primò divíditur Lex in ætérnam, et temporálem. Lex ætérna non subdivíditur, quia una est. Lex temporális divíditur in naturálem, et positívam. Rursùs: lex positíva divíditur in divínam, et humánam. Lex positíva divína divíditur in legem Véteris, et legem Novi Testaménti. Lex positíva humána, in Ecclesiásticam, et Civílem subdivíditur; illa jus Canónicum, hæc áutem jus Civíle appellátur. Síngulæ expendántur.

418. Lex ætérna, ut inquit D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 93, *art.* 1: «Nihil est «áliud, quàm rátio divínæ Sapiéntiæ, «secúndùm quòd est directíva ómnium «áctuum, et motiónum.» Deus enim, ut ibídem docet D. Thom., est gubernátor ómnium áctuum, et motiónum, quæ inveniúntur in síngulis creatúris; et

ídeò hæc rátio divínæ Sapiéntiæ movéntis ómnia ad débitum finem, óbtinet ratiónem legis. Ex quibus argüimus cum eódem D. Thom., *ibid. quæst.* 91, *art.* 1, hanc legem ætérnam exístere: nam lex nihil áliud est, quàm dictámen prácticæ ratiónis in Príncipe, qui perféctam áliquam Communitátem gubérnat, ad cujûs normam súbiditos suos in eórum áctibus dírigit; Atqui, Deus est summus Princeps gubérnans, et regens totam rerum Universitátem, creatúras omnes dírigens in suis áctibus, seu mótibus: Ergo, in Deo est rátio gubernatiónis ómnium rerum, adeóque lex. Atqui, hæc ratio non potest Deo accídere ex témpore, cùm ipse nihil ex témpore concípiat, sed hábeat ætérnum concéptum: Ergo, illa rátio gubernatiónis rerum, seu Lex est ætérna.

419. Hic óbiter adnotámus, legem ætérnam non esse confundéndam cum providéntia, licét de utráque dicátur, quòd sit rátio órdinis rerum in finem: nam lex ætérna est rátio gubernatiónis rerum *prima*, et originális, ad quam (modô nostrô concipiéndi), providéntia se habet, sicut conclúsio ad princípia. Undè S. Thomas, *Quodlibéto* 5.° *de Verit.*, *art.* 1.° *ad* 6, inquit: «Pro«vidéntia in Deo próprié non nómi«nat legem ætérnam, sed áliquid ad «legem etérnam cónsequens. Lex enim «ætérna est consideránda in Deo, si«cut accipiúntur in nobis princípia «operabílium naturáliter nota, ex qui«bus procédimus in conciliándo, et eli«géndô, quod est prudéntiæ, sive pro«vidéntiæ. Undè hôc modô se habet lex «intelléctûs nostri ad prudéntiam, sicut «princípium in demonstratióne: et simí«liter étiam in Deo lex ætérna non est «providéntia, sed providéntiæ qüasi prin«cípium.» Hùc úsque D. Thomas. Quemádmodûm ergo lex positíva divína trádit régulas in generáli, puta, coléndum esse Deum; Paréntes honorándos etc. juxta quas régulas prudéntia cólligit, quid hic et nunc sit operándum; ita lex ætérna in Deo tradit generáles régulas gubernatiónis Univérsi, v. g. lápidem deórsùm; ignem sursùm movéndos; bonum esse sectándum; malum vitándum: juxta quas régulas providéntia de mótibus creaturárum in particulári dispónit. Et ídeò providéntia legem ætérnam habet pro princípio.

Legem ætérnam ipse Cícero, suam, ac cæterórum Philosophórum Gentílium promens sententiam, visus est agnovísse, *lib.* 2, *de Légibus*, ínquiens: «Hanc «vídeo sapientissimórum fuísse sentén«tiam: legem néque hóminum ingéniis «excogitátam, néque scitum áliquod es«se populórum; sed ætérnum quiddam, «quod univérsum Mundum régeret, im«perándi, prohibendique sapiéntiâ.»

Si quis objíceret, legi ætérnæ defuísse promulgatiónem, cùm ab ætérno nullæ essent creatúræ, quibus promulgarétur, adeóque legem ætérnam veræ legis ratiónem non potuísse obtinére; respondémus, ex quo ab ætérno non fúerint creatúræ, quibus promulgarétur, solùm sequi, quòd lex ætérna ab ætérno in actu secúndo néminem obligáret, non ex deféctu virtútis, sed ex deféctu subjécti, quod posset obligári; non áutem sequi, legem ætérnam non habuísse ab ætérno in actu primo vim obligándi; promulgátio ad illud tantùm, non áutem ad hoc, est necessária; idque confírmat, promulgatiónem non esse de legis esséntia. Vid. quæ díximus *num.* 416. Ab ætérno fuit in Deo potéstas imperándi, quámvis pro ætérno némini imperáret: sic ergo, prout ab ætérno fuit impérium, non pro ætérno, sed pro témpore impléndum; ita ab ætérno fuit lex in mente Dei concépta, quámvis pro ætérno non promul-

gánda, útpotè pro ætérno non habitúra vim in actu secúndo obligándi.

420. Lex temporális est, quæ vel à Deo, vel ab hómine cóndita est in témpore.

421. Lex naturális juxta D. Thomam, 1.ª 2.æ *quæst.* 91, *art.* 2, «est «participátio legis ætérnæ in creatúra «rationáli, per quam habet naturálem «inclinatiónem ad débitum actum et fi«nem. Undè cùm Psalmísta dixísset, «psalm. 4, v, 6: Sacrificáte sacrifícium «justítiæ, quási quibúsdam quæréntibus, quæ sunt justítiæ ópera, subjún«git: Multi dicunt quis osténdit nobis «bona? cui quæstióni respóndens, dixit: «Signátum est super nos lumen vultûs «tui, Dómine; qüasi lumen ratiónis na«turális, quô dicérnimus quid sit bo«num, et quid malum, quod pértinet ad «naturálem legem, nihil áliud sit quàm «impréssio divíni lúminis in nobis.» Ex his prófluit, legem naturálem esse quidem distínctam, sed non divérsam à lege ætérna, ut ibid. in resp. ad 1, tradit S. Dr.

422. Lex positíva distínguitur à naturáli, in eo quòd hæc est simul índita cum natúra; non áutem illa. Dícitur positíva, quia non est simul índita cum natúra, sed superáddita, seu impósita deínceps ab áliquo habénte potestátem legislatívam.

Hæc lex positíva divíditur in divínam, et humánam. Positíva divína est, quam Deus in témpore, vel per se, vel per suos administros homínibus præscrípsit. Hæc est duplex: prima est lex Véteris Testaménti, quam Deus Moysi per ministérium Angelórum, et pópulo Israëlítico per Moysen impósuit. Áltera est lex Novi Testaménti, quam Christus Dóminus, partìm per se ipsum, partìm per Apóstolos promulgávit.

423. Lex positíva humána est, quæ ab hómine potestátem legislatívam habénte cóndita est. Cùm áutem hæc potéstas sit duplex, Ecclesiástica nempè, et Civílis; hinc lex positíva humána, ália est Ecclesiástica, quæ scílicet à potestáte ecclesiástica fertur; ália est civílis, quæ fertur à potestáte sæculári.

§ II.

De effèctibus legis.

424. Dícimus próprium legis efféctum esse, hómines réddere bonos; ádeò ut ipse Aristóteles solô lúmine ratiónis ductus in 1 *Ethic.*, *cap. ult.*, scrípserit: «volúntas cujúslibet Legislatóris «hæc est, ut fáciat hómines bonos.» Verùm hoc duplíciter contíngere potest, simplíciter scílicet, et secúndùm quid, seu quod in idem redit, in omni génere virtútum, seu in áliquo dumtáxat. Réddere hómines simplíciter, seu in omni génere virtútum bonos, cómpetit vel soli legi charitátis, vel toti collectióni legum: legi charitátis quidem, quia cháritas omne peccátum lethále exclúdit, et connéxas omnes virtútes habet: toti collectióni legum, nam si tota colléctio legum servétur, homo fit simplíciter, et in omni matéria virtútis obédiens, adeóque bonus. Per quámlibet áutem legem in particulári, homo fit bonus secúndùm quid, seu in áliquo génere virtútum; sic lex Temperántiæ facit bonum in temperántiæ matéria; lex de reddéndo cuíque quod suum est, reddit hóminem bonum in matéria justítiæ, et sic discurréndò de cæteris. His præmíssis, sit

CONCLÚSIO.

Próprius efféctus legis est hómines fácere bonos.

425. Prob. Conclus. verbîs D. Thomæ, 1.ª 2.æ *quæst.* 92, *art.* 1 : «Lex «nihil áliud est, quàm dictámen ratiónis «in Præsidénte, quô súbditi gubernán- «tur. Cujúslibet áutem súbditi virtus «est, ut benè subdátur ei à quo guber- «nátur ; sicut virtus irascíbilis, et con- «cupiscíbilis in hoc consístit, quòd sint «benè obediéntes ratióni. Et per hunc «modum virtus cujúslibet subjécti est, «ut benè subjiciátur principánti, ut Phi- «lósophus dicit in 1 Polit., c. ult. Ad «hoc áutem ordinátur unaquæque lex, «ut obediátur ei à súbditis. Undè mani- «féstum est, quòd hoc sit próprium le- «gis, indúcere subjéctos ad pròpriam ip- «sórum virtútem. Cùm ígitur virtus sit, «quæ facit bonum habéntem (*eam*), sé- «quitur, quòd próprius efféctus legis sit «bonos fácere eos quibus datur, vel sim- «plíciter, vel secúndùm quid.

426. Hinc fluit, túrpiter erráre nonnúllos Pseudo políticos dicéntes, Príncipem, vel Magistrátum Civílem posse legem ferre cum detrimento Religiónis, vel altérius virtútis morális, pro tuénda pace Reipúblicæ. Tales enim leges veræ leges non sunt, cùm reápsè ad bonum commúne non ordinéntur ; et sint abúsus potestátis à Deo procedéntis, nempè ad viros bonos reddéndos.

—

§ III.

De Actibus Legis.

CONCLÚSIO.

Quátuor sunt Actus Legis ; imperáre scilicet, vetáre, permittere, et punire.

427. Prob. Conclus. ratióne S. Thomæ, 1.ª 2.æ *quæst.* 92, *art.* 2. Legis offícium est dirígere actus humános : Atqui, áctuum humanórum quidam sunt ex génere suo boni, ut cólere Deum ; et respéctû horum, actus legis est *imperáre* : Quidam verò sunt ex suo génere mali, ut occídere, calumniári etc. et respéctû horum actus legis est *vetáre, seu prohibére :* Quidam verò sunt ex suo génere indifferéntes, ut ambuláre etc. ; et respéctù horum, actus legis est *permittere*, qui secum fert præcéptum, ne quis impédiat áliquem ab agéndo quod sibi permíssum est. Quia verò id per quod indúcit lex ad hoc, quod sibi obedíatur , est timor pœnæ ; quántùm ad hoc pónitur legis actus *punire*.

Fatémur, hóminem étiam per præmium posse indúci ad benè operándum ; *præmiáre* tamen inter actus legis non est reponéndum, quia, ut S. Thomas, *ib. ad* 3.^m^ obsérvat, «præmiáre potest ad «quémlibet pertinére ; sed puníre non «pértinet nisi ad Minístrum legis, cujûs «auctoritáte pœna infertur : et ídeò præ- «miáre non pónitur actus legis, sed so- «lùm puníre :» sicut, ut *ib. ad* 1.^m^ inquit S. Doctor, «consúlere, non est pró- «prius actus legis, sed potest pertinére «étiam ad persónam privátam, cujûs non «est cóndere legem.»

CAPUT III.

DE LEGE ÆTÉRNA.

Quid sit lex ætérna, et quòd éxistat, requíre *num.* 418. Quibùs præmíssîs, sit

I. CONCLÚSIO.

Lex ætérna est ómnibus nota, non quidem in seípsa, sed in suo efféctu.

428. Prob. Conclus. verbîs D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 93, *art.* 2. «Dupliciter «áliquid cognósci potest : unô modò in «seípso ; álió modô in suo efféctu, in «quo áliqua similitúdo ejus invenitur, «sicut áliquis non videns Solem in sua «substántia, cognóscit ipsum in sua irra«diatióne. Sic ígitur dicéndum est, quòd «legem ætérnam nullus potest cognós«cere, secúndùm quòd in seípsa est, ni«si solus Deus, et beáti, qui Deum per «essséntiam vident ; sed omnis creatúra «rationális ipsam cognóscit secúndùm «áliquam ejus irradiatiónem, vel majó«rem, vel minórem. Omnis enim cogní«tio veritátis est quædam irradiátio, et «participátio legis ætérnæ, quæ est véri«tas incommutábilis, ut August. dicit «lib. de vera Religióne cap. 31. Veri«tátem áutem omnes aliquáliter cognós«cunt, ad minùs qüantùm ad princípia «commúnia legis naturális ; (*néminem «enim latet, bonum faciéndum, malum «áutem vitándum ; quod tibi fíeri non «vis, álteri ne féceris etc.*) ; in áliis ve«rò quidam plùs, et quidam minùs par«tícipant de cognitióne veritátis : et se«cúndùm hoc, étiam plùs, vel minùs «cognóscunt legem ætérnam.»

II. CONCLÚSIO.

Omnes leges próprie dictæ, seu justæ, ab hominibus latæ, à lege ætérna derivántur.

429. Prob. Conclúsio 1.° ex Scriptúra. Proverb., *cap.* 8, *vv.* 15 *et* 16, légitur : «Per me Reges regnant, et le«gum Conditóres justa decérnunt. Per «me Príncipes ímperant, et Poténtes de«cérnunt justítiam,» id est órdinem naturálem conservári jubent, ac perturbári vetant : hoc áutem à lege ætérna derivátur ; juxta Augustínum enim *lib.* 22 *contra Fáustum, cap.* 27, «lex ætérna «est rátio divína órdinem naturálem «conservári jubens, perturbári vetans :» Ergo, omnes leges próprie dictæ, seu justæ, à lege ætérna derivántur. Hinc est, quòd Apóstolus, *epist. ad Rom., cap.* 13, *v.* 1, ait : «qui resístit Potes«táti, Dei ordinatióni resístit.»

430. Prob. 2.° S. August., *lib.* 1 *de lib. arbitr., cap.* 6 Evódium álloquens, inquit : «Simul étiam te vidére «árbitror in illa temporáli (*lege*) nihil «esse justum, atque legítimum, quod «non ex hac ætérna sibi hómines deriva«rint.» Idem S. Dr., *lib. de vera Religióne, cap.* 31, inquit : «Cónditor ta-

«men legum temporálium, si vir bonus «est, et sápiens, illam ipsam cónsulit «ætérnam, de qua nulli ánimæ judicáre «datum est, ut secúndùm ejus incom- «mutábiles régulas, quid sit pro témpo- «re jubéndum, vetandúmque, discérnat.» Íterùm S. D. *Quæst.* 67, *in Éxodum*, quærens, quómodò Moyses dícere potúerit Jethro sócero suo, *Éxod.*, *cap.* 18, *v.* 16, quòd judicáret pópulum, et osténderet ei præcépta Dei, et leges ejus, «cùm lex Dei adhuc nulla con- «scripta esset;» ait S. Dr. hoc Moysen non potuísse dícere, «nisi quia lex Dei «sempitérna est, quam cónsulunt omnes «piæ mentes; ut quod in ea invénerint, «vel fáciant, vel júbeant, vel vetent, se- «cúndùm quòd illa (*lex*) incommutábili «veritáte præcéperit.» Ergo, juxta August. leges justæ á lege ætérna derivántur. Nota tamen super allàta Augustíni verba, quòd omnes, vel benè agéntes, vel legem áliquam feréntes, cónsulunt legem ætérnam, non immediátè in seípsa, seu prout in Deo est; sed in áliqua ejus irradiatióne, vel participatióne, ait enim Regius Vates: «signátum est super nos, «lumen vultûs tui Dómine;» quorum utrúmque in præcedénti Conclusióne statútum manet.

431. Prob. 3.º Conclúsio ratióne innixâ doctrinæ D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 93, *art.* 3. In ómnibus movéntibus ordinátis, virtus secúndi movéntis derivátur á virtúte primi movéntis: Atqui, lex ætérna est primum movens in génere legum, cùm sit rátio gubernatiónis in suprémo Gubernánte, nempè Deo, movens, et dírigens omnes actus ómnium creaturárum ad débitum finem; cæteræ áutem leges ab homínibus latæ, dírigunt, ac movent támquàm secúnda movéntia: Ergo, omnes hujúsmodi leges à lege ætérna derivántur. Majorem probat D. Thom. ibid. ínquiens: «Movens secún- «dum non movet, nisi in qùantùm mo- «vétur à primo. Undè in ómnibus gu- «bernántibus idem vidémus, quòd rátio «gubernatiónis à primo gubernánte ad «secúndos derivátur, sicut rátio eórum, «quæ sunt agénda in Civitáte, deriva- «tur à Rege, per præcéptum in inferió- «res administratóres; et in artificiálibus «étiam, rátio artificiálium áctuum deri- «vátur ab Architectóre ad inferióres ar- «tífices, qui manû operántur.»

432. Schólion: Quámvis leges justæ ab homínibus latæ, à lege ætérna derivéntur, indè tamen inférre mínimè licet, leges humánas justas, de jure divíno obligáre. Sciéndum est enim, leges posse à Deo derivári, vel immediátè, vel mediátè tantùm. Leges áutem dicúntur à Deo immediátè procédere, quæ non habent álium auctórem, quàm Deum, quáles sunt lex naturális, et lex divina positíva, et idcírcò, hujúsmodi leges óbligant de jure divíno. Illæ áutem leges dicúntur mediátè à Deo procédere, quæ feruntur ab hómine, auctoritáte ipsi à Deo concéssâ; undè illud Proverb., *cap.* 8, *v.* 15: «Per me..... legum con- «ditóres justa decérnunt.» Sic ergo leges hujúsmodi humánæ, suam vim et efficáciam obligándi próximè habent ab hómine legislatóre, quámvis legislátor eam potestátem à Deo accéperit: sicut cáusa creáta verè est cáusa próxima suî efféctûs, estò illum non cáuset, nisi virtúte à Deo participátâ. Sicut ergo, efféctus verè cáusæ próximæ attribúitur, undè verè dícimus, combústio est efféctus ignîs; illuminátio est efféctus Solis, etc., sic verè dícimus, quòd lex à legislatóre humáno lata, ejus sit, adeóque quòd óbliget jure humáno.

CAPUT IV.

DE LEGE NATURÁLI.

Theólogi nómine juris, seu legis naturális, intélligunt id, quod ex instínctu natúræ rationális ómnibus homínibus inter se commúne est: ita tamen ut à jure Géntium discernátur.

Quæ ut dilucidéntur, sit

§ I.

De existéntia Legis naturális.

Legis naturális existéntiam licèt verbis videántur admíttere, revérà tamen negant omnes ii, qui docent moralitátem pendére ex hóminum opiniónibus, vel ex légibus dumtáxat humánis; negárunt Helvétius, ac Auctor libri *Códicis natúræ*: Thomásius ac Fleiskérus tóllere vidéntur legem naturálem, dum eam habent loco consílii. Contra hos omnes sit

I. CONCLÚSIO.

Existit lex naturális insita in nobis simul cum natúra rationáli.

433. Prob. Concl. Apóstolus, *epist. ad Rom., cap.* 2, *vv.* 14, *et* 15, lóquens de Géntibus, quibus nulla lex scripta data fúerat, inquit: «Cùm énim Gentes, «quæ legem (*scríptam*) non habent, na«turáliter ea, quæ legis sunt, fáciunt, «ejúsmodi legem (*scríptam*) non habén«tes, ipsi sibi sunt lex: qui osténdunt «opus legis scríptum in córdibus suis, «testimónium reddénte illis consciéntiâ «ipsórum, et inter se ínvicem cogita«tiónibûs accusántibûs, aut étiam defen«déntibûs.» Hîs verbîs, ut consideránti patet, dissértè Apóstolus osténdit, legem naturálem in córdibus hóminum scríptam, eísque dictántem, quid sit agéndum, vel non agéndum. Quibus confórmiter Régius Vates, *psalm.* 4, *v.* 6, ait: «Multi dicunt: Quis osténdit «nobis bona?» statímque respóndet Prophéta, *v.* 7: «Signátum est super nos «lumen vultûs tui, Dómine,» hôc pactô significans, Deum legem naturálem nobis simul cum natúra rationáli inseruísse, in hac enim ita relúcet lumen vultûs Dómini, ut si in ea non relucéret, rationális non esset. Ergo, etc.

434. Prob. 2.° Conclus. S. Augustínus, *lib.* 2.° *Confes., cap.* 4, inquit: «Furtum certè punit lex tua, Dómine, «et lex scripta in córdibus hóminum, «quam ne ipsa quidem delet iníquitas.» Item in *psalm.* 57, *num.* 1.°, inquit idem S. Doctor: «Manû Formatóris «nostri in ipsis córdibus nostris Véritas «scripsit: Quod tibi non vis fieri, ne «fácias álteri. Hoc, et ántequàm lex «*scripta*) darétur, nemo ignoráre per«míssus est, etc.» Ergo, exístit lex naturális insita etc.

Quam veritátem confírmat Ambrósius,

epist. 71, ubi ad præcitáta à nobis Apóstoli verba inquit: «Ea ígitur lex «non scríbitur, sed innáscitur; nec áli- «quâ percípitur lectióne, sed proflúviô «quodam natúræ fonte in síngulis ex- «prímitur, et humánis ingéniis hauri- «tur.» Ergo, exístit lex naturális ínsita etc.

Túllius hanc veritátem hîsce verbîs egrégiè expréssit, *lib. de Légibus*, áiens: «Est quidem vera lex recta rátio natú- «ræ cóngrua, diffúsa per omnes, cons- «tans, sempitérna, quæ vocet ad offí- «cium, jubéndô, vitándô, à fráude de- «térreat. Huic ígitur legi nec prorogári «fas est, neque derogári áliquid licet, «nec tota abrogári potest: Nec verò per «Senátum, aut per pópulum solvi hâc «lege póssumus; nec est quæréndus ex- «planátor, aut intérpres álius. Non erit «ália lex Romæ, ália Athénis, ália nunc, «ália posthac, sed et omnes Gentes, et «omni témpore una lex, et sempitérna, «et immutábilis continébit: uníuscujús- «que erit commúnis qüasi Magíster, et «Imperátor ómnium Deus.» Hîs verbîs legém naturálem nobis à Deo ínsitam simul cum natúra ásserit, et æncómiô célebrat, non unus ex Ecclésiæ Pátri- bus, sed Túllius erróre Gentilitátis de- téntus.

435. Prob. Concl. ratióne. Homo est inter omnes creatúras visíbiles præstan- tíssimus: Ergo, Deus non minórî curâ provídit hómini, quàm provídit cæteris creatúris visibílibus: Atqui, cæteris creatúris visibílibus, quámvis ratiónis expértibus, provídit de inclinatiónibus, quibùs ad suos fines ageréntur: Ergo, potiórî jure id Deus hómini provídit. Finis áutem naturális hóminis est bo- num ratiónis, ad quod homo nequit in- clinári, nisi médiâ cognitióne, nihil enim vólitum, quin præcógnitum; Ergo, Deus índidit hómini lumen, quô bonum ratió- nis cognósceret, sicque ad suum finem naturálem se dirígeret, ac juxta ipsum operarétur. Hoc áutem lumen nihil áliud est, quàm lex naturális: Ergo, exístit lex naturális ínsita etc.

436. Rursùs: datur in hómine lu- men ingénitum, quô, ábsque ullo super- ádditæ sciéntiæ beneficiô, prima prin- cípia speculabília possit cognóscere, ut, «totum esse majus sua parte; æquáli- «bus, si æquália addántur, remanére «æquália; non ens non posse dare esse; «quòd est impossíbile, idem simul esse, «et non esse.» etc., etc.: Ergo, parî ratióne in hómine datur lumen ingéni- tum, quô rerum agíbílium princípia pri- ma qüeat deprehéndere, áliàs intelléctus círca prima princípia práctica omnínô cæcutíret, ac prorsùs ignoráret, bonum esse faciéndum, et malum vitándum, alíaque princípia práctica, adeóque bel- luínam, non áutem rationálem vitam ágeret. Lumen áutem hoc, quô prima princípia práctica dignoscúntur, est lex naturális: Ergo, exístit lex naturális ínsita etc. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 91, *art.* 2; *quæst.* 94, *art.* 2; *lib.* 3 *contra Gentes.*, *cap.* 29 *et cap.* 114.

II. CONCLÚSIO.

Jus Géntium strictè sumptum, à lege naturáli distínguitur,

437. Prob. simul, et explanátur Concl. nitidíssimîs hîs D. Thom. ver- bîs 2.ª 2.æ *quæst.* 57, *art.* 3: «Jus, «sive justum naturále, est quod ex suî «natúra est adæquátum, vel commensu- «rátum álteri. Hoc áutem potest contín- «gere dupliciter. Unô modô, secún- «dùm absolútam suî consideratiónem si- «cut másculus ex suî ratióne habet com- «mensuratiónem ad fœminam, ut ea gé-

«neret; et parens ad fílium, ut eum nútriat. Aliô modô, áliquid est naturáliter «álteri commensurátum, non secúndùm «absolútam suî ratiónem, sed secúndùm «áliquid, quod ex ipsa séquitur, puta, «propríetas possessiónum; si enim con- «siderétur iste ager absolútè, non habet «undè magis sit hujus, quàm illíus; sed «si considerétur per respéctum ad op- «portunitátem coléndi, et ad pacíficum «usum agri, secúndùm hoc habet quám- «dam commensuratiónem ad hoc, quòd «sit unius, et non altérius.»

Ex his patet, quædam esse hómini adæquáta, et commensuráta, secúndùm absolútam ratiónem, seu atténtâ solâ hóminis natúrâ: quædam áutem sunt hómini conmensuráta, non atténtâ solâ suî natúrâ, sed atténtô áliquô relâtè ad áliquam ejus utilitátem, seu morálem necessitátem. Quæ commensurántur hómini, atténtâ solâ suî natúrâ, ad legem naturálem spéctant: quæ verò ad hóminem pértinent, atténtô áliquô ipsam natúram consequénte, nempè utilitáte, vel morâli necessitáte, commúniter Gentes afficiénte, jus Géntium nuncupátur.

Et proféctò, quædam sunt, quæ hómini convéniunt, atténtâ solâ suâ rationâli natúrâ, adeóque absolútè, et indepéndenter à circumstántiis. Hujúsmodi sunt, vel prima princípia práctica, puta, «bonum faciéndum, malum vitándum; «quod tibi non vis fíeri, álteri ne féceris «etc.;» hæc enim, absolútè adæquántur, et commensurántur hómini, prout homo est, nec úmquàm néquëunt non esse rectæ ratióni confórmia: vel sunt Conclusiónes ex his princípiis próximè et necessáriò illátæ, uti sunt præcéptum *non mentiéndi; non mœchándi* etc.; hæ enim Conclusiónes próximè et necessáriò inferúntur ex eo princípio, quòd «hó- «mini secúndùm præscríptum rectæ ra- «tiónis vivéndum;» vel tandem, sunt ea præcépta, quæ véluti Conclusiónes remótè è princípiis deducúntur, puta, «quòd hic contráctus sit usurárius; quòd «hoc depósitum hic, et nunc sit solvén- «dum» etc,; hujúsmodi enim sunt hómini adæquáta ex natúra rei, et secúndùm absolútam ratiónem dictántem némini nocéndum, et unicuíque, quod suum est, reddéndum, quin hæc natúra rei variétur, licèt ignorétur, quid hìc, et nunc sit agéndum: hæc ad legem natúræ pértinent.

E convérsò, sunt quædam adæquáta hómini, non quidem ex ipsa natúra rei, et secúndùm absolútam ratiónem, ita ut nullátenùs possint áliter esse; sed tantúmmodò sunt hómini adæquáta secúndùm quámdam congruéntiam, seu utilitátem, ut divísio agrórum, justæ emptiónes, venditiónes, et ália hujúsmodi, sinè quibus hómines ad ínvicem convívere non possunt: hæc ad jus géntium pértinent. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæs.* 95, *art.* 4.

Patet áutem, ea, quæ hómini sunt commensuráta secúndùm ratiónem absolútam, et atténtâ solâ ipsíus natúrâ, esse distíncta ab his, quæ ipsi sunt commensuráta, solùm secúndùm quámdam congruéntiam, ac véluti necessitátem morálem: Ergo, lex naturális est à jure géntium distíncta.

§ II.

An Lex naturális admittere possit mutatiónem.

438. Mutátio duplex esse potest; ália própria, ália impróprie. Mutátio próprie dicta fit per modum substractiónis, vel diminutiónis, ut cùm ex áliquo acérvo lápidum áliqui subtrahúntur lápides. Mutátio impróprie fit per modum addi-

tiónis, ut cùm acérvo lápidum áliqui superaddúntur lápides. His pósitîs, sit

I. CONCLÚSIO.

Lex naturális mutári potest impróprié, id est, per modum additiónis.

439. Prob. Conclus. ex D. Thoma., 1.ª 2.æ *quæst.* 94, *art.* 5, aiénte: «Mul«ta supra legem naturálem superáddita «sunt ad humánam vitam utília, tam per «legem divínam, quàm per leges humá«nas;» quæ vel hóminem óbligant, ad quod lex naturális eum non óbligat; vel ad alicújus actûs valórem plùs requírunt, quàm lex naturális requírat. Sic in Véteri Testaménto multa erant tum judiciália, tum cæremoniália præcépta morálibus superáddita: et in Novo váriæ sunt leges divínæ de Sacraméntis, et plúrimæ quoque humánæ tum ecclesiásticæ, tum civíles, quæ omnes sunt additiónes ad legem natúræ.

II. CONCLÚSIO.

Lex naturális est omnínò immutábilis quoad prima præcépta, mutatióne próprié dictâ, seu per modum substractiónis.

440. Prob. Conclus. Aristóteles, etsi gentilis, veritátem hujus Conclusionis agnóvit, nam, *lib.* 5, *Ethic.*, *c.* 7, inquit: «Jus naturále esse, quod in natúra «immutábile est, et ubíque cámdem vim «habet.»

Gratiánus id idem tradit initiò *Distinct.* 5, támquàm rem notam, propónens, quòd «Naturále jus cæpit ab exórdio rationá«lis creatúræ, nec variátur témpore, sed «immutábile pérmanet:» et *Distinct.* 6, *ad Caput* 3, ínquiens: «Morália man«dáta ad naturále jus spectant; atque «ídeò nullam mutabilitátem recepísse «monstrántur.»

Gregórius IX, C. *Cum tanto*, de consuetúdine lóquens, ait: «Nemo sanæ «mentis intélligit, naturáli juri, cujûs «transgréssio perículum salútis indúcit, «quacúmque consuetúdiné, quæ dicén«da est vériùs in hac parte corruptéla, «posse aliqüatenùs derogári.»

Ex his aptè conclúditur, legem naturálem esse omnínò immutábilem, mutatióne próprié dictâ; quod quidem nullátenùs verum esset, si quoad prima præcépta non esset omnínò immutábilis: admíssâ enim quoad hujúsmodi mutabilitáte, fácilé argüerétur quoad præcépta secundária mutabílitas.

441. Prob. Concl. ratióne. Lex náturális quoad prima præcépta nequit fíeri de justa, injústa, cùm nihil præcípiat, quod non sit intrínsecè, et ex natúra rei, seu essentiáliter bonum; nec áliquid prohíbeat, quod non sit intrínsecè, et ex natúra rei, seu essentiáliter malum. Natúræ áutem, seu essèntiæ rerum sunt immutábiles, mutatióne próprié dictâ, seu per modum substractiónis: nam quôcúmque prædicátô essentiálî sublátô, jam destrúitur essèntia, sicut si substrahátur ab hómine, vel *ánimal*, vel *rationále*, jam non rémanet essèntia hóminis: Ergo, Lex natúræ est omnínò immutábilis, quoad prima præcépta, mutatióne próprié dictâ, seu per modum substractiónis.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

442. Obj. 1.° Super illud Eccli., *cap.* 17: «Áddidit eis disciplínam et le«gem vítæ,» dicit Glosa ordin.: «Legem «litteræ qüantùm ad correctiónem légis «naturális, scríbi vóluit:» Atqui, quod corrígitur, mutátur: Ergo, Lex naturális non est immutábilis.

Résp. Dist. maj. Deus vóluit legem litteræ scribi ad correctiónem legis naturális, áliquid ab ea substrahéndô, neg.: áliquid ei addéndô, vel ad corrigéndam corruptiónem, quam lex naturális in aliquórum córdibus subíerat, concéd. Solutiónem accípimus è D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 94, *art.* 5, *ad* 1, dicénte: «Quòd lex scripta dícitur esse data ad «correctiónem legis naturális, vel quia «per legem scriptam supplétum est, «quod legi natúræ déerat, quod quidem «non substractiónem, sed additiónem «impórtat); vel quia lex natúræ in ali«quórum córdibus qüantùm ad áliqua «corrúpta erat, in tantùm ut existimá«rent esse bona, quæ naturáliter sunt «mala: et talis corrúptio correctióne in«digébat.»

443. Obj. 2.° Sicut se habet Princeps ad suam legem positívam, et civílem; ita se habet Deus ad legem naturálem; non enim Deus est minùs legis natúræ cónditor, quam Princeps sit cónditor legis ab eo latæ: Atqui, Princeps potest legem à se latam mutáre, áliquid ab ea substrahéndô: Ergo, páriter Deus, idem præstáre potest respéctû legis naturális.

Resp. Neg: maj. Falsum enim est quàm quòd máximè, Deum ita se habére ad legem naturálem, sicut Princeps se habet ad legem positívam. Adverténdum est enim, quòd ea, quæ sunt matéria legis merè humánæ positívæ, non sunt intrínsecè bona, vel mala, sed sunt bona, quia præcépta, vel mala, quia prohíbita: ast verò, quæ sunt matéria legis naturális, vel sunt intrínsecè, seu natúrâ suâ bona; vel intrínsecè, seu natúrâ suâ, mala; undè ábsque detriménto justítiæ, quod in Deo locum obtinére nequit, néqüeunt prohibéri bona, quæ lex naturális præcipit, nec præcipi mala, quæ lex naturális vetat: sicque lex naturális mutári nequit, mutatióne próprié dictâ, ut in Conclusióne statúimus. Hæc compléxus est D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 100, *art.* 8, *ad* 2, inquiens: «Sicut Apóstolus dixit 2.ª ad «Timoth, 11, 13, Deus fidélis pérma«net, negáre seípsum non potest. Negá«ret áutem seípsum, si órdinem suæ «justítiæ auférret, cùm ipse sit sua jus«títia. Et ídeò, in hoc Deus dispensáre «non potest, ut hómini líceat non ordi«nátè se habére ad Deum; vel non sub«di órdini justítiæ ejus, étiam in his, «secúndùm quæ hómines ad ínvicem or«dinántur.»

III. CONCLÚSIO.

Lex naturális, quoad áliqua præcépta, et in áliquo particulári casu, mutári potest, mutatióne tamen tantùm materiáli, non verò formáli.

444. Dícimus in Conclusióne *quoad áliqua præcépta.* Sciéndum est enim, quædam præcépta esse, quæ vel expréssè jubent in una determináta matéria id, quod conjúnctam habet necessáriam honestátem; vel expréssè vetant id quod est intrínsecè malum, quodque ita inevitabíliter conjúnctam habet turpitúdinem, ut matéria, in qua versántur, nec secúndùm se, nec relátè ad circumstántias admíttere qüeat limitatiónem, exceptiónem, aut mutatiónem. Et de his præcéptis assérimus nullátenùs mutári posse, nec secúndùm se, nec ratióne matériæ, aut circumstantiárum: qüália sunt ista: *Deus est colèndus: Virtútes sunt amplecténdæ: Justítia est servánda: Temperáte vivéndum est: Non est mentiéndum: Non pejerándum: Non falsum testimónium dicéndum etc.*

In Conclusióne ergo lóquimur de illis præcéptis, quæ neque jubent honestá-

tem, nec vetant turpitúdinem, quæ sit in matéria invariábili: et de his ínquimus, mutári posse mutatióne materiálî; et probámus.

445. Tunc lex mutátur mutatióne materiálî, quándò matéria, in quam cadébat legis obligátio, désinit esse matéria legis: Atqui, in alíquibus præcéptis legis natúræ ita contíngere potest: Ergo, etc. Prob. min. Lex naturális e. c. státuit, quód bonum aliénum, invítô Dóminô, non sit retinéndum, sed restituéndum; et tamen si mutétur matéria, nempé, si id, quod erat aliénum, fiat próprium, ut contíngit, cùm posséssor rei aliénæ præscríbit, etiamsi antíquus Dóminus sit invítus, potest, quin lex naturális violétur, illud retinére. Item de lege natúræ est, quòd depósitum sit reddéndum: si tamen depónens illud petat in damnum, vel suî vel altérius, puta, ad se, vel álium occidéndum, legis matéria mutátur, et depósitum, hîs concurréntibùs circumstántiîs, non est reddéndum. Præcéptum páriter naturále est, *Non occídes:* si tamen id fiat, vel mandátô Dei, vel públicâ, ac legítimâ auctoritáte, mutátur matéria, et licita est occísio. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 94, *art.* 4, *et* 5.

Dícimus in Conclusióne, legem naturálem non mutári formáliter: nam formále legis naturális est, quòd bonum fiat, et malum vitétur: id áutem verificátur, licèt in áliquo particulári casu, lex naturális mutétur materiáliter: ut patet in exémplis supra allátis: et ut id abundántiús páteat

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

446. Obj. 1.° Per dispensatiónem áliquid substráhitur à lege: Atqui, Deus dispensávit cum alíquibus in præcéptis legis natúræ; Ergo, lex natúræ mutári potest per modum substractiónis. Prob. min. Dispensávit cum Ábraham in præcépto: *Non occìdes;* quándò Gen., *cap.* 22, *v.* 2, præcépit ei, ut Isaäc, etsi innocéntem, occíderet: Et cum Samsóne, ut seípsum interfíceret, *Judic.*, *c.* 16.

Resp. Dist. min. Deus dispensávit cum Abraham, in præcépto, *Non occìdes*, mutándô ejus matériam, concéd.: ábsque mutatióne matériæ, neg. Deus enim præcipiéndô Ábraham, ut occíderet fílium suum Isaäc innocéntem, fecit ut occísio innocéntis, quæ facta auctoritáte privátâ, aut públicâ humánâ, fuísset injústa ex vi præcépti *Non occìdes:* facta auctoritáte divínâ eváderet occísio justa, adeóque desineret esse matéria præcepti *Non occídes;* quod præcéptum Deus non sibi, sed homínibus impósuit. Proféctò, cùm Deus sit vitæ, ac necis Dóminus, potest sive per se immediaté, sive per hómines támquàm ejus administros, vitam erípere étiam ipsis innocéntibus, ubi id ad illius glóriam contúlerit. Hæc ex D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 64, *art.* 6, *ad* 1.

Ad id verò quod ádditur de Samsóne, respondémus: se ipsum occidísse motum ex speciáli Spíritûs Sancti instínctu; Ergo, auctoritáte à Deo accéptâ; Ergo, juste: nam Deo obedívit. Undè D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 64, *art.* 5. ad 4.ᵐ, inquit: «Sicut Augustínus dicit «in 1, de Civ. Dei, c. 21. Nec Samson «áliter excusátur, quòd seípsum cum «hóstibus ruínâ domûs oppréssit, nisi «quòd laténter Spíritus Sanctus hoc «jússerat, qui per illum mirácula faciébat. Et eámdem ratiónem assígnat de «quibúsdam sanctis fœminis, quæ témpore persecutiónis seípsas occidérunt, «quárum memória in Ecclésia celebrátur.»

447. Obj. 2.° Deus dispensávit in præcépto *Non furándi*, cum Israëlitis,

quándò eis præcépit, ut vasa áurea, et argéntea, *Éxod.*, *c.* 11, ab Ægyptiis accíperent commodátò, quæ pósteà, volénte Deò, sibi retinuérunt; quod própriè est furári.

Resp. Dist. Deus dispensávit in præcépto non furándi, mutátâ matèriâ, concéd., matériâ immutátâ, neg. Deus síquidem præcipiéndò Israëlítis, ut péterent ab Ægyptiis vasa áurea, et argéntea, fecit, ut quæ usque tunc erant Ægyptiórum, incíperent esse Israëlitárum, idcóque fecit, ut quæ eò úsque fuíssent pro Israëlítis matéria furti, ex eo tunc pro ipsis non essent hujúsmodi. Hinc D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 100, *art.* 8, *ad* 3, inquit: «Si alícui auferá-«tur quod suum erat, si débitum est «quod ipsum amíttat, hoc non est fur-«tum, vel rapína, quæ præcéptò De-«cálogi prohibéntur. Et ídeò, quán-«dò fílii Israël præcéptò Dei tulérunt «Ægypitiórum spólia, non fuit furtum, «quia hoc eis debebátur ex senténtia «Dei.» Undè August., *lib.* 2, *Quæst. in Éxod.*, *quæst.* 39, étiam ait: «Nec «Israëlítæ furtum fecérunt, sed Deo ju-«bénti ministérium præbuérunt; quem-«admódùm cùm minister júdicis occí-«dit eum, quem judex jussit occídi.»

448. Obj. 3.° Deus cum obstetrícibus ægíptiis dispensávit in præcépto *non mentiéndi*; cujus rei fidem facit, quòd eas pro mendácio remunerávit, eis ædificándò domos, ut habétur Exod. *c.* 1, *v.* 22.

Resp. Negándò, Deum pro mendácio obstetríces Ægiptiórum remunerásse. Sic D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 110, *art.* 3 *ad* 2, inquiens: «Quòd obstetrí-«ces non sunt remunerátæ pro mendá-«cio; sed pro timóre Dei, et benevo-«léntia, ex qua procéssit mendácium. «Undè signánter dícitur Éxod., c. 1, «v. 21, et quia timuérunt Obstetríces «Deum, ædificávit illis domos. Mendá-«cium verò pósteà séquens non fuit me-«ritórium.» Idem, sentit August., *lib. contra Mendac.*, *c.* 15, inquiens: «Sed «quòd scríptum est, benè Deum fecísse «cum Hebræis obstetrícibus, et cum Ra-«hab Jerecunthína meretríce; non ídeò «factum est, quia mentítæ sunt, sed quia «in hómines Dei misericórdes fuérunt. «Non est itaque in eis remuneráta fallá-«cia, sed benevoléntia; benígnitas men-«tis, non iníquitas mentiéntis.»

449. Obj. 4.° Deus dispensávit cum Israëlítis, *Deuteronóm.*, *c.* 23, qüandò indúlsit eis ut cum aliénis fœnerarénter: fœnus áutem, seu usúra, est quædam furti spécies.

Resp. Deum non dispensásse, sed tolerásse tantùm, quòd Judæi extráneis fœnerarántur, nam ut inquit S. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 78, *art.* 1, *ad* 2: «Quòd «áutem ab extráneis usúram accípere-«rent, non fuit eis concéssum qüasi lí-«citum, sed permíssum ad majus ma-«lum vitándum; ne, scílicet, à Judæis «Deum coléntibùs usúras accíperent, «propter avarítiam, cui déditi erant, ut «habétur Isaíæ, c. 56.» Notándum verò cum D. Thom. ibid. quòd to *fœnerári* súmitur quandóque largè pro *mútuum dare*; et hoc sensu Deuteronóm., *c.* 28, *v.* 12, dictum est pópulo Israëlítico: «Fœneráberis géntibus multis, et ipse à «nullo fœnus accípies;» ac si ipsi dictum fúerit: tibi tanta erit facultátum cópia, ut possis géntibus multis mútuas dare pecúnias, quin tu ab ullo álio mútuas accípere cogáris. Vid. *Tom.* 1, hujus Óperis, *pag.* 143, *obj.* 13.

450. Obj. 5.° Dispensávit Deus cum Oséa in præcépto *Non mœcháveris*, cùm ei, *c.* 1, jussit, ut meretrícem assúmeret, et ex ea fílios gígneret.

Resp. Negándò, Deum dispensásse cum Oséa in præcépto *Non mœcháberis*.

Oséas enim accédens ad mulíerem, quæ áliàs erat fornicária, non fuit fornicátus; quia accédens ad illam, jubénte Dómino, fecit suam, quæ non erat sua. Ita D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 94, *art.* 5, *ad* 2. Hinc idem S. Dr., 1.ª 2.æ *quæst.* 100, *art.* 8, *ad* 3, inquit: «Oséas accédens ad uxórem «fornicáriam, vel mulíerem adúlteram, «non est mæchátus, nec fornicátus: quia «accéssit ad eam, quæ sua erat secún«dùm mandátum divínum, qui est áuc«tor institutiónis Matrimónii.» Hinc id. S. Dr. in 3 *Sent. dist.* 37, *quæst.* 1, *art.* 4, *ad* 3, ait: «Potest tamen Deus «in alíquibus factis conditiónes contrá«rias Decálogo auférre..... quod homo «fácere non potest: sicut ab ea, quæ «non est matrimóniò juncta, potest au«férre hanc conditiónem non suam,..... «ut sic accédere ad eam, non sit contra «Decálogum.»

451. Obj. 6.° Dispensávit Deus cum Patriárchis vetéribus, quibus polygámiam, quæ legi natúræ contrária est, permísit.

Resp. negándò, polygámiam véterum Patriarchárum fuísse contráriam legi natúræ, nam pro eo témpore polygámia désiit esse matéria legis natúræ. Præstat in hac re audíre D. Thomam in 4 *Sent. Dist.* 33, *quæst.* 1, *art.* 1.°, aiéntem: «Plurálitas uxórum neque totáliter tol«lit, neque aliqüáliter ímpedit primum «finem (*Matrimónii*), cùm unus vir «sufficiat plúribus uxóribus fœcundán«dis, et educándis fíliis ex eis natis.» Solùm ergo aliqüáliter ímpedit secúndum Matrimónii finem, qui est pax famíliæ, quæ vix esse potest, ubi uni viro plures uxóres jungúntur: Hinc S. Doctor *ib. art.* 2, docet, polygámiam solùm legi natúræ aliqüáliter adversári «qüantùm ad secúnda, quæ qüasi con«clusiónes à primis præcéptis deriván«tur: sed quia actus humános variári «opórtet secúndùm divérsas conditiónes «personárum, et témporum, et aliárum «circumstantiárum; ídeò conclusiónes «prædictæ à primis legis natúræ præ«céptis non procédunt, ut semper effi«cáciam habéntes, sed in majóri parte... «sed quia non est fácilè determináre «hujúsmodi varietátes; ídeò illi, ex cu«jûs auctoritáte lex efficáciam habet, re«servátur, ut licéntiam præbeat legem «præter mitténdi in illis cásibus, ad quos «legis efficácia non se exténdere debet. «Lex áutem de unitáte uxóris, non est «humánitùs, sed divínitùs ínstitúta.» Sic ergo, cùm tempóribus véterum Patriarchárum finis primárius Matrimónii esset multiplicátio pópuli Dei, qui debébat generatióne carnáli multiplicári; æquum erat, ut in his circumstántiis, Deus suo pópulo declaráret, unitátem uxóris desínere esse pro eo témpore matériam legis naturális. Et cùm aliúndè Deus sit suprémus, et absolutíssimus ómnium Dóminus, pótuit obviáre incómmodis, quæ secum fert Polygámia.

Nec his obstat, quòd Deus unum virum uni mulíeri tantùm destináverit, ut habétur *Gen.*, *c.* 2, *v.* 24; nam, ut D. Thom. in *Supp. quæst.* 65, *art.* 1, *ad* 6, ait, «natúra humána absque omni «defectu institúta est: et ídeò, non so«lùm sunt índita ei illa, sinè quibus ma«trimónii finis principális esse non potest, «sed étiam illa, sinè quibus secundárius «finis matrimónii sinè difficultáte habéri «non posset: et hôc modò súfficit hó«mini in ipsa sua institutióne habére «unam uxórem.» Verùm, cùm decúrsû témporis, circumstántiæ ita mutátæ fúerint, ut convéniens esset véterum Patrum polygámia, quod dubitáre non sinit judícium Dei, ipsam vetéribus Pátribus concedéntis; ídeò ábsque mutatióne legis naturális, sed tantùm cum mutatió-

ne matériæ ob justas circumstántias occurréntes, polygámia pótuit á Deo concédi. Vid. D. Thom· in *Supp. quæst.* 65, *art.* 1.

452. Obj. 7.° Deuteronómii, *c.* 24, *v.* 1, dispensátum est cum Judæis ómnibus, ut própriam dimítterent uxórem, sicque sólverent matrimónii vínculum, licèt lege naturálî sit omninò indissolúbile.

Resp. Dist. antecéd. Fuit permíssum, id est, tolerátum, dimittere uxórem, concéd.: fuit permíssum, id est, approbátum, neg. Animadvértere opórtet, quòd in dimissióne uxóris, de qua fit sermo in laudáto Deuteronómii cápite, duo erant, scílicet scríptio libélli repúdii, et dimíssio uxóris. Primum contra legem natúræ non erat, imò erat illi cóngruum, nè scílicet dimíssio illa temerárió fieret. Secúndum verò non fuit permíssio approbatíva, sed toleratíva tantùm: nec qui uxórem dimittébant, ac repudiábant, excusabántur à peccáto, quámvis excusaréntur à pœna secúndùm leges positívas infligenda. Quaprópter Christus, *Matth.*, *cap.* 19, *v.* 8, ait: «Moyses ad durítiam cordis «vestri permísit vobis, dimíttere uxó«res vestras: ab inítio áutem non fuit «sic.» Proíndè ex arguménto non convíncitur facta in lege dispensátio de dimitténda uxóre; sed pura permíssio ad majus malum vitándum, nè scílicet uxor facta viro odíbilis ab eo occiderétur. Vid. D. Thom., in 4.° *Sent.*, *Dist.* 33, *quæst.* 2.ª, *art.* 2, *quæstiúncula* 2.ª

453. Obj. 8.° Elisæus, 4 *Reg.*, c. 5, *v.* 19, dispensávit cum Naamán Syro, ut Regi adoránti idólum, et ipse illud adoráret. Ergo, dispensátum est cum Naamáno in præcépto legis natúræ, primam tábulam spectánte.

Resp. negándò, dispensátum fuísse Naamáno, ut adoráret idólum. Certum est, plenam áleæ, et perículi quæstiónem hic suscitári, quæ inter se divísos habet Auctóres. Sunt qui Naamánum à crímine purgant, contendéntes nullam ipsum exhibuísse idólo adoratiónem, licét Regi adoránti auxiliáres dedísset manus, quemádmodùm álibi sustentáre eum sólitus erat. Ita Natalis ab Alexandro in *hist. vet. Test. tom.* 2, *Dissert.* 7. Sunt è contrà, qui críminis reum nedùm árgüunt Naamánum, sed et Elisæum: hunc, quòd nímiùm fuerit indúlgens'; illumque, quòd falsum cultum simuláverit. Ita Gregorius de Valéntia 2.ª 2.æ *de fid. Disp.* 1, *quæst.* 3, *punct.* 2, vestígia premens Cardinális Hugónis de S. Caro, Scripturárum Intérpretis celebérrimi. Prima harum opiniónum est inter Theólogos commúnior: nam obséquium Naamáni Regi præstítum merè políticum fuísse conténdunt, útpotè quia non cáusâ Regem adjuvándi in suo cultu idololátrico, sed solúmmodò cáusâ honorándi Regem juxta morem, quò Reges antíquitùs honorabántur, ut vidére licet *4 Reg.*, *c.* 7, *v.* 2 *et* 17, et *lib. Esther*, *c.* 15, *v.* 6. Undè cùm Naáman esset Princeps militiæ, et valdè charus Regi, incedébat ad latus ejus, et Rex sustentabátur super manum ejus. Quare necésse erat, ut Naáman se ad Regis motum, atque hábitum accommodáret. Ex quo fiébat, ut cum Rege stánte stáret, cum incedénte incéderet, et consequénter, si Rex in terram procideret, aut in génua procúmberét, non póterat Naáman se non inclináre. Quod ígitur Naáman álibi lícitè póterat fácere, id non erat illícitum, quòd fáceret in templo Remmon. Vid. Estium in hunc locum.

Præterire tamen nólumus singulárem opiniónem eruditíssimi P. Daniélis Concina, *lib. 1, in Decálogum, Dissert 9, c. 7, n. 9*, ajéntis: «Si post doctíssimos

«viros, meam proférre sententiam fas «esset, dícerem, neque Elisæum, neque «Naamánum peccásse. Quòniam nec Eli- «sæus approbávit obsèquium exhibéndum «Remmon, sive Regi adoránti Remmon; «nec Naáman post sanitátem obtêntam «insérviit Regi adoránti Remmon. Ut «enim mea præfert opínio, hac ratióne «textus sacer expóni potest. Naamánus, «ántequám Elisæum adíret, et veri Dei «lúmine perfunderêtur, cum Rege suo «ante idólum procumbébat. Pulsâ cum «lepra idololátriæ calígine, divinâ fide «illustrátus spopóndit, mínimé se obla- «túrum in pósterum holocáusta, vel víc- «timas Diis aliénis: *non enim fáciet ul- tra servus tuus holocáustum, aut victi- mas Diis aliénis, nisi Dómino.* «Verùm, «quia adhuc erat Regis addíctus servi- «túti, verebátur ne, sicut ánteà, debéret «Regem templum peténtem comitári, «illíque ante idólum procumbénti ma- «num prorrígere, atque cum illo pro- «cúmbere, quemádmodum ánteá perá- «gere solebát. Nec tamen id certó futú- «rum esse sciébat Naamánus; sed tan- «túmmodó verebátur, ne accideret. Hàc «factâ hypóthesî, Elisæum urgébat, ut «si casû id contíngeret, sibi véniam á «Deo péteret. Non ergo Naáman enún- «tiat adoratiónem absolúté futúram; sed «pósitâ conditióne, quód acciderit, vé- «niam deprecátur, áuspice Elisæo. Quód «hæc adorátio fúerit conditióne adjéctâ «á Naamáno propósita, patet ex sacro «textu. *Si adoravero* (non inquit, cúm «adorávero, sed, *si adorávero*) *in tem- plo Remmon, adoránte eô in eódem loco, ut ignóscat étc.* «Cûm Elisæus spectáret «suum prosélytum scrupulîs ánxium, at- «que angóribûs agitátum, solátus eum «est hôc responsô: *Vade in pace;* quasi «díceret: Macté ánimo: nihil tale evé- «niet: Noli hîs suspiciónibûs ánimum «discérpere: Deus, in cujûs potestáte «sunt Regum corda, non permíttet, ut «impósterum Regi in templo procum- «bènti insérvias: Pulsîs ergo hîs perplexi- «tátibûs, confíde in Dómino: *Vade in «pace.* Quid próhibet hôc sensû, res- «pónsum Elisæi, alióquin ambíguum, «expónere? Ex scriptura non erúitur, «Naamánum post suum ex Samária in «áulam Syriæ réditum, reápsè cum Re- «ge adorásse Remmon, seu Regi ado- «ránti inserviísse. Ex àlia parte, adorá- «tio, pro qua véniam deprecátur, futúrà «conditióne suspénsâ hæret. In sacro «textu non appáret, hanc conditionem «impletam fuísse. Quid itaque cáusæ est «ne dicámus, reípsà non fuisse execu- «tióni mandátam iterùm? Quid huic «officiat interpretationi, non vídeo. Eam «verba sacra patiúntur, quin àliquod «proficiscátur incòmmodum,... Si hæc «tibi non probántur, á te melióra ex- «pécto. Quæ ego dixi, Sapiéntum judí- «cio subjício.»

454. Ex supra dictîs mínimé infe- réndum, nèminem úmquám posse á quacúmque lege éximi, nisi intercédat mutátio materiæ. Sciéndum est enim, in légibus humánis posse occúrrere quasdam cáusas legitimè dispensándi, quæ nullò modò legis matériam affi- ciunt, neque eam ullátenús immútant, quia sunt ipsi prorsùs extrínsecæ. Id patet, cúm dux dispénsat mílitem ab agéndis excúbiis propter áliquod egré- gium fácinus; vel cúm Supérior dispén- sat Religiósum á Choro propter insígnia mérita etc. Rursús, sunt quædam cáu- sæ legítimè dispensàndi á légibus posi- tívis, quæ afficiunt quidem materiam le- gis, illámque aliquátenùs immútant, sed non eò usque ut désinant esse legis ma- téria, et tollatur ejus obligátio, nisi su- pervéniat auctóritas dispensántis: sic cúm quis propter aliquálem infirmitátem in jejúnio dispensátur, vel propter ali-

quálem necessitátem dispensátur in obsérvántía festi etc.: tunc intérvenit quidem áliqua mutátio matériæ legis, sed non tanta, ut sufficiat ad tolléndum sê solâ legis obligátiònem; súfficit tamen, ut per dispensatiónem legítimæ auctoritátis tollátur. Ad hoc áutem, ut áliquis eximátur ab áliquo præcéptò legis naturális, tanta debet esse mutátio matériæ, ut omnímodé désinat esse matéria legis naturális.

455. Petes: an lex naturális possit à córde hóminum aboléri?

Resp. cum D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 94, *art.* 6, «quòd ad legem naturálem «pértinent primò quidem quædam præ«cépta communíssima (*ut bonum est fa«ciéndum, malum vitándum, Deum co«lendum etc.*,) quæ sunt ómnibus nota; «secundáriò áutem, quædam secundária «præcépta magis própria, (*ut, depósitum «est reddéndum, vel esse reddéndum «cum tali cautione, vel tali modô etc.*,) «quæ sunt quási Conclusiónes propín«quæ princípiis.»

«Quantùm ergo, ad illa princípia com«múnia, lex naturális nullò modò potest «à córdibus hóminum deléri in univer«sáli; delétur tamen in particulári ope«rábili, secúndùm quòd rátio impedítur «applicáre commúne princípium ad par«ticuláre operábile, propter concupis«céntiam, vel áliquam áliam passiónem: «quantùm verò ad ália præcépta secun«dária, potest lex naturális deléri de «córdibus hóminum, vel propter ma«las persuassiónes (eô modô, quô etiam «in speculatívis erróres contíngunt cir«ca conclusiónes necessárias); vel étiam «propter pravas consuetúdines, et hábi«tus corrúptos, sicut apud quosdam non «reputabántur latrocínia peccáta, vel «étiam vítia contra natúram, ut étiam «Apóstolus dicit Roman. 1.»

CAPUT V.

DE LEGE HUMÁNA.

456. Circa tempus Nativitátis Christi, quidam Judas Galilæus, de quo dícitur in Áctibus Apost., *c.* 5, *v.* 37, quòd *avértit pópulum post se*, spárgere cæpit, non esse paréndum Princípibus, nec eórum légibus; sed soli Deo obediéndum. De hoc S. Hierónymus in *c.* 3, *epist. ad Titum*, ait: «Surréxit in diébus censûs «(*quibûs, ut habétur Luc.* 2, *sínguli «describi tenebántur, ac profitéri*) Judas «Galilæus, qui inter cætera hoc quási «probábile proferébat ex lege: nullum «debére Dóminum, nisi solùm Deum, «vocári; et eos qui ad Templum déci«mas deférrent, Cæsari tribúta non debé«re réddere. Quæ hæresis in tantùm «créverat, ut étiam Pharisæórum, et «multam partem pópuli conturbáret: «ita ut ad Dóminum quoque nostrum «referrétur hæc quæstio: Licet Cæsari «dare tribútum, an non?» Ita S. Hierónymus.

Luthérus fidéles ab omni lege absolútos declárat, ac solâ fídei lege tenéri pronúnciat, lib. enim de Libertáte christiána inquit: «Nullô ópere, nullâ lege «hómini christiáno opus est; cùm per «fidem sit liber ab omni lege.» A quo non longé abest Calvínus, ut vidére est *lib*, 4.° *Inst.*, *cap.* 10, § 5, *et* 8, ubi affírmat, «Deum esse únicum Legisla- «tórem: non licére homínibus id honóris «súmere.»

Waldénses páriter, et Anabaptístæ de potestáte, tum Ecclesiásticâ, tum Civîlî, condéndi leges malè locúti sunt, quibus magnâ ex parte adhæsit Calvínus; máximè quoad Ecclesiásticam potestátem, à Prælatis enim Ecclésiæ ádimit jus ferèndi leges coactivas, máximè in foro consciéntiæ obligántes, ut vidére est *lib.* 4.° *Inst.*, *cap.* 10, à § 1.°; undè infert, Pontíficem, et Epíscopos, qui suîs légibûs ónerant consciéntias subditórum, esse tyránnos, et carnífices conscientiárum, eorúmque leges esse ímpias, et libertáti christiánæ repugnántes. Contrárium séntiunt, ac sensérunt semper omnes Cathólici. Undè sit

I. CONCLÚSIO.

Prælàti Ecclésiæ potestátem habent condéndi leges pro bono Ecclésiæ, quibus súbditi obedíre tenéntur.

457. Prob. Conclus. Joán., *cap.* 21, *v.* 17, dicit Christus: «Pasce oves «meas.» Luc., *cap.* 10, *v.* 16: «Qui «vos áudit, me áudit,» et «qui vos spér- «nit, me spérnit.» Matth. *c.* 18, *v.* 17: «Si Ecclésiam non audíerit, sit tibi sicut «Éthnicus, et Publicánus.» *Act. Apost. c.* 20, *v.* 28: «Spíritus Sanctus pósuit «Epíscopos régere Ecclésiam Dei.» Hæc áutem apértè indícant Prælátos Ecclésiæ potestáte gaudére condéndi leges, quibus súbditi obedíre teneántur: Ergo, etc.

Profectò, ipse Apóstolus non sinit id dubitáre: nam *epist.* 2, *ad Cor.*, *c.* 13, *v.* 10, inquit: «Hæc absens scribo, ut «non præsens dúriùs agam, secúndùm «potestátem, quam Dóminus mihi de- «dit.» Et hâc potestáte frequénter idem Apóstolus usus est. Primò: quándò excommunicávit Corínthium incestuósum, *Epist.* 1 *ad Cor.*, *c.* 5. Secúndò: quándò reprehéndit Corínthios, quòd judíciò conténderent apud infidéles, *epist.* 1.ª *ad Cor.*, *c.* 6. Tértiò: quándò Hymenæum, et Alexándrum, propter hæresim trádidit Sátanæ, *epist.* 1, *ad Timoth.*, *c.* 1, *v.* 20. Quartò: quándò Thessalonicénsibus scripsit, *epist.* 2, *c.* 3, *v.* 14: «Si quis non obédit verbo «nostro per Epístolam, hunc notáte, et «ne commisceámini cum illo, ut confun- «dátur.» Vid. *Tom.* 1, *hujus Op. n.* 135, *et seq.*

II. CONCLÚSIO.

Qui in civilibus suprémam curam gerunt Communitátis, habent potestátem condéndi leges civíles, quibus súbditi, licèt Christiáni, obedíre teneántur.

458. Prob. Conclus. Christus, ac Apóstoli hanc potestátem in Princípibus, quámvis Éthnicis, agnovére, et ipsis obediéndum, étiam à Christiánis, præcepérunt. Christus enim interrogátus: an licéret tribútum dari Cæsari, respóndit, *Luc.*, *c.* 20, *v.* 25: «Réddite ergo, quæ «sunt Cæsaris, Cæsari:» et quod dixit, ópere implévit; dum *Matth.*, *c.* 17, *v.* 26, solvit et pro se et pro Petro didráchma censûs. S. Páulus in suis epístolis totus est in suadénda étiam Christiánis obediéntiâ Régibus, ac Princípibus, etsi

Éthnicis ; epist. enim ad Roman., *c.* 13, *v.* 1, inquit : «Omnis ánima Potestáti-«bus sublimióribus súbdita sit : non est «enim potéstas nisi à Deo : quæ áutem «sunt, à Deo ordináta sunt :» et *v.* 7, : «Réddite ergo ómnibus débita : cui tri-«bútum, tribútum : cui vectígal, vectí-«gal :» ad Titum, *c.* 3, *v.* 1 : «Ádmo-«ne illos, Princípibus, et Potestátibus «súbditos esse, dicto obedíre.» Et D. Petrus, *epist.* 1.ª, *cap.* 2, *á v.* 13 : «Subjécti ígitur estóte omni humánæ «creatúræ propter Deum : sive Regi, «quási præcellénti ; sive Dúcibus, tám-«quàm à Deo missis ad vindíctam male-«factórum... quia sic est volúntas Dei, «ut benè faciéntes, obmutéscere faciátis «imprudéntium hóminum ignorántiam :» eórum scílicet, qui inítiò prædicatiónis Evangélicæ christiános accusábant, mentiéntes quòd humánum Principátum evérterent, et obediéntiam humánis légibus, et Princípibus sæculáribus interdícerent, ut vidére licet apud Chrysóstómum, *homil.* 23, *in Epist. ad Timot.*

459. Ad hanc calúmniam repellén-dam, et simul ad nostram conclusiónem confirmándam, addúcimus, nedùm Petrum, et Páulum in suis Epístolis multa de obediéntia Superióribus sæculáribus, et Princípibus débitâ, étiam à Christiánis, scribéntes, sed étiam véteres Patres. S. Polÿcárpus apud Eusébium, *lib.* 4, *Hist.*, *cap.* 15, ad Procónsulem ait : «Tibi quidem ratiónem «réddere non me piget. Præcéptum «enim nobis est, ut Magistrátibus, et «Potestátibus à Deo constitútis honó-«rem débitum exhibeámus, qui nobis «nihil nóceat.» S. Justínus, *Apolog.* 2.ª *pro Christiánis*, inquit : «Vectigália sa-«nè, et collatiónes eis, qui à vobis «sunt ordináti, exactóribus, præ ómni-«bus ubíque inférre conténdimus,» Tertulliánus in *Apologético, cap.* 3.°, éxprobrat Gentílibus quòd eos perse-querèntur Christiános, qui pro salúte Imperatórum, expánsis mánibus, Deum verum deprecabántur. Quid ? quòd imperatórias leges tantô stúdiô Ecclésiæ nascéntis fidéles observábant ; ut Plínius ad Trajánum scribens de Christiánis, significáverit, se nihil invenísse, quô culpári possent, de non servátis (excéptâ Religióne) Imperatóriis légibûs, atque Edíctîs.

460. Prob. 2.° útraque Conclúsio ratióne theológicâ. Christus, et lex Evangélica, Prælátos ecclesiásticos, et Príncipes sæculáres suâ auctoritáte mínimè fráudat ; vel spóliat ; sed pótiùs illam comméndat, stabílit, et róborat, eam docens à Deo derivári. Unde Christus, *Joán.*, *c.* 19, *v.* 11, ajébat Piláto : «Non habéres potestátem advérsùm me «ullam, nisi tibi datum esset désuper ;» et Apost., *epist. ad Rom.*, *c.* 13, *v.* 1 : «Omnis ánima potestátibus sublimióri-«bus súbdita sit : Non est enim potés-«tas nisi à Deo... Ítaque qui resístit po-«testáti, Dei ordinatióni resístit.» Et profèctò, multa occúrrere possunt ad Dei cultum, Sacramentórum administratiónem, morum directiónem, ac rectam, tum Ecclésiæ, tum Reipúblicæ gubernatiónem, pacem, et tranquillitátem, quæ divinâ lege, aut lege naturâlî determináta, et expréssa non sunt, quæ tamen pro occurréntibus circumstántiis determináre opórtet ; undè Deus defuísset in necessáriis (quod dici nequit), si potestátem ea determináudi non contulísset Prælátis Ecclesiásticis, et Potestátibus sæculáribus, quibus cura commíssa est Communitátis. Hómines étiam egent quádam disciplinâ, eos próximè ordinánte ad virtútem ; ut enim obsérvat D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 95, *art.* 1 : «Quia inveniúntur quidam «protérvi, et ad vítia proni, qui verbîs

«de fácili movéri non possunt, necessá-«rium fuit, quòd per vim, vel metum co-«hiberéntur à malo ; ut saltem sic male-«fácere desisténtes, et áliis quiétam vi-«tam rédderent, et ipsi tandem per hu-«júsmodi assuetúdinem ad hoc perduce-«réntur, quòd voluntárië fácerent, quæ «priùs metû implébant, et sic fierent «virtuósi. Hujúsmodi áutem disciplína «cogens metu pœnæ est disciplína le-«gum. Undè necessárium fuit ad pacem «hóminum et virtútem, quòd leges (*tum «Ecclesiásticæ, tum Civiles*) ponerén-«tur.» Vid. D. Thom. ib.

III. CONCLÚSIO.

Leges tam Ecclesiásticæ, quàm Civiles, óbligant in foro consciéntiæ.

461. Prob. Conclus. Illæ Leges óbligant in foro consciéntiæ, quibus homo si non obédiat, *Deo non obédit ; sibi damnatiónem acquírit ;* et quibus ex necessitáte obedíre tenétur *propter consciéntiam :* Atqui, tales sunt Leges humánæ, tam Ecclesiásticæ, quàm Civiles; Ergo, etc. Min. docet S. Páulus, *epist. ad Rom., cap.* 13, *v.* 2, ínquiens : «Qui resístit potestáti, Dei ordinatióni «resístit. Qui áutem resístunt, ipsi sibi «damnatiónem acquírunt.» Et *v.* 5 : «Ideò necessitáte súbditi estóte, non «solùm propter iram, sed étiam propter «consciéntiam.»

Ilîs suîs verbîs Apóstolus dum ait : «Qui resístit potestáti, Dei ordinatióni «resístit : et damnatiónem acquírit : et «non solùm propter iram, sed étiam «propter consciéntiam,» damnat Calvínum docéntem, leges humánas non obligáre in consciéntia : dum verò dicit : *necessitáte súbditi estóte*, diréctè expúgnat Luthérum dicéntem, fidéles nulli legi humánæ esse súbditos, nisi ipsi velint.

462. Veritátem Conclusiónis étiam evíncimus hîs D. Thomæ verbîs, 1.ª 2.æ *quæst.* 96, *art.* 4 : «Leges pósitæ «humánitùs vel sunt justæ, vel injústæ. «Si quidem justæ sint, habent vim obli-«gándi in foro consciéntiæ à lege ætér-«na, à qua derivántur, secúndùm illud «Proverb. 8, v. 15. Per me Reges reg-«nant, et legum Conditóres justa decér-«nunt. Dicúntur áutem leges justæ, et «ex fine, quándò scílicet ordinántur ad «bonum commúne; et ex auctóre, quán-«dò scílicet lex lata non excédit potestá-«tem feréntis ; et ex forma, quándò «scílicet, secúndùm æqualitátem pro-«portiónis imponúntur súbditis ónera in «órdine ad bonum commúne. Cùm enim «unus homo sit pars multitúdinis, quí-«libet homo hoc ipsum quod est, et quod «habet, est multitúdinis, sicut et quæli-«bet pars id quod est, est totíus : undè «et natúra áliquod detriméntum infert «parti, ut salvet totum. Et secúndùm «hoc, leges hujúsmodi ónera proportio-«naliter inferéntes justæ sunt, et «óbligant in foro consciéntiæ, et sunt «leges legáles.»

«Injústæ áutem sunt leges duplíciter. «Unô modò per contrarietátem ad bo-«num humánum, è contrário prædíctis : «vel ex fine..... vel étiam ex auctóre... «vel étiam ex forma, puta, cùm iné-«quáliter ónera multitúdini dispensán-«tur, étiamsi ordinéntur ad bonum com-«múne. Et hujúsmodi magis sunt vio-«léntiæ, quàm leges : quia, sicut Au-«gust. dicit in L. 1, de lib. arb., c. «5, lex esse non vidétur, quæ justa «non fúerit. Undè tales leges non óbli-«gant in foro consciéntiæ, nisi fortè «propter vitándum scándalum, vel tur-«batiónem : propter quod étiam homo «juri suo debet cédere, secúndùm illud

«Matth., c. 5, v. 41: *Qui angariáve-*
«*rit te mille passus; vade cum eo ália*
«*duo; et qui abstúlerit tibi túnicam, da*
«*ei et pállium.* Aliô modô leges pos-
«sunt esse injústæ per contrarietátem
«ad bonum divínum, sicut leges Tyran-
«nórum inducéntes ad idololátriam, vel
«ad quodcúmque áliud quod sit contra
«legem divínam: et tales leges nullô
«modô licet observáre: quia, sicut díci-
«tur Act., c. 4: Obedíre opórtet Deo
«magis quàm homínibus.»

Ex his spónte fluit

IV. CONCLÚSIO.

Leges humánæ, sive sint Ecclesiásti-
cæ, sive Civiles, non pendent ab ac-
ceptatióne Pópuli, ut vim hábeant
obligándi.

Vid. inf. num. 467.

463. Prob. Conclus. quoad leges Ec-
clesiásticas. Christus, *Matth.*, *cap.* 16,
promísit Petro, adeóque et suis Succes-
sóribus, claves regni cœlórum, addidít-
que: «Quodcúmque ligáveris super ter-
«ram, erit ligátum et in cœlis:» quin
hanc, aut símilem restrictiónem appo-
súerit, vidélicet, si pópulus leges tuas
acceptáre volúerit; Ergo, leges Eccle-
siásticæ, ut vim hábeant obligándi, non
pendent à pópuli acceptatióne. Sed et
Luc., *cap.* 10, generáliter dixit Após-
tolis: «Qui vos áudit, me áudit, et qui
«vos spernit, me spernit:» Atqui, Præ-
látum suum spérnere méritò dici potest,
qui et justam, ac rationábilem legem
ferénti obedíre detréctat, propterèa quòd
talem ipsíus legem nolit acceptáre:
Ergo, et Christum spérnere dicéndus
est.

464. Prob. 2.° Conclus. quoad utrám-
que partem. Apostólicum, imò et natu-
rále præcéptum est, illud, quod *epist.*
ad Hebræos, *cap.* 13, sic exprímitur:
«Obedíte Præpósitis vestris, et subja-
«céte eis:» ibi áutem neque dícitur;
neque subintellígitur, Obedíte, si vultis
leges, et mandáta eórum acceptáre:
Ergo, leges, et præcépta Superiórum
legítima absolútè óbligant súbditos ad
eis obtemperándum, independénter ab
eórum acceptatióne.

465. Prob. 3.° Conclus. Quicúmque,
suô Superiôre, sive Sæculárî, sive Ec-
clesiásticô justam legem ferénte, ac pro-
mulgánte, illam réjicit, seu rénuit ac-
ceptáre, non obédit justis ejus mandá-
tis. Atqui, unusquísque Superiórem ha-
bens, in consciéntia tenétur justis Su-
perióris suî mandátis obedíre, juxta il-
lud *epist. ad Rom.*, *cap.* 13. «Om-
«nis Anima Potestátibus sublimióri-
«bus súbdita sit:» Ergo, non est ei lí-
berum, Superiórum leges rejícere, et
non acceptáre.

Confirmátur. «Qui resístit Potestáti,
«Dei ordinatióni resístit,» ut eódem cá-
pite *epist. ad Rom.* dícitur: Jam verò,
qui justam legem sibi à suo Superióre
pósitam, ac promulgátam, acceptáre no-
lunt, resístunt Potestáti; nam Potéstas,
seu is, qui potestáte prædítus est, le-
gem feréndô, ac promulgándô, fieri ju-
bet, quod in ea præcípitur; seu non fíe-
ri, quod in ea prohibétur; et súbditi
non acceptántes legem sui Superióris
nolunt fácere, quod præcípitur, vel vo-
lunt fácere, quod prohibétur: Ergo,
juxta citáta Apóstoli verba, Dei ordina-
tióni resístunt: «Qui áutem resístunt,
«ipsi sibi damnatiónem acquírunt,» ut
ib. docet Apóstolus. Ergo, leges, ut vim
hábeant obligándi, non pendent à pópuli
acceptatióne.

466. Qui suprémam habent curam
Communitátis majórî pollent potestáte
in súbditos, quàm Paréntes in fílios, tum
quia illi obligáre possunt fílios ut pug-

nent contra Patrem, si Pater sit hostis Reipúblicæ; tum quia potéstas illórum diréctè est ad bonum commúne, et potéstas Paréntum ad bonum tantùm famíliæ; tum dénique quia hi, qui suprémam gerunt curam Communitátis, possunt obligáre súbditos sub pœna cápitis, eámque pœnam inflígere valent transgressóribus, quâ potestáte non potíri Paréntes in fílios, certum est, et apud omnes indubitátum: Atqui, nihilóminùs Paréntes in his, ad quæ pátria potéstas se exténdit, possunt obligáre fílios, étiam invítos, ad obtemperándum suis præcéptis, nequè in eo ullátenùs pendent à consénsu, seu acceptatióne filiórum, est quippè à Deo impósita obediéntia filiórum erga Paréntes, juxta quártum Decálogi præcéptum: Ergo, à fortiòri, hi, qui suprémam curam Communitátis gerunt, obligáre possunt sibi súbditos, independénter ab eórum consénsu, seu acceptatióne.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

467. Obj. 1.° Legès humánæ possunt à Communitáte abrogári per consuetúdinem contráriam: Ergo, leges humánæ vim, et robur non habent nisi quámdiù pópulus ipsis consénserit.

Resp. Dist. antecéd. Leges humánæ possunt à Communitáte abrogári per consuetúdinem contráriam, si Legislátor vel expréssè, vel tácitè consuetúdini consénserit, concéd.: si ipsi restíterit, neg. Magnóperè est adverténdum, quòd dum lex áliqua per consuetúdinem contráriam abrogátur, non est propter auctoritátem, quam pópulus, qui consuetúdinem indúcit, hábeat in legem, aut in legis obligatiónem; sed pótiùs propter consénsum saltem tácitum Legislatóris, qui dum suæ leges non acceptántur, quámvis possit, tamen non urget, ut sui súbditi eas accéptent, illísque obédiant, sed dissímulat. Vid. Salmaticen. *de Leg. c.* 6, *n.* 6. Ad hanc matériam dilucidándam, non abs re erit adnotáre cum D. Thom. 1.ª 2.æ *quæst.* 97, *art.* 3, *ad* 3. «Quòd multitúdo in qua con«suetúdo introdúcitur, dúplicis condi«tiónis esse potest. Si enim sit líbera «multitúdo, quæ possit sibi legem fáce«re (*ut contingit in Regímine Demo«crático*) plùs est consénsus totíus mul«titúdinis ad áliquid observándum, quod «consuetúdo maniféstat, quàm auctóri«tas Príncipis (*ejus, scílicet, qui in tali «regímine obtinet locum Præsidis*), qui «non habet potestátem condéndi legem, «nisi in quántùm gerit persónam mul«titúdinis: undè licèt síngulæ persónæ «non possint cóndere legem, tamen totus «pópulus cóndere legem potest. Si verò «multitúdo non habet líberam potestátem «condéndi sibi legem, vel legem à superió«ri potestáte pósitam removéndi, tamen «ipsa consuetúdo in tali multitúdine præ«valens óbtinet vim legis, in quántùm «per eos TOLERÁTUR, ad quos pérti«net multitúdini legem impónere: ex «hoc enim ipso vidéntur approbáre, quod «consuetúdo introdúxit.» Hinc, si sermo sit de hac última multitúdine, dum pópulus incípit, aut non acceptáre legem sufficiénter promulgátam, aut indúcere consuetúdinem legi contráriam, et Princeps ejus acceptatiónem, vel observántiam úrgeat, vel verbô, vel factô, vidélicet, illos, qui recípere nolunt, aliósve transgressóres puniéndô; quámdiù hoc urget, neque illi, qui recúsant acceptáre, sunt à gravi peccáto immúnes, potestáti enim resístunt, ideóque sibi damnatiónem acquírunt, ut díximus ex Apóstolo; neque talis non acceptátio vel non observátio, tollit legi vim, ac robur, quô potítur. Vid. *num.* 463.

468. Obj. 2.° Leges firmántur, cùm

móribûs uténtium probántur, quémádmodùm ex Augustíno dícitur *cap. In istis, Dist.*, 4.ª Ergo, Leges, ut vim hábeant obligándi, pendent à pópuli acceptatióne.

Resp. 1.° Verba alláta pérperàm attríbui Augustíno, cùm sint, non ipsíus, sed Gratiáni, qui sinè dúbitatióne est Augustínô inférior.

Resp. 2.° Verba illa verum, ac legítimum sensum habére doctrínæ jam tráditæ nullô modô contrárium. Non enim dicunt, Leges constítui, cùm móribus uténtium recipiúntur; sed sic: «Leges «instituúntur, cùm promulgántur: firmántur, cùm móribus uténtium approbántur.» Hîs ergo verbîs significátur, quòd Leges in ratióne Legis, ac Præcépti in órdine ad obligándum, constituúntur hôc ipsô, quòd promulgántur: firmántur áutem, hoc est, fiunt stábiles, et firmæ ad perseverándum in suo vigóre apud pópulum, cùm móribus uténtium approbántur. Firmári enim, non est idem quòd fieri, vel constítui, sed idem valet ac stabilíri, et roborári id, quod factum est, ut persevéret. Per mores áutem uténtium Leges ánteà factæ, et promulgátæ sic apud pópulum stabiliúntur, ut firmæ apud ipsum permáneant, nec fácilè abrogéntur. Hunc sensum confírmant sequéntia ipsíus Gratiáni verba: «Sicut enim móribûs uténtium in contrárium nonnúllæ Leges «hódiè abrogátæ sunt; ita móribûs uténtium istæ Leges confírmántur.

469. Obj. 3.° Jurisconsúltus, *lib.* 1.° *ff. Quid* 3, *Lege: De quibus*, ait: «Ipsæ Leges nullâ áliâ ex cáusa nos tenent, quàm quòd judício pópuli recéptæ sunt;» Ergo, ut humánæ Leges óbligent, accédere debet consénsus, seu acceptátio pópuli.

Resp. Proptéreà dici, quòd «Leges «non áliâ ex cáusa nos tenent, quàm «quòd judício pópuli recéptæ sunt,» non quia pópuli consénsus prærequirátur ántequàm obligáre incípiant; sed quia non perseverárent pópulum tenére obligátum, si nequáquàm à pópulo reciperéntur; et tandem Princeps, vel expréssè, vel tácitè in eo consentíret.

APPÉNDIX

DE PACTO SOCIÁLI ROUSSEJÁNO.

470. Roussójus in suo Discúrsu de *Origine, et fundaméntis inæqualitátis inter hómines*, descríbit primitívos hómines támquàm tótidem bélluas errántes per sylvas, ábsque lege, et ábsque duce; statuítque, hunc státum ita esse hómini naturálem, ut necessáriò ascendéndum sit ad áliquam primam conventiónem ipsórum hóminum, ad potestátem eos regéndi adstruéndam. Hanc primam conventiónem, contráctum, seu pactum vocat sociále, quod pactum hîs términîs gállicè quidem conscríptîs, sed in latínum versîs, éxprimit: «Quisque «nostrûm ponit in commúni suam per«sónam, omnémque suam poténtiam sub «supréma directióne voluntátis generá«lis; et nos conjúnctim recípimus quód«libet membrum, ut partem indivisíbi«lem totíus..... hic actus associatiónis «próducit corpus morále et collectívum, «compósitum tot membrîs, quot con«véntûs suffrágiis, quod récipit ex hoc «eódem actu suam unitátem, suum Ego «commúne, suam vitam, et suam vo«luntátem. Hæc persóna pública, quæ «ita formátur ex unióne ómnium alió«rum, vocáta olim fuit *Cívitas*, et nunc «vocátur *Respública*, aut *Corpus polí«ticum*, quod ratióne suórum membró«rum appellátur *Status*, quándò est pas«sívum; *Suprémus Princeps*, quándò «est actívum; *Poténtia*, comparátè ad «córpora sui similia. Respéctû associa«tórum, isti collectívè dicúntur *Pópu«lus*, et peculiáriter *Cives*, ut suprémæ «auctoritátis partícipes; *et súbditi*, ut «légibus Statûs subjécti.» Hucúsque Roussójus.

Proféctò non déerit, qui apud semetípsum dicat: Pudéret me dícere, hæc non intellígere, si ipse Roussójus, qui hæc scrípsit, intelléxerit. Et revérà; hoc suum pactum sociále, quod pótiùs sómnium delirántis est appellándum, esse prorsùs commentítium, et natúræ advérsum, hîs evíncimus momentîs.

471. Primò: Roussójus pro fundaménto sui pacti sociális præsuppónit, státum hóminis primævum, ac naturálem fuísse belluínum, ac sylvéstrem; in quo statuéndò Roussójus sese osténdit ex his fuísse, de quibus Régius Vates ait: «Homo, cùm in honóre esset, non «intelléxit; comparátus est juméntis in«sipiéntibus, et símilis factus est illis:» Et quàm túrpiter erráverit, evíncunt hæc D. Thomæ verba, *Opusc.* 20, *de Regímine Príncipum*, *lib.* 1.°, *cap.* 1.°: «NATURALE est hómini, ut sit ánimal «sociále, et políticum, in multitúdine «vivens, magis étiam quàm ómniaália «animália; quod quidem naturális ne«céssitas declárat. Áliis enim animáli«bus natúra præparávit cibum, tegu«ménta pilórum, defensiónem, ut dentes, «córnua, úngües, vel saltem velocitátem «ad fugam. Homo áutem institútus est

«nullô horum sibi à natúra præparátô, «sed locô ómnium data est ei rátio, per «quam sibí hæc ómnia officiô mánuum «posset præparáre, ad quæ ómnia præ- «paránda unus homo non súfficit. Nam «unus homo per se sufficiénter vitam «transígere non posset. Est ígitur hó- «mini naturále, quòd in societáte mul- «tórum vivat. Ámpliùs; áliis animáli- «bus ínsita est naturális indústria ad «ómnia ea, quæ sunt eis utília, vel no- «cíva, sicut ovis naturáliter æstímat lu- «pum inimícum. Quædam étiam animá- «lia ex naturáli indústria cognóscunt «áliquas herbas medicináles, et ália eó- «rum vitæ necessária. Homo áutem ho- «rum, quæ sunt vitæ suæ necessária, «naturálem cognitiónem habet solùm in «commúni, quási eô per ratiónem va- «lénte ex universálibus princípiis ad «cognitiónem singulórum, quæ necessá- «ria sunt humánæ vitæ, pervenire. Non «est áutem possíbile, quòd unus homo «ad ómnia hujúsmodi per suam ratió- «nem pertíngat. Est ígitur necessárium «hómini, quòd in multitúdine vivat, ut «unus ab álio adjuvétur, et divérsi di- «vérsis inveniéndis per ratiónem occu- «péntur, puta, unus in Medicína, álius «in hoc, álius in álio. Hoc étiam eviden- «tíssimè declarátur per hoc, quod est «próprium hóminis locutióne uti, per «quam unus homo áliis suum concéptum «totáliter potest exprímere. Ália quidem «animália exprímunt mútuò passiónes «suas in commúni, ut canis in latrátu «iram, et ália animália passiónes suas «divérsis módis. Magis ígitur homo est «communicatívus álteri, quàm quodcúm- «que áliud ánimal, quod gregále videá- «tur, ut grus, formíca, et apis. Hoc ergo «considerans Sálomon in Ecclésiaste, c. «4, v. 9, ait: Méliùs est duos esse si- «mul, quàm unum: habent enim emo- «luméntum societátis suæ.»

Constat ígitur, hóminem naturáliter esse ánimal sociále, plùs quàm cætera animália. Quidquid ergo socialitáti adversátur, non est hómini naturále. Státus áutem primævus, et originárius hóminis fuit ei naturális; nihil enim ipsi magis naturále pótuit esse, quàm státus ad quem ab ipsa natúra fuit destinátus. Naturális ergo hómini fuit sociálitas in eo státu. Non fuísset áutem homo sociális, plùs quàm cætera animália, si ad sylvéstrem, et belluínam vitam in eo státu agéndam fuísset à natúra destinátus, ut in sylvis erráret, dispersúsque vagarétur absque domo, connúbiis, famíliâ, ut Roussójus sómniat: Ergo, státus hóminis primævus, et originárius non fuit sylvéster et belluínus. Quod cùm sit fundaméntum pacti sociális à Roussójo excogitáti, hoc pactum ruit, ejus sublátô fundaméntô, quemádmodùm sublatô fundaméntô ruit ædifícium.

472. Rursùs: Humána sociétas nullô modô potest sinè áliqua imperándi potestáte conservári; si enim cuíque, quod sibi libet, licéret fácere, hómines núnquàm possent sociále corpus formáre, cùm singulórum singulária sint plácita. Potéstas ergo, sinè qua humána sociétas stáre nullô modô potest, est illi à natúra índita, étenim, ut docet S. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 64, *art.* 5, quælibet res est ita à natúra comparáta, ut quantùm potest, se in esse consérvet, ejúsque contráriis eam niténtibus corrúmpere, resístat. Ergo, potéstas imperándi est humánæ sociétati naturáliter innáta, seu à natúra índita; ergo, non ex hóminum conventióne est repetènda, quod et ipse Roussójus fatéri cógitur, cum ibid *lib.* 2, *c.* 6, hoc státuat princípium: «Quod «bonum est, et órdini consentáneum, «ejúsmodi est ex natúra rerum, et in- «dependénter ab humánis conventióni- «bus.» Quod áutem sit in humánis po-

téstas imperándi nonne bonum est, et órdini consentáneum? «Certè, ubi non «est Gubernátor, pópulus córruet,» ut inquit Sálomon, *Proverb.*, *c.* 11, *v.* 14.

Præstat audíre D. Thom., *Opusc.* 20 *de Regimine Principum*, *lib.* 1, *c.* 1, ajéntem: «In ómnibus, quæ in unum «ordinántur, áliquid invenítur altérius «regitívum... In uno étiam hómine áni- «ma regit corpus, atque inter ánimæ «partes, irascíbilis, et concupiscíbilis ra- «tióne regúntur. Itémque inter membra «córporis unum est principále, quod «ómnia movet, aut cor, aut caput. «Opórtet ígitur esse in omni multitúdi- «ne áliquod regitívum.» Et id ex ipsa natúra rerum est ádeó necessárium, ut in ipsa República, quæ régitur per mul- tos, locum obtíneat; ut enim ipse S. Tho- mas, *Opusc.* 20, *de Regimine Princi- pum*, *lib.* 1.°, *cap.* 2.°, obsérvat, «re- «quíritur étiam in plúribus quædam únio «ad hoc, quòd quôque modô régere «possunt, quia nec multi navim in unam «partem tráherent, nisi áliquô modô con- «júncti: Uniri áutem dicúntur plura per «appropinquatiónem ad unum.» Non tæ- deat íterùm audíre S. Thomam, in 4, *Sent. Dist.* 24, *q.* 1.ª, *art.* 1.° *q.* 1.ª, matériam, de qua ágimus, mirè illus- tránten, dum ait: «Deus sua ópera in «suî similitúdinem prodúcere vóluit, «quantùm possíbile fuit, ut perfécta es- «sent, et per ea cognósci posset: et ideò «ut in suis opéribus repræsentarétur, «non solùm quod in se est, sed étiam «secúndùm quòd áliis influit, hanc le- «gem naturálem pósuit ómnibus, ut «última per média perficeréntur, et mé- «dia per prima.»

Hæc rátio, quâ S. Doctor osténdit in Ecclésia debére esse Órdinum diversi- tátem; osténdit quoque diversitátem Órdinum, non ex mera hóminum conven- tióne, sed ex ipsa natúra, debére esse in Políticis, ut multitúdo hóminum benè regátur. Qui diversitátem Órdinum in Ecclésia negant, uti sunt hærétici Protestántes; hi negáre quoquè debent diversitátem Órdinum in Políticis, ut fáciunt Quákeri, qui nullam inter hómi- nes cognóscunt inæqualitátem.

Hæc proféctò nos manudúcunt ad con- cludéndum cum D. Thoma, 1.ª *p.*, *q.* 96, *art.* 4.°: «Sociális vita multórum «esse non posset, nisi áliquis præsidéret, «qui ad bonum commúne inténderet. «Multi enim per se inténdunt ad multa; «unus verò ad unum:» quod suô modô locum tenet in ipsa República, ut enim ex D. Thoma transcrípsimus: «requíri- «tur étiam in plúribus quædam únio ad «hoc, quòd quôque modô régere pos- «sunt.»

473. Dissimuláre nólumus, contra hucúsque dicta objícere Roussójum in suo præcitáto Discúrsu, *c.* 4: «Quó- «niam nullus homo naturálem auctori- «tátem habet in suî símiles... relíquum «est, ut conventiónes sint basis totíus «legítimæ auctoritátis inter hómines.»

Resp. in primis: hanc Roussóji pro- positiónem universáliter sumptam esse falsam: Paréntes enim juxta quartum Decálogi præcéptum naturálem habent in fílios potestátem: id quod ipse Rous- sójus fatétur, quámvis plùs quàm par est, hanc Paréntum potestátem coárctet, nam juxta ipsum de *Contráctu sociáli*, *lib.* 1, *c.* 2, Paréntes in fílios, quoúsque isti illórum óperâ indígeant ad suam conservatiónem, naturálem potestátem habent.

Resp. 2.° Roussójum pérperàm confún- dere potestátem dominándi cum persóna, quæ hujúsmodi potestáte potítur. Utique potéstas dominándi in societáte naturá- lis est, cùm naturále sit hómini vívere in societáte, et sociétas sinè áliquo imperánte esse non póssit, ut supra osténdimus: ast

verò, quòd hæc vel illa persóna, quòd una, vel múltiplex hâc potestáte fungátur, id naturále non est, sed pendet ex divérsa forma regíminis, quæ vígeat in societáte. Semel tamen pósitâ persónâ, unâ vel multíplicî, quæ legítimè imperándi potestáte fungátur; súbditi tenéntur ei obediéntiam præstáre, non præcisè quándò huic, vel illi placet id quod imperátur; verum étiam semper ac Ímperans præscríbit id quod ad bonum commúne ordinátur: Profécto, si licéret obediéntiam denegáre Auctoritátibus legítimè constitútis, quandò id quod ímperant non placet, ut conténdunt Roussojáni, Sociétas perpétuîs dissídiîs, perturbatiónibûs, tumúltibûs, bellîs intestínîs foret obnóxia, cùm uni placéret id, quod imperátur, álii displicéret: hinc unus staret pro obediéntia præstánda; álius pro denegánda; et sic tandem Respública fúnditùs everterétur juxta illud Christi Dómini, *Luc.*, *c.* 11, *v.* 17: «Omne regnum in se ipsum divísum de«solábitur, et domus supra domum ca«det» Vid. S. Thom., *lect.* 1, *in cap.* 13, *Epist. ad Rom.*

CAPUT VI.

DE LEGE POSITÍVA DIVÍNA.

474. Lex positíva divína divíditur in Véteris, ac Novi Testaménti legem.

Véteris legis nómine non solùm intelligúntur præcépta Decálogi tábulîs lapídeîs inscrípta, et per Móysen ad pópulum Israëlíticum delàta; sed intellígitur tota ea doctrína, seu dispositio, quæ per Móysen data est pópulo Israëlítico, juxta illud Deuter., *c.* 33, *legem præcépit nobis Móyses*. Véteris legis præcépta generátim tria sunt, vidélicet, Morália, Cæremoniália, et Judiciália. Vid. D. Thom. 1.ª 2.æ *quæst.* 99. Porrò hæc doctrína conveniénter appellátur Lex, quia multas leges continébat: dícitur áutem Vetus, partim eò quia, ut èst apud August., *lib.* 8 *de Civit.*, *c.* 11, et *lib.* 4, *contra Faust.*, *c.* 2, promissiónes habébat temporáles, quibûs vetus homo refícitur; partim quia témpore priórî data est. Hùc respéxit Apóstolus, *epist. ad Hebr.*, *c.* 7, dicens: «Reprobátio quidem «fit præcedéntis mandáti:» itémque, *c.* 8 quándò Testaméntum et prius, et vetus nóminat.

Contra Legem Véteris Testaménti blasphemárunt plures trium priórum sæculórum Hærétici, teste Augustínô lib. *de Hæres.* Cathólici verò omnes, et legem véterem láudant, támquàm justam, et bonam, tàm ratióne Auctóris, quàm præceptórum, quæ imponébat; et fidem in Christum, ejúsque grátiam ad vitam ætérnam necessáriam esse, ac semper fuísse, confiténtur. His prælibátîs, sit

I. CONCLÚSIO.

Lex vetus fuit bona.

475. Prob. 1.° Conclúsio. Christus legem véterem verbô, et factô commendávit. Ergo, bona fuit. Prob. antec. Christus verbô quidem eam commendávit, nam *Matth., cap. 8, v. 4*, lepróso, quem mundáverat, dixit: «Vade, ostende te Sacerdóti, et offer munus, quod «præcépit Móyses» *et cap. 23, vv. 2, et 3*: «Super Cáthedram Móysi sedérunt «Scríbæ, et Pharisæi. Omnia ergo, «quæcúmque díxerint vobis, serváte et «fácite.» Factô áutem Christus legem véterem commendávit, quandò fuit circumcísus, et quandò cum Paréntibus ascéndit in Hierúsalem secúndùm consuetúdinem diéi festi, *Luc.*, *cap.* 2.°; item quandò *Joán.*, *cap.* 7.° ad diem festum ascéndit, et álibi sæpè.

476. Prob. 2.° hîs D. Thom. verbîs, 1.ª 2.æ *quæst. 98, art. 1*: «Absque «omni dubitatióne lex vetus bona fuit. «Sicut enim doctrína osténditur esse ve«ra ex hoc, quòd cónsonat ratióni, ita «étiam lex áliqua osténditur esse bona «ex hoc, quòd cónsonat ratióni rectæ. «Lex áutem vetus ratióni consonábat, «quìa concupiscéntiam reprimébat, quæ «ratióni adversátur, ut patet in illo man«dáto: *Non concupisces rem próximi «tui*, quod pónitur Exod. 20, v. 17. «Ipsa étiam ómnia peccáta prohibébat, «quæ sunt contra ratiónem. Undè ma«nifestum est, quòd bona erat. Et hæc «est rátio Apóstoli, Rom., c. 7, v. 22. «*Condeléctor*, inquit, *legi Dei, secúndùm «interiórem hóminem*: et íterùm ibid., «v. 16: *Conséntio legi, quóniam bona «est.*» Vid. D. August., *Serm.* 152, *de Témpore.*

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

477. Obj. 1.° Ezechiél. *c. 20, v. 25*, Deus légitur dixísse: «Ergo et ego dedi «eis præcépta non bona, et judícia, in «quibus non vivent:» Atqui, lex non dícitur bona nisi propter bonitátem præceptórum quæ cóntinet: Ergo, lex vetus non fuit bona.

Resp. Deus dedit Judæis præcépta non bona, *contráriè*, id est mala, neg. *comparativè*, id est minus bona, concéd. Hanc solutiónem accípimus è S. Gregório, *lib. 28, Moral., c. 18*, supra allátum textum ajénte: «Mala enim, qüasi «mala esse désinunt comparatióne pejó«rum: et bona, qüasi bona non sunt, «comparatióne meliórum.... ita melióri«bûs Novi Testaménti præcéptîs subse«quéntibûs, præcépta bona, quæ rúdi«bus; *(id est, pópulo Judáico)* data «sunt, non bona esse memorántur.» Quibus coufórmiter supra eúmdem textum S. Hierónymus ínquit: «Neque «dixit: dedi eis præcépta mala, sed non «bona. Non enim státim séquitur, ut «quod est non bonum, sit malum.» Et profectò: Apóstolus, *epist. 1.ª ad Cor., c. 7, v. 27*, inquit: «Solútus es ab «uxóre? Noli quærere uxòrem.» Non tamen indè sèquitur, quód quærere uxòrem sit malum; idem enim Apóstolus, *ibid., v. 28*, subdit: «Si áutem «accéperis uxórem, non peccásti.» Et si «núpserit virgo, non peccávit.»

Enucleátiùs D. Thom. de præfáto textu lóquens, 1.ª 2.æ *quæst. 98, art. 1, ad 1*, inquit: «Quòd Dóminus lóqui«tur ibi de præcéptis cæremoniálibus: «quæ quidem dicúntur *non bona*, quia «grátiam non conferébant, per quam hó«mines à peccáto mundaréntur, cùm «tamen per hujúsmodi se peccatóres os«ténderent. Undè signánter dícitur: *et*

«*judícia, in quibus non vivent*, id est, «per quæ vitam grátiæ obtinére non «possunt. Et pósteà súbditur: *et póllui «eos in munéribus suis*, id est, pollútos «osténdi, cùm offérrent omne, quod ápe- «rit vulvam propter delícta sua.»

478. Obj. 2.° Lex, quæ culpâ non vacat, est, non tantùm *comparativè*, sed étiam contráriè, seu positívè mala: Atqui, lex vetus culpâ non vacábat, inquit enim Páulus, *epist. ad Hebr., c. 8, v. 7:* «Si illud prius *(Testaméntum)* culpâ «vacásset, non útique secúndi locus in- «quirerétur:» Ergo, etc.

Resp. Dist. min. Secúndùm Apóstolum prius Testaméntum, seu lex vetus, *secúndùm se*, culpâ non vacábat, neg.: non continébat grátiam, per quam hómines à culpa liberaréntur, et ídeó dícitur culpâ non vacásse, concéd. Hæc nos docet D. Thom., *lect. 2, in caput 8, epist. ad Hebr.*, ínquiens: «Quòd «áliquid potest convenire legi dupliciter: «vel secúndúm se, et sic erat bona: vel «ratióne illórum, quibus data est: et sic «dícitur habére culpam, propter duo. «Primò, quia non dabat virtútem ad pur- «gándum commíssa. Impossíbile est sán- «guine taurórum, aut hircórum auférri «peccáta. Secúndò, quia non dabat grá- «tiam adjutrícem ad vitándum peccáta, «sed ad cognoscéndum, et sic erat occá- «sio peccáti, Rom., cap. 7. *Concupis- «céntiam nesciébam, nisi lex díceret: «Non concupísces.* Et sic dícitur, non «vacásse à culpa, quia hómines in ipsa «relinquebántur in culpa; et ídeò inqui- «rebátur secúndi Testaménti locus, quô «hómines grátiâ adjutríce per Christum «à culpa liberaréntur.» Idem sentit S. Joánnes Chrysóstomus, *Homil. 14, epist. ad Hebr.*

479. Obj. 3.° Ea lex non est bona, quæ non est homínibus salutífera, cùm de ratióne legis sit, ut commúni salúti proficiat: Atqui, lex vetus non fuit homínibus salutífera, sed mortífera, dicit enim Apóstolus, *epist. ad Rom., c. 7, vv. 8 et 9*: «Sinè lege peccátum mór- «tuum erat; Ego áutem vivébam sinè «lege aliquándò: sed cùm venísset man- «dátum, peccátum revíxit.» Ergo, etc.

Resp. Dist. min. Sinè lege peccátum mórtuum erat, id est, ante legem peccátum non áderat, neg.: sinè lege peccátum mórtuum erat, id est, ante legem peccátum non ita erat ab homínibus cógnitum, ut cógnitum fuit post legem, concéd. Angélicus Doctor in *cap. 7 epist. ad Rom., lect. 2.ª*, obsérvat, quòd peccátum ante legem vocátur mórtuum; «Non quidem sic, quòd peccá- «tum non esset, quia per unum hómi- «nem peccátum in hunc Mundum intrá- «vit ante legem: sed intellígitur, quòd «erat mórtuum, vel quántùm ad cogni- «tiónem hóminis, qui quædam lege pro- «híbita nesciébat esse peccáta, puta, «concupiscéntiam: vel quia erat mór- «tuum quantùm ad efficáciam..... non «enim habébat tantam virtútem indu- «cendi hóminem ad mortem, quantùm «pósteà hábuit occasióne accéptâ sub «lege.»

Super illa verba áutem: *cùm venísset mandátum, peccátum revíxit*, dícimus cum Augustino, *lib. de Spíritu, et litterâ, cap. 4*: «Ubi S. non ádjuvat Spí- «ritus, inspírans pro concupiscéntia mala «concupiscéntiam bonam, hoc est, cha- «ritátem diffúndens in córdibus nostris; «profécto illa lex, quámvis bona, ánget, «prohibéndò, desidérium malum: sicut «aquæ ímpetus si in eam partem non «cesset influere, vehemèntior fit, óbice «oppósitò; cujùs molem cùm evícerit, «majóre cúmulô præcipitátus violéntiùs «per prona provéhitur. Néscio quô enim «modò, hoc ipsum, quod concupíscitur,

«fit jucúndius, cum vetátur. Et hoc «est, quod fallit peccátum per mandá-«tum, et per illud occídit, cùm accédit «étiam prævaricátio, quæ nulla est, ubi «lex non est.»

480. Obj. 4.° Epist. ad Rom., *cap.* 5, *v.* 20, dícitur: «Lex subintrávit, ut «abundáret delíctum:» Ergo, Lex vetus non fuit bona.

Resp. Dist. antec. Lex subintrávit, ut abundáret delíctum, sumptô ly *ut*, consecutívè, conc. sumptô causáliter, neg. Explicátur solútio hîs D. Thom. verbîs, 1.ª 2.æ *quæst.* 98, *art.* 1, *ad* 2: «Dicitur, quòd lex subintrávit, ut «abundáret delíctum, ut ly *ut* teneátur «consecutívè, non causáliter, in quan-«tùm scílicet, hómines accipiéntes occa-«siónem à lege, abundántiùs peccavé-«runt: tum quia grávius fuit peccátum «post legis prohibitiónem: tum étiam «quia concupiscéntia crevit; magis enim «concupíscimus quod nobis prohibé-«tur.»

481. Obj. tandem: Lex vetus non fuit bona, primò, quia fuit superstitiósa; prohibébat enim usum aliquórum cibórum. Sed imméritò id objícitur: nam, ut inquit Tertulliánus, *lib.* 2 *contra Marciónem*, *cap.* 18, lex áliquos cibos interdíxit non superstitiósè, sed tum ad compriméndam gulam; tum ad formándum hóminem ad jejúnium; tum ad monéndum eum, ut fúgeret vítia, quæ gulam comitántur, vel certîs cibîs adumbrántur.

Secúndò: lex vetus contrária fuit pietáti, immúndos enim reputábat eos, qui mortuórum cadávera spelíssent. Sed imméritò id objícitur: falsum est enim apud Judæos reputátos fuísse immúndos, immundítiâ étiam legálî, ex mortuórum sepultúra, cùm pótiùs id esset apud eos offícium pietátis; undè Tobías, *cap.* 1, *v.* 20, laudátur, quia *mórtuis, atque occísis sepultúram sollícitus exhibébat.* Verum est équidem quòd in áliis cásibus, Judæi ex contáctu mórtui, non moráliter, sed tantùm legáliter polluebántur, ut habétur Numer., *cap.* 19, *vv.* 15 *et* 16, quod tamen suô non carébat mystériô; immundítia enim illa per contáctum cadáveris, immundítiam spirituálem per contáctum peccáti adumbrábat.

Tertiò: lex vetus æquitáti, et justítiæ adversabátur: tum quia Deuteron., *c.* 23, *v.* 24, cuíque facultátem fáceret tantùm de vínea próximi súmere, quantùm vellet; tum quia Deuteron., *c.* 24, vetábat accípere pignus à debitóre; tum quia Levit., *c.* 25, jubébat ut annô Jubilæi redírent omnes ad possessiónes suas; tum dénique, quia Deuteron., *c.* 23, prohibébat nè servus prófugus Dómino restituerétur. Sed imméritò hæc objiciúntur: nam quòd cuíque fíeret facúltas tantùm súmere de vínea próximi, quantùm volúerit, fuit valdè confórme pietáti, et justítiæ, ut vidélicet, paupéribus subvenirétur, quô famem, aut sitim possent extínguere; non áutem ipsis concedebátur súmere de vínea próximi ad ditándum, undè non licébat de vitis aliénæ frúctibûs quidquam domum deférre, ut vidére licet ibid. Deuteron., *c.* 23, *v.* 24. Similiter, lex vetus prohibébat in grátiam páuperum accípere pignus à debitóre; ne, scílicet, páuperes opprimeréntur, si in necessitáte constitúti pignus dare teneréntur. Quòd áutem annô Jubilæi omnes redírent ad possessiónes suas, statútum fuit, ne famíliæ confunderéntur, si agri ad prióres dóminos non redírent. Tandem prohibebátur, ne servus prófugus dómino suo traderétur, cónsulens lex salúti servi, qui fortè ab iráto dómino occiderétur, si ei tráditus fuísset.

Qüartò: lex vetus fovit concupiscén-

tiam vindíctæ, státuens, *Éxod.*, *c.* 21, legem taliónis, quam Christus, *Matth.*, *c.* 5, *v.* 38, improbávit. Sed imméritò id objícitur: nam falsum est, legem taliónis fovísse vindíctam; ut enim ait S. August., *lib.* 19 *contra Faust.*, *c.* 25, lex taliónis, nimírùm: «óculum «pro óculo, dentem pro dente, non fo«mes, sed limes furóris est; non ut id, «quod sopítum erat, hinc accenderétur, «sed ne id, quod ardébat, ultra éxten«derétur, impósitus.»

Quintò: lex vetus indiscréta fuit, tantum enim fuit illíus jugum, ut mínimè potúerit portári, ut ait Petrus, *Actor.*, *c.* 15, *v.* 10. Sed imméritò id objícitur: adverténdum est enim, legem véterem considerári posse et secúndùm se, quantùm ad id, quod ipsa dabat; et secúndùm id, quod ei addebátur ex fide in Christum ventúrum. Atténtò tantùm primò modò, intelligéndus est Apóstolus Petrus ínquiens, jugum legis tale fuísse, *quod neque nos, neque patres nostri portáre potúimus;* ut enim inquit S. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 98, *art.* 1, *ad* 3: «Jugum legis servári non póterat si«nè grátia adjuvánte, quam lex non da«bat. Dícitur enim Rom., c. 9, v. 16, «non est voléntis, neque curréntis, scí«licet, velle, et cúrrere in præcéptis «Dei, sed miseréntis Dei. Undè in «psalm. 118, *v.* 32, dícitur: viam «mandatórum tuórum cucúrri, cùm di«látasti cor meum, scílicet, per donum «grátiæ, et charitátis.»

Sextò: lex vetus crudelitátem sapiébat, et tyránnidem; Amalecítas enim unà cum líberis adhuc lacténtibus intérfici jussit. Sed imméritò id objícitur: nam lex in Amalecítas æquíssima fuit; ut enim habétur 1 *Reg.*, *c.* 15, *v.* 2. Pópulo Israëlítico ex Ægípto in terram promissiónis proficiscénti summâ injúriâ obstíterant: hac de cáusa nec eórum párvulis ignósci jussum fuit, ut grávior illis esset pœna; paréntibus enim interféctio filiórum sub própriis óculis pœnam magnóperè adáuxit.

482. Schólion. Lex vetus fuit quidem bona, sed tamen imperfécta, quóniam nec ipsa, nec ejus Sacraménta, et Sacrifícia póterant grátiam conférre, quæ est médium necessárium, ut perveníri possit ad spirituálem, et ætérnam felicitátem, quæ est finis últimus divínæ legis: illud áutem bonum est imperféctum, quod etsi áliquid operétur ad perveniéndum in últimum finem, non tamen est suffíciens, neque sufficiénter dispónit ad illum consequéndum. Legem véterem esse imperféctam osténdit Apóstolus, cùm in *epist. ad Galat.*, *c.* 3, statum véteris legis cómparat státui pueríli, in quo puer est sub pædagógo, et statum legis novæ státui viríli, qui non est sub pædagógo, cómparat. Vid. *D. Thom.*, 1.ª 2.æ *quæst.* 91, *art.* 5. Hinc fluit

II. CONCLÚSIO.

Lex nova ália est à véteri; non sicut órdinans ad divérsum finem, sed sicut proximiùs lex nova accédens ad finem eúmdem.

483. Prob. Concl. D. Thom. verbis, 1.ª 2.ª *quæst.* 107, *art.* 1: «Utriúsque «legis (*véteris, et novæ*) est unus finis, «scílicet, ut hómines subdántur Deo. «Est áutem unus Deus et novi, et véte«ris Testaménti, secúndùm illud Rom., «c. 3, v. 30, *unus Deus est, qui justi«ficat circumcisiónem ex fide, et præ«pútium per fidem*..... Lex vetus est «qüasi pædagógus puerórum, ut Após«tolus dicit ad Gal. 3. Lex áutem nova «est lex perfectiónis, quia est lex cha«ritátis, de qua Apóstolus dicit ad Co-

«loss. 3, *quòd est vínculum perfectió-*
«*nis.*»

484. Præcípua legis novæ, à véteri differéntia est, quòd nova vim habet justificándi, quam vetus non habébat. Primum probat passim S. Páulus, ut *epist. ad Rom.*, *c.* 1, *v.* 16, ínquiens: «Non «enim erubésco Evangélium: virtus enim «Dei est in salútem omni credénti, Ju-«dæo primùm et Græco.» Super quæ verba D. Thom., *lect.* 6 *in* c. 1 *ad Rom.*, ait: Per Evangélium homo conséquitur grátiam sanctificántem, et Evangélium perdúcit ad vitam ætérnam. Legem áutem Mosáycam non habuísse hanc justificándi virtútem, docet id. Apóstolus, *ibid. c.* 8, *vv.* 3 *et* 4, ínquiens: «Nam quod impossíbile erat legi, in «quo infirmabátur per carnem; Deus «Fílium suum míttens in similitúdi-«nem carnis peccáti, et de peccáto «damnávit peccátum in carne, ut justi-«ficátio legis implerétur in nobis.» Simíliter, *epist. ad Gal.*, *c.* 2, *v.* 16, inquit: «Sciéntes áutem, quòd non justi-«ficátur homo ex opéribus legis, nisi «per fidem Jesu Christi: et nos in Christo «Jesu crédimus, ut justificémur ex fide «Christi, et non ex opéribus legis: prop-«ter quod ex opéribus legis non justificá-«bitur omnis caro.» Et *cap.* 3, *v.* 11: «Quóniam áutem in lege (*id est vi legis*) «nemo justificátur apud Deum, mani-«féstum est: quia justus ex fide vivit.» Et *epist. ad Hebr.*, *c.* 7, *vv.* 18 *et* 19: «Reprobátio quidem fit præcedéntis man-«dáti, propter infirmitátem ejus, et «inutilitátem (*scilicet, ad justificán-«dum, et perducéndum in finem*): ni-«hil enim ad perféctum addúxit lex.» Nova áutem lex hanc vim habet talem justítiam conferéndi, quia habet præséntem Christum justítiæ fontem, qui pro peccátis nostris seípsum hóstiam óbtulit, et hâc «unâ oblatióne consum-«mávit in ætérnum Sanctificátos,» ut ait Páulus, *epist, ad Hebr.*, *c.* 18, *v.* 14. «Et salváre potest in perpétuùm acce-«déntes per semetípsum ad Deum: sem-«per vivens ad interpellándum pro no-«bis» ut ait id. Páulus, *ibid.*, *c.* 7, *v.* 25. Undè Joán., *c.* 1, *v.* 17: «Lex «per Móysen data est: grátia, et véri-«tas per Jesum Christum facta est.»

Hinc quotquot in lege véteri justificabántur, hanc justificatiónis grátiam consecúti sunt, non ex lege, sed ex órdine ad Christum, cui conjungebántur per fidem ut futúro Mediatóri, et totíus grátiæ fonti, et auctóri; ex quo in omnes sub quacúmque lege vivéntes, támquàm ex universáli ómnium hóminum Propitiatóre grátia derivávit, teste Apóstolo Petrò, *Act. c.* 4, *v.* 12, ajénte: «Non est in álio áliquo salus. Nec enim «áliud nomen est sub Cœlo datum ho-«minibus, in quo opórteat nos salvos «fieri.» *Et c.* 15, *v.* 11: «Sed per «grátiam Dómini Jesu Christi crédimus «salvári quemádmodùm et illi (*Patres vidélicet véteris Testaménti*) qui ut ait Páulus. *epist.* 1.ª *ad Cor.*, *cap.* 10, *v.* 4: «Omnes eúmdem potum spirítalem «bibérunt: (bibébant áutem de spirítali «consequénte eos petrâ: petra áutem «erat Christus.)»

485. Ália véterem inter ac novam legem differéntia est; quód vetus uni soli pópulo Judæórum data fuit, eúmque solum obligábat: at nova data est univérso géneri humáno, cui necessária est ad salútem. Undè Christus, *Marci*, *cap.* 16, *vv.* 15 *et* 16, ait: «Eúntes in «Mundum univérsum prædicáte Evan-«gélium omni creatúræ. Qui crediderit, «et baptizátus fúerit, salvus erit: qui «verò non crediderit, condemnábitur.»

486. Áliæ inter legem utrámque sunt differéntiæ, indicántes excelléntiam legis novæ supra véterem. Vetus enim

præscripta fuit à Deo, ministériò Angelórum, Moyse promulgatóre: nova verò immediátum Auctórem, ac Promulgatórem hábuit ipsum Filium Dei Jesum Christum. Vetus cum terróre in monte Sina fuit promulgáta: nova evulgári cæpit in die Pentecóstes, quò Spíritus S., cujûs characterística propriétas amor est, in Apostolórum corda sese efúndens, divínò amóre replévit. Tandem, lex nova excédit véterem, eò quòd ubi ista eam observántibus promittébat bona temporália in præmium, juxta illud Isáiæ, *cap.* 1, *v.* 19: «Si... au-«diéritis me, bona terræ comedétis:» illa suis sectatóribus Regnum, et vitam ætérnam pollicétur, juxta illud Páuli, *epist. ad Heb.*, *cap.* 7, *v.* 22: «Melióris Testaménti sponsor factus est «Christus,» et ratiónem assignans, *v.* 25, ait: «Undè et salváre in perpé-«tuum potest accedéntes per semetíp-«sum ad Deum.«

487. Schólion. Tot, tántaque in lege véteri fúerunt mandáta, ut ab Apóstolo, *epist. ad Ephes.*, *cap.* 2, *v.* 15, *Lex mandatórum* nuncupétur. Nihilóminùs præcépta in véteri lege conténta, generáliter ad tria génera revocántur, scílicèt, ad Morália, Cæremoniália, et Judiciália. Et rectè quidem; nam lex divína debet hóminem dirígere, ut benè se gerat erga Deum, et próximum. Hoc áutem fit dupliciter. Primò, per præcépta morália, quæ generátim docent, Deum esse coléndum, et cum próximo justítiam servándam. Secúndò per præcépta cæremóniália quibus determinántur speciáliter ritus et ceremóniæ, per quas coléndus sit Deus. Tértiò, per præcépta judiciália, quibûs statúitur qualiter sit inter hómines justítia servánda. Quarè præcépta cæremoniália, et judiciália nihil áliud sunt, quàm particuláres quædam determinatiónes præceptórum morálium, tum pro cultu divíno, tum pro justítia humána servánda. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ, *q.* 99.

Ex his suâ spónte fluit, ómnia præcépta morália pertinére ad jus naturále; cæremoniália verò, et judiciália, ad jus positívum spectáre. Prior pars tráditur à D. Thoma, 1.ª 2.æ *q.* 100, *art.* 1. Útraque áutem sic probátur. Rátio naturális dictat, Deum esse coléndum, et próximo non esse inferéndam injúriam; neque hoc mutári, aut abrogári potest. Vid. *num.* 440. At quibûs cæremóniîs coléndus sit Deus, et quibûs modîs coërcénda sit próximi injúria, pendet ex judício et potestáte Legislatóris. Undè præcépta morália ab ómnibus, quóvis témpore, observánda sunt; réliqua verò, solùm eò témpore, quò Legislátor vult, et ab iis, quos ipse ad hoc obligáverit.

Hinc fluit, legem véterem quoad præcépta judiciália, et cæremoniália fuísse abrogátam: quod et ex Scriptúris constat: nam *Luc.*, *c.* 16, *v.* 16 légitur: «Lex «et Prophétæ úsque ad Joánnem:» *epist. ad Gal.*, *c.* 3, *v.* 24: «Lex Pæ-«dagógus noster fuit in Christo: at ubi «venit fides; jam non sumus sub Peda-«gógo:» *epist. ad Hebr.*, *c.* 7, *v.* 12: «Translátò Sacerdótiò, necésse est, ut «et legis translátio fiat:» *epist. ad Rom.*, *c.* 6, *v.* 14: «Non estis sub lege, sed «sub grátia, etc. etc.»

Hæc áutem intélligi debent de lege quoad præcépta cæremoniália, et judiciália, non áutem quoad morália, cùm hæc sint juris naturális, adeóque immutabília, ac ea esse servánda, docet Christus, *Matth.*, *c.* 19, *vv.* 17, *et* 18. Vid. *D. Thom.*, 1.ª 2.æ *q.* 103, *art.* 3, et *quæst.* 104, *art.* 3.

Quò áutem témpore fúerit abrogáta lex vetus, et incæpit esse mortífera; récole tom. 1, hujus Óperis, num. 153.

TRACTÁTUS

DE DIVÍNA GRÁTIA.

Per legem quámlibet admonémur quidem, quid ágere debeámus; non tamen per quámlibet juvámur, ut id, quod ágere debémus, impleámus. Hinc, póstquàm de légibus pertractávimus, ordo doctrínæ póstulat, ut cùm D. Thoma, 1.ª 2.æ *quæst.* 109, agámus «de exte-«rióri princípio humanórum áctuum, «scílicet, de Deo, prout ab ipso per grá-«tiam adjuvámur ad recte agéndum.» Juvat tamen hic annotáre, Angélicum Præceptórem hîs suîs verbîs mínimè inténdere, quòd grátia intrínsecè non insit, et hómini non inhæreat, hoc enim Lutheránum esset: sed inténdere solùm quòd Deus, qui est grátiæ largítor, princípium est extérius, id est, extra hóminem.

CAPUT PRIMUM.

VÁRIÆ GRÁTIÆ ACCEPTIÓNES, AC EJUS PRÆCÍPUI HOSTES.

§ I.

Quid nómine Grátiæ intelligéndum véniat.

488. Nómine Grátiæ significántur Dona à Deo gratis, et liberáliter creatúræ rationáli collàta. Quia verò hujúsmodi Dona tríplicis géneris esse inveniúntur; ídeò triplex est Grátiæ acceptio. Primò ergo accípitur Grátia largè, et impróprié: hôc modô nómine Grátiæ significátur quodcúmque benefícium à Deo creatúræ rationáli gratis, et liberáliter collátum, sive ad natúram pertíneat, sive suprà natúram esse dignoscátur. Hinc D. Augustínus, *epist.* 177, scribit: «Quâdam non improbándâ ra-«tióne dícitur grátia Dei, quâ creáti su-«mus, ut nonníhil essémus; nec ita es-«sémus áliquid, ut cadáver, quod non

«vivit, aut arbor, quæ non sentit, aut «pecus, quod non intélligit; sed hó- «mines, qui et essémus, et viverémus, «et sentirémus, et intelligerémus: et «ed hoctanto benefício Creatóri nostro «grátias ágere valeámus: undè méritô et «ista, Grátia dici potest, quia non præ- «cedéntium aliquórum bonórum óperum «méritô, sed gratúitâ Dei bonitáte do- «náta est.» Vid. et D. Hieronym., *Epist.* 39.

Secúndò accípitur Grátia magis strictè, prout dicit áliquod donum, non quidem órdinem naturálem prorsùs súperans; sed tamen natúræ ex vi creatiónis, et conservatiónis indébitum. Tale fuit donum integritátis naturális primo hómini concéssum; et tália in státu natúræ lapsæ sunt quædam auxília intrà órdinem natúræ speciália, quæ Deus confert alíquibus ad áliqua ópera, órdinis quidem naturális, sed difficília, et relatè ad natúram lapsam indébita.

Tértiò demùm accípitur Grátia máximè próprié, pro benefício scílicet supra totum natúræ débitum, quò nedùm ad órdinem supernaturálem elevámur, verùm étiam dispónimur, et adjuvámur ad faciéndum ópera meritória, ut opórtet, ad vitam ætérnam consequéndam. Et hæc est próprié, ac theológicè Grátiæ acceptio, de qua in hoc Tractátu præcipuè actúri sumus.

§. II.

De præcipuis Grátiæ hóstibus.

489. Primus, qui contra Grátiam in apértum erúpit, fuit Pelágius, Mónachus, annô 412, qui hæresi Pelagiánæ nomen dedit. Ut rem páucis concludámus; Pelágius initiô suæ hæresis omnem omninò grátiam negávit; solámque natúram rationálem cum líbero arbítrio, esse grátiam sufficiéntem ad quodcúmque bonum opus ad vitam ætérnam condúcens asserébat. Deindè, aliquálem grátiam à natúra distínctam mussitáre cæpit: sed hanc non áliud esse quàm grátiam merè extérnam, nempè legem, doctrínam, et Christi exémplum. Póstea, grátiam áliquam intérnam visus est fatéri, in sola tamem illuminatióne intelléctûs sitam; quâ solâ, nullô áliô requisítô, voluntátem suîs víribûs posse ágere omne opus bonum, étiam, ut opórtet, ad vitam ætérnam obtinéndam, contendébat. Tandem, grátiam, et quidem supernaturálem ad velle bonum conféssus est; sed hanc, non necessáriam, sed solùm útilem, et ad majórem operándi facilitátem; eámque humánîs méritîs impetrári posse, asserébat. Damnátus fuit Pelágius cum suo erróre in Concílio Carthaginénsi, annô 412; in Diospolitáno, annô 415; in Milevitáno, annô 416; in plenário totíus Áfricæ, annô 417; in Ephesíno I, annô 431; ac demùm proscríptus fuit à Summis Pontifícibus Innocéntiô I, Zózimô, Bonifáciô, Sixtô, Leóne Magnô, Gelásiô, et Hormísdâ in sua ad *Possessórem* epístola.

490. Devíctô Pelágiô, ejúsque hæresî, áltera surréxit, quæ, quia Pelagiánæ appéndix et ramúsculus fuit, Semi-Pelagiána dicta est. Quidam ex Semipelagiánis, dogmatizárunt ex grátiæ necessitáte, fatálem quóque indúci necessitátem: quidam verò contendébant, non áliter posse líberum arbítrium cum gratia conciliári, nisi dicéndô, progréssum quidem in bonis opéribus ex grátia procédere; inítium tamen, máximè fídei, seu desidérium credéndi, non ex grátia, nec Dei donum, sed ex nobis esse. Vid. S. Hilar. *epist. ad August.*; et S. Prosp. *Cármine de Ingrátis, cap.* 13.

491. Hi hærétici, ut patet, líbero ar-

bítrio nímiùm condonántes, grátiæ divínæ detraxérunt. Cùm áutem error circa extréma vagári consuéverit, fuérunt, qui grátiam sic statuérunt, ut líbero arbítrio locum non relínquerent. Primi inter hos fuére áliqui ex Monastério Adrumentíno, témpore S. Augustíni. Hunc errórem, inter álios quamplúres, suscitávit Martínus Luthérus: asserébat enim, per peccátum originále extínctum fuísse in nobis líberum arbítrium ad bonum, ac solúmmodò mansísse determinátum ad malum. Hinc ajébat, líberum arbítrium ad bonum in nobis esse *rem de solo titulo, seu titulum sinè re.* Ex hoc deducébat, omnem nostram intellectiónem esse errórem, omnem nostrum afféctum esse peccaminósum, omnémque nostram actiónem, peccátum. Hinc pergébat dícere, líberum arbítrium, dum recipiébat actum à Deo in ipso produ̇ctum, nihil ágere, sed merè passívè se habére: ópera bona, non ex nobis prodíre, sed extrínsecâ applicatióne passiónis, meritorúmque Christi, nobis imputári; ádeò ut, secúndùm Luthérum, injúriam irrogáret Redemptóri, qui benè ágere, et pœniténtiæ vacáre conténderet, cùm, juxta ipsum, sufficiat crédere, per extérnam imputatiónem meritórum Christi nobis peccáta esse remíssa. Hæc áutem ómnia, anathémate confíxit Tridentínum, *Sess.* 6, *Can.* 4, 5, 11, etc.

492. Calvínus verò, estò non tantâ impudéntiâ, ut Luthérus, díceret, líberum arbítrium ad bonum à nobis esse pénitùs sublátum; revérà tamen solum arbítrii nomen admísit, ásserit enim, illud sub grátia pósitum, non líberâ electióne ágere, sed necessitáte, à grátia Dei movéri, sicut équus à sessóre movétur.

493. Circa hanc matériam erravérunt étiam Bajus, cujûs, inter álias, damnávit propositiónes 39, 66, et 67, annô 1567, S. Pius V; et Jansénius, cujûs propositiónes proscríptæ fuérunt ab Innocéntio X, annô 1653; ab Alexándro VII, annô 1656; ab Innocéntio XII, et Cleménte XI; Bajáni enim, et Jansenístæ in statu natúræ lapsæ solam libertátem à coactióne, non verò libertátem indifferéntiæ, seu, à necessitáte, admisérunt. Vid. tom. 1, hujus Óper. à num. 466.

494. Cathólici ergo stúdium esse debet, ut ab hæréticis recédat, líberum arbítrium ab bonum non esse extínctum per peccátum originále asseréndò contra Luthérum, et contra Calvínum; et contra Bajum, et Jansénium propugnándò líberum arbítrium in præsénti státu natúræ corrúptæ gaudére libertáte, nedùm à coáctióne, sed et à necessitáte; seu, libertáte gaudére indifferéntiæ, quæ à nobis adimpléta sunt supra à num. 90; et tandem grátiæ necessitátem ad bona ópera asseréndò contra Pelagiános, ac Semi-pelagiános. Hinc sit

CAPUT II.

DE NECESSITÁTE GRÁTIÆ.

495. Prælibáre opórtet, nos hìc solùm inténdere pertractáre de opéribus bonis ad órdinem supernaturálem spectántibus, cujúsmodi sunt ópera justórum vitæ ætérnæ meritória, et nonnúlla étiam bona ópera peccatórum, quibûs ad conversiónem disponúntur. Sit ergo

I. CONCLÚSIO.

Ad inítium, progréssum, et consummatiónem boni óperis supernaturális, necessária est divína grátia.

496. Prob. 1.° ex Sacris Lítteris. Isáiæ, *c.* 26, *v.* 12, légitur: «Ómnia «ópera nostra operátus es nobis,» quæ verba potiórî jure de opéribus supernaturálibus intélligi debent; cùm ipsa vires súperent natúræ, quô pactô, supernaturália appellántur. Apóstolus, *epist. ad Rom.*, *cap.* 9, de opéribus supernaturálibus loquens, *v.* 16, inquit: «Non «voléntis, neque curréntis, sed mise«réntis est Dei:» Atqui, qui íncipit, qui progreditur, qui consúmmat bonum opus supernaturále, vult, et currit: Ergo, hæc ópera supernaturália cùm ab hómine eliciúntur, non nisi sub influxu divínæ grátiæ eliciúntur, adeóque necessária est divína grátia.

Invictíssimum est étiam illud argumèntum, quod Apost. Páulus suppéditat, *epist.* 1.ª *ad Cor.*, *c.* 4, *v.* 7, inquiens: «Quid habes, quod non acce«písti? Si áutem accepísti, quid gloriá«ris, quasi non aceéperis?» Ex quibus verbis sic argüimus: Si vel inítium, vel progréssus, vel consummátio óperis supernaturális à nobis, sinè grátiæ adjutório, procéderet, jam áliquid in órdine supernaturáli haberémus non accéptum à Deo, et de quo proindè possémus gloriári: Atqui, secúndùm Apóstolum, nihil tale habémus: Ergo, Apóstolô teste, ad inítium, progréssum, et consummatiónem boni óperis supernaturális necessária est grátia. Hinc id. Apóstolus, *epist.* 2 *ad Corint.*, *c.* 3, *v.* 5: «Non «quòd sufficiéntes simus cogitáre áli«quid à nobis, quási ex nobis: sed suf«ficiéntia nostra ex Deo est.» Quo ex loco S. August., *lib. de Prædest. SS.*, *c.* 2, ita argumentátur: «Atténdant «hîc, et verba ista perpéndant, qui pu«tant ex nobis esse fídei cæptum, et ex «Deo esse fídei suppleméntum. Quis «enim non vídeat, priùs esse cogitáre, «quàm crédere? Nullus quippe credit «áliquid, nisi priùs cogitáverit esse cre«déndum.» Ergo, ad inítium boni óperis supernaturális est necessária grátia; prout et est necessária ad ipsíus progréssum, et consummatiónem. Nam qui progréditur, et consúmmat bonum opus supernaturále, ad Deum vadit, quod útique nemo potest ábsque Dei grátia, cùm Christus, *Joán.*, *c.* 4, *v.* 44, ex-

préssè testétur. «Nemo potest veníre «ad me, nisi Pater, qui misit me, trá- «xerit eum.» Supersedémus à novis Sacræ Scriptúræ locis in médium adducéndis; cùm hocce argumèntum latè prosecúti simus Tom. 2, hujus Óperis à número 367, usque ad num. 380.

497. Sacræ Scriptúræ testimóniis accédunt Concília. Concílium Arausicánum, *Can.* 3, hæc habet: «Si quis si- «cut augméntum, ita étiam et inítium «fídei, ipsúmque credulitátis afféctum, «quô in eum crédimus, qui justificat ím- «pium... non per grátiæ donum, id est, «per inspiratiónem Spíritûs S., corri- «géntem voluntátem nostram ab infide- «litáte ad fidem, ab impietáte ad pietá- «tem; sed naturáliter nobis inésse, di- «cit, apostólicis dogmátibus adversárius «approbátur:» Et *Can.* 7: «Si quis «per natúræ vigórem bonum áliquod, «quod ad salútem pértinet vitæ ætérnæ, «cogitáre, ut éxpedit, aut elígere, sive «salutári, id est, Evangélicæ prædica- «tióni consentíre posse confírmat, ábs- «que illuminatióne, et inspiratióne Spí- «ritûs S., qui dat ómnibus suavitátem «in consentiéndo, et credéndo veritáti; «hæréticô fállitur spíritû.» Quod étiam confirmátum est à Concílio Tridentíno, *Sess.* 6, *can.* 3, his verbis: «Si quis «díxerit, sinè præveniénte Spíritûs S. «inspiratióne, atque ejus adjutóriô hó- «minem crédere... posse, sicut opórtet, «ut ei justificatiónis grátia conferátur; «anáthema sit.» Conclúdimus cum Concílio Arausicáno, *Can.* 19, aiénte: «Natúra humána, étiam si in illa inte- «gritáte, in qua cóndita est, perma- «néret, nullô modô se ipsam, Creatóre «suô non adjuvánte, serváret. Undè «cùm sinè grátia Dei salútem non possit «custodíre, quam accépit, quómodô si- «nè Dei grátia póterit reparáre quod «amísit?» Pelagiánis áutem dicéntibûs, grátiam esse necessáriam tantùm ut facíliùs ópera eliciámus supernaturália occúrrit, eósque damnat Concílium Tridentínum, *Sess.* 6, *Can.* 2, ínquiens: «Si quis díxerit, ad hoc solùm divínam «grátiam per Christum Jesum dari, ut «facíliùs homo justè vívere, ac vitam «ætérnam promeréri possit: quasi per «líberum arbítrium sinè grátia utrúm- «que, sed ægrè tamen, et difficúltèr «possit; anáthema sit.»

498. Quæ hùc úsque propugnávimus, compléxus est D. Thomas, 1.ª 2æ *quæst.* 109, *art.* 2, ínquiens: «Virtúte «gratúitâ superádditâ virtúti natúræ in- «digébat homo in státu natúræ íntegræ «quantùm ad unum, scílicèt, ad ope- «rándum, et voléndum bonum superna- «turále; sed in státu natúræ corrúptæ «quantùm ad duo, scílicèt, ut sanétur, «et ultériùs, ut bonum supernaturális «virtútis operétur, quod est meritó- «rium. Ultériùs áutem in utróque státu «índiget homo auxíliô divínô, ut ab ipso «moveátur ad benè agéndum.»

499. Ópera supernaturália, de quibus lóquimur, sunt média ducéntia ad vitam ætérnam assequéndam: vita áutem ætérna est ex grátia, juxta illud Ap., *ad Rom.*, *c.* 6, *v.* 23. *Grátia Dei, vita ætérna:* Ergo, et média ad vitam ætérnam ducéntia, étiam debent esse ex grátia, cùm finis, et média débeant ad eúmdem órdinem pertinére.

500. Tandem, finem appónimus probatiónibus hujúsce Conclusiónis, hôc argumèntô. Sive per inítium, sive per progréssum, sive per consummatiónem boni óperis supernaturális, efficimur melióres. Atqui, sinè grátia nulla creatúra potest seípsam fácere meliórem: Ergo, sive ad inítium, sive ad progréssum, sive ad consummatiónem boni óperis supernaturális requíritur grátia. Prob. min. ex D. Augustíno. *l.* 12, *de Civit.*

Dei, *c.* 9, dicénte : «Ángeli non potué-«runt fácere seípsos melióres, quàm eos «ille fécerat, quò nemo quídquam mélius «facit, proféctò et bonam voluntátem «quâ melióres essent, nisi operánte ad-«jutório Creatóris, habére non potué-«runt.» Ergo, à fortióri, néquëunt hómines seípsos melióres fácere, nisi oporánte adjutório Creatóris, seu sinè ejus grátia. Undè id. August. ibid. «Confi-«téndum est ígitur cum débita láude «Creatóris non ad solos sanctos hómi-«nes pertinére, verùm étiam de sanctis «Ángelis posse dici, quòd Cháritas Dei «diffússa sit in eis per Spíritum Sanc-«tum, qui datus est eis.»

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

501. Obj. 1.° Homo ex própriis víribus potest Deum oráre ad impetrándum ab ipso auxílium necessárium ad benè operándum; undè Régius Vates in psalm. 87, ajébat : «Manè oratio mea prævé-«niet te :» Ergo, saltem homo potest ex se habére áliquod initium boni óperis.

Resp. Dist. antecéd. Manè oratio mea prævéniet te, quoad ópera, quæ oratiónem subsequántur, concédo, quantùm ad ipsam oratiónem neg. Hanc solutiónem mutuámus ex D. August. *epist.* 194, *c.* 4, dicénte: Etiam ipsam oratió-«nem inter múnera grátiæ reperíri. Quid «enim orémus, ait Doctor Géntium, si-«cut opórtet, nescímus ; sed ipse Spíri-«tus interpéllat pro nobis, gemítibûs ine-«narrabílibûs. Quid est áutem interpél-«lat, nisi interpelláre nos facit?»

502. Obj. 2.° Plura sunt Sac. Litterárum testimónia, quibûs declarátur, initium boni óperis, non à Deo, sed à nobis procédere : sic *lib.* 2 *Paralipom. cap.* 15, *v.* 2, dícitur : «Dóminus vobis-«cum, quia fuístis cum eo:» à nobis ergo procédere debet esse cum Deo, ut Deus sit nobíscum. *Psal.*, 80, *v.* 11, ipse Dóminus nobis dicit: «Diláta os tuum, et im-«plébo illud:» Ergo, nostrum est dilatáre os, ut grátiâ Dei impleátur. *Psalm.*, 118, légitur : «Os meum apérui, et at-«tráxi spíritum, quia mandáta tua desi-«derábam :» Ergo, hoc desidérium mandatórum Dei, et aperíre os nostrum, præcédunt advéntum Spíritûs, seu grátiæ Dei in nobis. Zacharíæ, *cap.* 1, *v.* 3: «Convertímini ad me... et convér-«tar ad vos:» et *Proverb. cap.* 16, *v.* 1: «Hóminis est ánimam præparáre:» Ergo, convérti ad Deum, et præparári ad grátiam, quæ quidem sunt inítia boni óperis supernaturális, nostrum est. Plura ália insuper hujúsce géneris testimónia afférri possent.

Respondémus cum S. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 109, *art.* 6, *ad* 1, post S. August., *de Grat. et Lib. Arb. c.* 15, et *lib.* 2, *ad Bonif.*, *c.* 9, hæc ómnia, alíaque simília Scriptúræ loca significáre tantùm, conversiónem ad Deum fieri quidem per líberum arbítrium; mínimè verò significáre, líberum arbítrium posse sinè Dei grátia seípsum ad illum convértere. Hinc, eædem Sacræ Litteræ divérsis in locis, non solùm óperis boni consummatiónem, sed étiam ipsíus inítium, et ipsam hóminis præparatiónem ad grátiam adscríbunt Deo, qui est ómnium bonórum largítor. Sic, cùm in *Psalm.* 80, dicátur: «Diláta os tuum» etc. ; ita in *Psalm.* 50, habétur : «Dómine, lábia «mea apéries.» Quemádmodùm Zachárìæ, *c.* 1, dicit Dóminus : «Convertí-«mini ad me» etc. ita ab oppósito in *Psalm.* 79 admonémur , nos debére ad Deum dícere : «Deus virtútum convérte nos;» et Hierem. *cap.* 31, *v.* 18: «Convérte , et convértar... póstquàm «enim convertísti me, egi pœniténtiam:» ac Thren., *cap. ult.*, *v.* 21 : «Convérte

«nos, Dómine, ad te, et convertémur.» Undè Concíl. Trident., *Sess.* 6, *dejustifi. cap.* 5, inquit: «In Sacris Lítteris, «cùm dícitur: Convertímini ad me, et «Ego convértar ad vos, libertátis nostræ «admonémur; et cùm respondémus: «Convérte nos, Dómine, ad te, et conver«témur, Dei nos grátiâ prævenîri confi«témur.» Si Christus Dóminus útique nos hortátur *Luc.*, *cap.* 11, ad quæréndum, pulsándum, peténdum; Apóstolus tamen nos monet, id non fieri sinè Spíritûs S. grátiâ; nam *epist. ad Rom.*, *cap.* 8, inquit: «quid orémus, sicut opórtet, «nescímus; sed ipse Spíritus póstulat pro «nobis gemítibûs inenarrabílibûs:» et *epist.* 1.ª *ad Cor.*, *cap.* 12, *v.* 3, inquit: «Nemo potest dícere, Dóminus Jesus, «nisi in Spíritu S.» Ezech., *cap.* 18, *v.* 31, præcéperat Deus: «Fácite vobis «cor novum, et spíritum novum;» post áutem, id non obtinéri, nisi ipsô Deô donánte, declárat idem Prophéta, *cap.* 36, *v.* 26, dicens: «Dabo vobis cor novum, «et spíritum novum ponam in médio ves«trî: et áuferam cor lapídeum de carne «vestra, et dabo vobis cor cárneum. Et «(v. 27) spíritum meum ponam in mé«dio vestri: et fáciam ut in præcéptis «meis ambulétis, etc. etc.»

503. Apóstolus Páulus, *epist. ad Rom.*, *cap.* 7, *v.* 18, inquit: «Velle ad«jácet mihi, perfícere áutem bonum non «invénio:» scílicèt, ut explicábat Cassiánus, *Collat.* 13, *cap.* 9, ex nobis bonárum voluntátum pródeunt princípia, quæ tamen nisi à Deo dirigántur, ad consummatiónem virtútum pervenire non póssumus.

Resp. cum S. Próspero contra *Collat. cap.* 4, non quem expónit Cassiánus, sed hunc esse Apóstoli sensum, ut «cùm «donátum nobis fúerit bonum velle, non «státim inveniámus et fácere, nisi pe«ténti bus, quæréntibus, atque pulsánti«bus; qui dedit desidérium, præstet «efféctum.» Cæterum, idem Apóstolus, *epist. ad Philipp.*, *cap.* 2, *v.* 13, inquit: «Deus est, qui operátur in vobis «velle, et perfícere.»

504. Scriptúræ nonnúlla exémpla suppéditant eórum, qui suîs bonîs opéribûs priúsquàm grátiâ fuíssent donáti, grátiam à Deo promeruére. Sic Cornélius Centúrio refértur suîs eleemósynîs, et oratiónibûs promeruísse admonéri ab Ángelo, ut Petrum accérseret, à quo de Evangélio edocerétur: *Act. Apost.*, *cap.* 10. Secúndò, Zachæus, Publicanórum Princeps, desidériô vidéndi Christum, ipsum domi suæ hóspitem, et Salvatórem habére proméruit: *Luc.*, *cap.* 19. Undè S. Ambrósius, *lib.* 1.º *de Cain et Abel*, *cap.* 8, ait: «Stúdiô suô eam Dó«mini grátiam impetrásse.» Tértiò, idem dici potest de beáto illo Latróne, qui ob Christi auxílium invocátum: «Dómine, «meménto mei etc.» audíre méruit: «Hódiè mecum eris in Paradíso:» *Luc.*, *cap.* 23. Quartò, Christus Dóminus Centuriónis fidem admírans, et láudans, dicébat, *Matt.*, *cap.* 8, *v.* 10: «Non in«véni tantam fidem in Israël:» Si áutem illa fides fuísset donum Dei, pótiùs Christus dícere debuísset: «Non dedi «tantam fidem in Israël:» et tunc nulla fuísset, vel admiratiónis, vel láudis cáusa. Hîs exemplîs abutebátur Cassiánus, ut probáret áliquod fídei inítium in nobis grátiam præcédere. Vid. *Collat.* 13.

Resp. Negándô áliquem ex his, aut álîs, qui similiter afférri possent, solis suîs víribûs, et sinè Dei auxílio, opus supernatúrale ad salútem ducens, elicuísse: Concílium enim Arausicánum II, *Can.* 25, inquit: «Manifestíssimè cre«déndum est, quòd et illíus Latrónis, «quem Dóminus ad Paradísi pátriam «evocávit; et Cornélii Centuriónis, ad «quem Ángelus Dómini missus est; et

«Zachæi, qui ipsum Dóminum suscípere «méruit, illa tam admirábilis fides, non «fuit de natúra, sed divínæ largitátis do«num.» Et quidem Cornélium Centuriónem áliquam habuísse fidem in Christum, quandò orábat, et eleemósynas elargiebátur, pro certo habet S. Augus., *lib. de Præd. SS.*, *c.* 7 ; et post ipsum S. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 10, *art.* 4, *ad* 3. Zachæum, étiam, et Latrónem fuísse Dei grátiâ prævéntos, osténdit S. Prosper contra Collat., *c.* 6.

Símilî modô, verba S. Ambróssii in argumento addúcta, de Zachæi stúdio intelligénda sunt, non seclúsâ Dei grátiâ, sed eádem præveniénte excitátô ; nam idem S. Parens eódem libro cap. ult. inquit: «Quidquid sanctum cogi«táveris, Dei munus est, Dei inspirátio, «Dei grátia.»

Verba à Christo de Centuriône dicta, et in argumento citáta, debent cohæréntèr expóni ad ália ejúsdem Christi verba, quibûs sæpiùs grátiæ necessitátem, et efficáciam osténdit, ut cùm dixit Joán., *c.* 6, *v.* 43: «Nemo potest «veníre ad me, nisi Pater meus tráxerit «eum:» et ibid., *v.* 66: «Nemo potest «veníre ad me, nisi datum fúerit á Pa«tre meo.» (Vid. dicta *num.* 502.) Quibûs luce meridiánâ clárius appáret, fidem Centuriónis totam fuísse donum grátiæ divínæ, quâ tamen non tóllitur humánum arbítrium, ac proindè, nec tóllitur laus et præmium; ita tamen, ut qui gloriátur, non in seípso, sed in Dómino gloriétur, ut monet Apóstolus.

505. Obj. 3.° Matth., *c.* 25, *v.* 15, Christus significat grátiæ suæ distributiónem sub Parábola hóminis péregrè proficiscéntis, qui «uni dedit quinque «talénta, álii áutem duo, álii verò unum, «unicuíque secúndùm própriam virtu«tem:» super quæ verba inquit S. Hilárius: «Non ad dividéntem referénda «divérsitas est: ait enim unumquémque «secúndùm virtútem suam accepísse:» Ergo, unusquísque ex se habet virtútem, quæ est inítium gratiárum, quas áccipit.

Resp. Neg. conseq. Edocémur enim à D. Thom., 2.ª 2.æ *q.* 24, *art.* 3, *ad* 1: «Quòd illa virtus secúndùm quam «sua dona Deus dat unicuíque, est dis«posítio, vel præparátio præcédens, sive «conátus grátiam accipiéntis. Sed hanc «étiam dispositiónem, vel conátum præ«venit Spíritus Sanctus movens mentem «hóminis vel plùs, vel minùs, secún«dùm suam voluntátem. Undè et Após«tolus dicit ad Coloss. c. 1, v. 12: Qui «dignos nos fecit in partem sortis Sanc«tórum in lúmine.»

Hanc fuísse Hilárii mentem, declárat ipse S. P. nam ibídem proséquitur: «Igitur unusquísque secúndùm fídei suæ «mensúram taléntum... suscépit.» Fides áutem non acquíritur propriîs víribûs, sed donum Dei est, et grátiâ comparátur: Ergo, cùm Hilárius ait: «unum«quémque secúndùm suam virtútem «accepísse,» non exclúdit grátiam.

506. Obj. 4.° Apóst. Páulus, *epist. ad Rom.*, *c.* 2, *v.* 14, inquit: «Gentes «quæ legem non habent, naturáliter ea, «quæ legis sunt, fáciunt:» Ergo, sinè grátia per solam natúram possunt divína mandáta adimpléri, seu bona ópera ad salútem ducéntia, fíeri. Ita argumentabántur Pelágius, et Cassiánus.

Resp. Dist. antecéd. Gentes... *naturáliter*, id est, sepósitâ grátiâ, ea, quæ sunt legis, fáciunt, neg.: *naturáliter*, id est, per natúram reparátam, et confortátam per grátiam, concéd. Hôc pactô expónit verba Apóstoli S. Thomas, *lect.* 3, in hunc locum, inquiens: «Ex«ponéndum est ly naturáliter „id est, «per natúram grátiâ reformátam; lóqui«tur enim de Géntibus ad fidem con-

«vérsis, quæ auxíliò grátiæ Christi cæ-«perant morália legis serváre. Vel po-«test dici naturáliter, id est, per legem «naturálem, ostendéntem eis, quid sit «agéndum... Et tamen non exclúditur, «quin necessária sit grátia ad movén-«dum affléctum: sicut étiam per legem «est cognítio peccáti (ut dícitur Rom. «c. 3, v. 20), et tamen ultériùs, requí-«ritur grátia ad movéndum affléctum:» (scílicèt, ut detestétur peccátum cógnitum per legem). Hanc suam doctrínam háusit Angélicus à S. Augustíno, qui *lib. de Spirit. et litt., cap.* 27, hunc Apóstoli locum éxplicans, inquit: «Non «quòd per natúram negáta sit grátia, «sed pótiùs per grátiam reparáta natú-«ra:» et ex S. Próspero, qui contra Col-latórem, *c.* 10, inquit: «De his Após-«tolus lóquitur, in quorum córdibus «Deus dígitô suô, id est, Spíritù Sanctô, «scribit novum testaméntum, ut legis «plenitúdinem, et ópera charitátis na-«turáliter exequántur, reformátâ, scíli-«cét, renovatâque natúrâ.»

507. Instábis contra allátam textûs Apóstoli interpretatiónem. Apóstolus lóquitur de géntibus, *quæ legem non habébant:* Atqui, gentíles ad fidem Christi convérsi legem útique habébant, nempè legem Christi: Ergo, Apóstolus non lóquitur de géntibus ad fidem Christi con-vérsis, sed de géntibus idolólatris.

Resp. Dist. maj. Apóstolus lóquitur de géntibus, quæ legem non habébant extériùs scríptam in membránis, conc. non scríptam intûs in córdibus, neg. et distinctióne applicátâ min. neg. conseq. Fuérunt équidem gentíles, qui Christi advéntum præcessére, ut Job, Melchisedéch, Ninivítæ etc. et qui certè nullam legem habébant extériùs scríptam in chartis; ea tamen quæ legis sunt, salutárî Christi grátiâ faciébant, ea habéntes in córdibus eórum scripta, ipse enim Apóstolus, *ib. v.* 15, ait: «Qui ostén-«dunt opus legis scríptum ín córdibus «suis.» Quáliter áutem fuérunt hujus géneris gentíles ante Christi advéntum, nulli legi extériùs in chartis scríptæ obstricti, tales et fuérunt gentíles post Christi advéntum ad ejus fidem convér-si, hi enim obstringebántur solúmmodò et legi naturáli, quæ, non extériùs, sed intériùs in eórum córdibus erat scrípta, et legi christiánæ, quæ nondùm erat extériùs scriptô mandáta. Undè Apóstolus de hujúsmodi géntibus ad Christum convérsis méritò dícere pótuit, quòd le-gem, nempè extériùs scríptam, non habébant. Quaprópter dúcimus non esse audiéndos, qui volunt Apóstolum in ver-bis in objectióne allátis loqui de génti-bus idolólatris, cùm áliter séntiant ne-dùm SS. Doctóres, Augustínus, et Tho-mas, quos num. præceden. addúximus, verùm étiam, Ambrósius, Prosper, Ful-géntius, Hugo, Lombárdus, Herbæus, Carthusiánus, alíque quamplúres, ut vidére licet apud Estium Comment. in allátum Apóstoli locum, quorum mentem expréssit S. Joánnes Chrysóstomus, *ho-mil.* 5.ª *in epist. ad Rom.*, ínquiens: «Gentíles hic appéllat (*Apóstolus*) non «eos, qui idolólatræ essent, sed eos, qui «Deum cólerent, qui natúræ legi paréns-«tes, excéptis Judáicis cæremóniis, ea «tantùm, quæ ad pietátem conférrent, «observárent, qualis erat Melchisedéch «cum suis ómnibus; qualis erat Job; «quales erant Ninívitæ; qualis erat Cor-«nélius.» Qui plura desíderet in hu-jus rei confirmatiónem, ádeat Éstium loc. cit. et Natal. Alex. in *sæc.* 5, *Dis-ser.* 22.

508. Obj. tandem: Illud célebre axíoma: «Faciénti quod in se est, Deus «non dénegat grátiam:» Ergo, solîs ví-ribûs natúræ, potest se homo ad grátiam præparáre.

Resp. Dist. antecéd. Faciénti quod est in se víribûs grátiæ, Deus non dénegat ulteriórem grátiam, concéd.: faciénti quod est in se solis víribûs natúræ, Deus non dénegat grátiam, neg. Opórtet in hac solutióne explanándâ diútiùs immorári, ne ex hoc princípio, scílicet: *faciénti quod est in se*, etc. prævè intelléctô, ansa detur erróri.

Ut vidére licet in 2 *Sentent.*, *Dist.* 26, § 34, fuérequidem Scholástici, qui fatebántur, grátiam Dei própriè méritis nostris non reddi: contendébant tamen, posse nos saltem de cóngruo, et per modum alicújus dispositiónis, sive propínquæ, sive remótæ, grátiam áliquâ ratióne meréri, et impetráre. Hinc, célebre, et usitatíssimum illud princípium: «Faciénti quod in se est Deus non dé«negat grátiam,» intelligébant de eo, qui solîs natúræ víribûs benè operátur, et ad salútem obtinéndam conátur; ipsis enim cóngruum videbátur, quód Deus áliquam istórum conátuum hábeat ratiónem, eísque suppétitias ferat.

P. Ludovícus Molína in Concord., *quæst.* 14, *art.* 18, *Disp.* 10, et álibi, vidétur admíttere áliquid bonî in nobis præcédere, ratióne cujûs Deus áliquò modò moveátur ad grátiam elargiéndam.

Molínam séquitur quidem Léssius cum nonnúllis áliis; major tamen Molinistárum pars, Ducis sui vexíllum hac in parte deséruit.

Hocce Molínæ systéma, et aliórum Scholasticórum, quos suprà memorávimus, profectò non esse probándum, nostrámque solutiónem supériùs addúctam esse tenéndam, hîsce evíncimus moméntis.

509. Tantùm abest, ut áliquid bonî in nobis præcédat, ratióne cujûs Deus quocúmque modô moveátur ad grátiam elargiéndam, ut pótiùs Scriptúra Sacra passìm testétur, Deum nos aberrántes quærere. Id exprímitur tum in Parábola ovîs pérditæ, *Luc.*, *c.* 15; tum in hîs verbîs Isáiæ, quæ Páulus répetit, *epist. ad Rom.*, *c.* 10, *v.* 20: «Invéntus sum «à non quæréntibus me, palàm appárui «iis, qui me non interrogábant:» quod ipsa experiéntia mirificè confírmat, ut in Apóstolo Páulo, «quem invénimus si«nè ullis méritis bonis, imò cum mul«tis méritis malis, Dei grátiam conse«cútum, redditis bonum pro malis,» ut inquit S. Augustínus, *lib. de Grat. et lib. arbitr.* Idem de Matthæo, et de plúribus áliis dici potest, qui cùm omnî maleficiórum, et scélerum génere pasceréntur, à Deo tamen misericórditer vocáti, et justificáti sunt, dum intéreà multi álii certè minùs scelésti, fuérunt, justô Dei judiciô, in peccáto relícti. Vid. S. August., *lib.* 1.° *de peccat. mér.*, *cap.* 22, et *lib.* 1.° *ad Simpl.*, *q.* 2.ª; nec non S. Prosp. contra Collatórem, *cap.* 6.

Et revérà, Sacræ Lítteræ grátiæ largitiónem ab uno Dei voluntátis beneplácitô répetunt, nullâ úmquàm, vel óperum nostrórum naturálium, vel pacti Christum inter ac suum Divínum Patrem iníti ad grátiam largiéndam benè suîs víribûs naturálibûs uténtibus, factâ mentióne. Apóstolus síquidem, *epist.* 2.ª *ad Timoth.*, *cap.* 1.°, *v.* 9, inquit: «Deus nos liberávit, et vocávit vocatióne «suâ sanctâ, NON SECÚNDUM ÓPERA «NOSTRA, sed secúndùm propósitum «suum, et grátiam.» Ib., *cap.* 3, *v.* 5: «Non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus «nos, sed secúndùm suam misericór«diam salvos nos fecit.» *Epist. ad Rom.*, *cap.* 9, *v.* 11: «Ut secúndùm electió«nem propósitum Dei manéret, non ex «opéribus, sed ex vocánte dictum est ei, «quia major sérviet minóri:» Et ibid. *v.* 18: «Cujûs vult miserétur, et quem

«vult indúrat.» Ultériùs, homo respéctû «grátiæ comparátur in Scriptúris modò, «luto in manu figuli,» *epist. ad Rom.*, *cap.* 19, *v.* 21; modò, «terræ áridæ,» ut *psalm.* 142, *v.* 6: «Ánima mea, si- «cut terra sinè aqua tibi;» modò, comparátur hómini mórtuo; *epist. ad Coloss.*, *cap.* 2, *v.* 13. Hæc áutem planè ad óculum demónstrant, ita grátiæ collatiónem à sola Dei voluntáte pendére, ut nullum in nobis præcédat méritum, nulla ad grátiam dispositio, núllave ex parte Dei promíssio, aut pactum dandi grátiam his, qui víribûs natúræ bona elíciant ópera naturália.

510. Hinc Concílium Arausicánum II, *Can.* 3, hæc habet: «Si quis invocatió- «ne humánâ grátiam Dei dicit posse «conférri, non áutem ipsam grátiam fa- «cere, ut invocétur à nobis, contradícit «Isáiæ, cap. 65, vel Apóstolo idem di- «cénti Roman. cap. 10, v. 20. Invén- «tus sum à non quæréntibus etc.» et *Can.* 4: «Si quis, ut à peccáto pur- «gémur, voluntátem nostram Deum ex- «pectáre conténdit..... resístit Spíritui «S. per Salomónem dicénti (*Proverb.* «*cap.* 7, *secúndùm versiónem Septua- «ginta*), præparátur volúntas à Dómi- «no:» et tandem, *Can.* 6: «Si quis si- «nè grátia Dei credéntibus, voléntibus, «desiderántibus, conántibus, laboránti- «bus, vigilántibus, studéntibus, peténti- «bus, quæréntibus, pulsántibus nobis mi- «sericórdiam dicit conférri divínitùs..... «resístit Apóstolo dicénti: Quid habes, «quod non accepísti?»

His in locis, ut patet, nulla mériti ex parte nostra, nullúsve pacti ex parte Dei, habétur méntio; sed generátim docétur, grátiam non conférri intúitû alicújus óperis à nobis, per vires naturáles, procedéntis. Id quod apértè érui vidétur ex Concílio Tridentíno, *Sess.* 6, *cap.* 5, ubi declárat, «justificatiónis «exórdium in adúltis à Deo per Chris- «tum Jesum, præveniénte Dei grátiâ «suméndum esse..... ut qui per peccáta «à Deo avérsi erant, per ejus excitán- «tem, atque adjuvántem grátiam ad «converténdum se ad suam ipsórum jus- «tificatiónem..... disponántur.» Malè áutem, justificatiónis exórdium à Dei grátia præveniénte repeterétur, si istam áliqua ália dispositio præcéderet, vel áliquid cujuscúmque géneris, ratióne cujûs Deus ad conferéndam suam grátiam, moverétur. Vid. P. Antonin. Reginál- dus *de mente Concílii Trident*, *P.* 1, *c.* 26.

511. Quam sustinémus solutiónem haurímus étiam ex SS. PP. præsértim ex Augustíno, quô nemo méliùs, et profúndiùs rem hanc ad trútinam revocávit, et quô duce, Ecclésia contra inimícos grátiæ Christi pugnávit, et vicit. Augustínus áutem semper, et ubíquè, à propósito divínæ voluntátis, prædestinatiónem, et grátiæ largitiónem répetit, núnquàm verò, ab humánæ voluntátis dispositióne; et quotiescúmque recúrrit quæstio, quare iste trahátur grátiâ Dei, alter non trahátur; quare uni detur, álteri verò denegétur fides; quare quidam habeant perseverántiæ donum, álii verò non hábeant, non áliam solutiónem invénit, nisi cum Apóstolo exclamándo: «O altitúdo divitiárum sapiéntiæ, et «sciéntiæ Dei, quàm incomprehensibília «sunt judícia ejus, et investigábiles viæ «ejus!» Undè, *epist.* 194, ajébat S. Parens: «Cur áutem illum pótiùs, quàm «illum líberet, aut non líberet, scrutétur, qui potest, judiciórum ejus tam «magnum profúndum; verúmtamen cá- «veat præcipítium.» Id quod cénties álibi répetit. Frustrà áutem hæc ómnia díceret Augustínus, si verum esset, Deum illis grátiæ suæ dona largíri, qui fáciunt, quod in se est, ex natúræ víri-

bus. Hôc enim semel constitûtô principiô, salus nostra in uníuscujúsque manu pósita esset, ac à nostræ voluntátis nutu, tota salvandórum, damnandorúmve radicális differéntia foret repetênda.

S. Thom. fidelíssimus S. Augustíni Intérpres, ac discípulus, 1.ª 2.æ *quæst.* 109, *art.* 6, datâ óperâ étiam osténdit, «Hóminem non posse se præparáre ad «lumen grátiæ suscipiéndum, nisi per «auxílium gratuítum Dei intériùs mo«véntis:» et *quæst.* 112, *art.* 2, répetit: «Nulla præparátio requíritur ex «parte hóminis, quasi prævéniens divínum auxílium, sed pótiùs quæcúmque «præparátio in hómine esse potest, est «ex auxílio Dei movéntis ánimam ad bo«num, et secúndùm hoc ipse bonus mo«tus líberi arbítrii, quô quis præparátur «ad bonum grátiæ suscipiéndum, est «actus líberi arbítrii moti à Deo, et «quántùm ad hoc dícitur homo se præ«paráre, secúndùm illud Prob. 16. Hó«minis est præparáre ánimum, et est «principáliter à Deo movénte líberum «arbítrium.» Ália, quæ in médium possémus addúcere, brevitátis studiô cógimur prætermíttere: in memóriam tantùm revocámus, Clerum Gallicánum an. 1700 has duas sequéntes propositiónes vírgulâ censóriâ notásse. Prima; «Axió«ma illud theológicum, Faciénti, quod «in se est, Deus non dénegat grátiam, «non solùm veríssimum est, atque doc«trínæ Conciliórum, et Patrum máximè «consentáneum; verùm étiam, per il«lud significátur Obligátio, quam Deus «habet dandi grátiam faciénti, quod in «se est, nec solùm faciénti, quod est ex «se víribûs grátiæ; sed étiam illi, qui «cùm non hábeat grátiam, facit, quod «in se est, ex víribus natúræ.»

Secúnda; «Quia tamen ópera víribûs solíus natúræ elícita, ómnia steríliа sunt, «atque incapácia meréndi dona intrín«secè, et theológicè supernaturália; «ídeò dícimus, obligatiónem, quam Deus «habet conferéndi grátiam faciénti, quod «est in se víribûs natúræ, seu víribûs «grátiæ purè naturális, sive non theo«lógicè supernaturális, non oríri ex bo«nitáte tálium óperum, ut ex nullo «mérito sive condígnô, sive cóngruô, «quod insit in illis opéribus in órdine «ad grátiam; sed ex pacto inter Chris«tum Fideijussórem nostrum, et Patrem «initô, ad grátiam homínibus conferén«dam propter Christi mérita. respiciéndô ea naturália ópera, ut purum tér«minum, non ut méritum ullum, aut «rigurósam conditiónem.»

Ut vidére licet apud Bossuet, *tom.* 11, *pag.* 141: Censúra his duábus propositiónibus inústa hæc est: «Hæ duæ «propositiónes, quâ parte cáusam dis«cerneńdi inter justos, in ópera merè «naturália réferunt, Semipelagianísmum «instáurant, mutátîs tamen vócibûs. «Pactum áutem, quod inter Deum, et «Christum asséritur, commentítium est, «temerárium, erróneum, nec solùm «tacénte, sed étiam adversánte Scrip«túrâ, et SS. Patrum traditióne, prolá«tum.»

512. Schólion. Non oblíti sumus, nos in primo hujus Operis tomo, num. 157, sustinuísse cum D. Thoma, infidéles negatívos, qui nihil úmquàm audivérunt de fide, posse salvári, si vitam degunt secúndùm ratiónis naturális ductum, quippè Deus in hisce circumstántiis certíssimè eis providébit de lúmine ad salútem consequéndam necessário, eis vel per intérnam inspiratiónem, vel per áliquem fídei Prædicatórem revelándô, quæ scíri debent ad salútem consequéndam. Indè tamen mínimè nobis insimulándum, quòd hæc nostra sententia invólvat ídeam vel eórum, qui tenent ópera solîs víribûs natúræ

elícita esse dispositiónem, intúitû cujûs Deus cónferat grátiam; vel eórum, qui sústinent inter Deum et Christum esse ínitum pactum conferéndi grátiam iis, qui solîs víribûs natúræ bona elíciunt ópera. Nos enim, Tomo 1.° áliam non propugnámus sententiam, quàm sententiam D. Thomæ, ut ibídem adnotávimus. D. áutem Thomas semper, et ubíque totus est in asseréndo, vires natúræ se solis nihil conférre ad grátiam obtinéndam: undè 1.ª 2.æ *quæst.* 109, *art.* 6, cùm sibi objecísset argumèntum: «homo se ad grátiam præparat, «faciéndò quod in se est, quia si homo «facit quod in se est, Deus ei non dé«negat grátiam,» respóndet: «Quòd ni«hil homo potest fácere (*útique ad grá«tiam obtinéndam prout exigébat argu«méntum*), nisi à Deo moveátur, secún«dùm illud Joán. cap. 15, v. 5. Sinè «me nihil potestis fácere. Et ídeò cùm «dícitur homo fácere quod in se est, dí«citur hoc esse in potestáte hóminis, «secúndùm quod est motus à Deo.» Símilî modô lóquitur Angélic. Dr. *Lect.* 3, *in caput* 10 *Epist. ad Rom*, ubi cùm dixísset: «Si qui fecíssent, quod in se «est, Dóminus eis secúndùm suam mi«sericórdiam providísset, mitténdò eis «prædicatórem fídei, sicut Petrum Cor«nélio, et Páulum Macedónibus» subdit: «Sed tamen hoc ipsum, quòd áliqui «táciunt, quod in se est, converténdò se «scílicèt ad Deum, ex Deo est, movénte «corda ipsórum.» Ex his, aliísque sexcéntis testimóniis Angel. Præcep. quæ brevitátis causâ omíttimus, patet; quòd Angélicus Præcéptor, et nos cum ipso, sustinéndò Deum concessúrum grátiam infidéli negatívo sequénti ductum ratiónis in prosecutióne boni, et fugâ mali; sustinémus páriter, hanc ipsam prosecutiónem boni, et fugam mali, non esse ábsque auxílio grátiæ. Non abs re erit præmonére hanc grátiam, quæ tali infidéli concéditur, ipsum non sanctificáre, sed ipsum tantùm movére in bonum, à quo alter déficit, et à quo ipse póterat defícere; et cum hocce auxílium sit à Deo gratis collátum, méritò grátia nuncupátur. In hunc sensum S. August. de *dono persev. cap.* 16, inquit: «Præve«nit ergo et fidem, grátia.» Alexánder VIII, áutem hanc étiam propositiónem damnávit: «Pagáni, Judæi, Hærétici, «alíque hujus géneris, nullum omninò «accípiunt à Jesu Christo influxum.» Sic ergo, si homo in sylvis enutritus, ac quílibet álius infidélis negatívus, fáceret, quod in se est, sequéndò ductum ratiónis *à grátia excitátæ, et motæ*, Deus, qui cæpit opus bonum, ipsum perfíceret, vel per interiórem inspiratiónem, vel per Ángelum, vel per Prædicatórem, eis Christi Evangélium revelándò. Hæc nunc enucleátiùs, quàm in primo Tomo apérimus, quia modô, et non tunc, de Grátia nobis est sermo.

CAPUT III.

AD QUÆ, INTER ÁLIA, GRÁTIA SIT NECESSÁRIA.

I. CONCLÚSIO.

Quandò véritas, estò in se sit supernaturális, attíngitur tamen ob motívum merè naturále, homo potest víribûs natúræ, illam attíngere.

513. Conclúsio suppónit, esse quásdam veritátes in se supernaturáles, quæ lúmine ratiónis dignósci quëunt, juxta illud Apost., *epist. ad Rom.*, *cap.* 1, *v.* 20: «Invisibília enim ipsíus, (*Dei*), à «creatúra Mundi, per ea, quæ facta «sunt, intellécta, conspiciúntur: sempi«térna quoque ejus virtus, et divínitas.» Hôc præmíssô:

Prob. Concl. Cùm veritátes supernaturáles motívô merè naturálî attingúntur, sunt quídem supernaturáles in se, et materiáliter; non tamen formáliter, et in ratióne objécti: objéctum enim formáliter considerátur ex motívo, sub quo attíngitur: sic Deus e. c. ut unus, étiam in se supernaturális est, ut tamen naturálî discúrsû únitas Dei à Philósopho demonstrátur, in ratióne objécti naturális est. Philósophus áutem naturálem discúrsum potest elícere solîs víribûs natúræ: Ergo, etc.

514. Hinc hæréticus, qui movétur ad credéndum artículos fídei, quos tenet, non quia Deus eos revelávit, áliàs omnes álios créderet; sed quia próprió judíció, et pertinácî suæ voluntátis supérbiâ, ac proíndè motívô merè naturálî, ad eos, præ áliis, credéndos inclinátur; quámvis eos firmíssimè credat, non tamen fide supernaturálî, et diviná, nec grátiæ auxílió eos credit, sed fide prórsùs humánâ, iis assénsum præbére, dicéndum est. Vid. D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 5, *art.* 3. Ergo, etc.

II. CONCLÚSIO.

Ad cognoscéndum, et assentiéndum, ut opórtet, veritátibus sive ex parte objécti, sive ex parte motívi, supernaturálibus, necessária est grátia intérna.

515. Prob. Conclúsio est véritas de fide, stabilíta contra Pelagiános, in plúribus Concíliis præsértim Arausicánô II, an. 529, *Can.* 6 *et* 7, et novíssimè in Trident., *Sess.* 6, *Can.* 3, hîs verbîs: «Si quis díxerit, sinè præveniénte Spí«rítûs S. inspiratióne, atque ejus adju«tórió, hóminem crédere, speráre, dilí«gere aut pœnitére posse, sícuti opór«tet, ut ei justificatiónis grátia conferá«tur, anathéma sit.»

516. Veritátem conclusiónis osténdit S. Augustínus, *lib.* 1.° *de Prædest. Sanctórum*, *cap.* 2, ex illo *epist. ad Philipp.*, *cap.* 1.° *v.* 19. «Vobis do«nátum est pro Christo, non solùm ut

«credátis in eum ; verùm étiam ut pa-«tiámini pro eo.» Super quæ ait Augustínus : «Utrúmque osténdit Dei donum, «quia utrúmque dixit esse donátum. Nec «ait, ut pléniùs, et perféctiùs credátis : «sed ut credátis in eum.»

Rursùs ex illo *epist* 1.æ *ad Cor.*, *cap.* 7, *v.* 25 : «Misericórdiam conse-«cútus à Dómino, ut sim fidélis ;» subdit S. Parens : «Non ait, quia fidélis «eram. Fidéli ergo datur quidem ; sed «datum est étiam, ut esset fidélis.»

517. Prob. 3.° Conclus. hôc discúrsû. Elícere actum fídei, prout opórtet, quátuor modis intélligi potest. Primò, ita ut per illum impleátur præcéptum, quò actus fídei præcípitur. Secúndò, ut ille actus ad justificatiónem cónferat. Tértiò, ut actus ille fiat ex pio in Deum revelántem afféctu. Quartò, ut ille actus sit ita certus ex parte credéntis, ut ita credens parátus sit mortem subíre pro veritáte, quam credit ; Atqui, grátia intérna est simplíciter necessária ad eliciéndum actum fídei, prout opórtet, quòcúmque ex quátuor dictis modis ; Ergo, etc. Min. pro primo modo probátur. Dum præcípitur actus fídei, præcípitur actus, qui saltem ex parte motívi sit supernaturális ; is enim est actus fídei, ut opórtet : Atqui, actus fídei, qui sit supernaturális, non potest élici sinè grátia ; natúra enim per se ipsam non potest ad ea, quæ supra ipsam sunt, ejúsque proportiónem excédunt ; Ergo etc. Hæc compléxus est D. Thomas, 1.ª 2.æ *quæst.* 109, *art.* 1, ínquiens : «Una-«quæque forma índita rebus creátis à «Deo habet efficáciam respéctû alicújus «actûs determináti, in quem potest se-«cúndùm suam proprietátem ; ultrà ta-«men non potest, nisi per áliquam for-«mam superádditam : sicut aqua non «potest calefácere, nisi calefácta ab ig-«ne. Sic igitur intelléctus humánus ha-«bet áliquam formam, scílicet, ipsum «intelligíbile lumen, quod est de se suf-«fíciens ad quædam intelligibília cog-«noscénda ; ad ea scílicet, in quorum «notítiam per sensibília póssumus deve-«níre. Altióra verò intelligibília intel-«léctus humánus cognóscere non potest, «nisi fortiórî lúmine perficiátur, sicut «lúmine fídei, vel prophétiæ, quod díci-«tur lumen grátiæ, in quántùm èst na-«túræ superádditum.

Ad actum fídei, secúndò modò, necessáriam esse grátiam intérnam, osténsum est num. 515, ex Trident. *Sess.* 6, *Can.* 3.

Esse étiam necessáriam ad actum fídei tértiò modò, id est, ut quis ex pio in Deum afféctu credat, probátur : Nam pius ille in Deum afféctus, est inítium bonæ voluntátis ; Atqui, inítium bonæ voluntátis non est à nobis, sed à Dei grátia, Deus est enim, qui «operátur «in nobis velle, et perfícere pro bona «voluntáte» ut Philippénsibus aiébat Páulus, *cap.* 2.°, *v.* 13. Ergo, etc.

Tandem, grátiam esse necessáriam ad eliciéndum actum fídei cum tanta certitúdine, ut homo parátus sit pro fide mortem obíre, constat, tum ex Páulo, *epist. ad Philipp.*, *cap.* 1.°, *v.* 19, aiénte : «Vobis donátum est pro Chris-«to, non solùm, ut credátis in eum, ve-«rùm étiam, ut patiámini pro eo :» tum quia parátum esse mori pro Christo, ejúsque fide, est actus ardentíssimæ charitátis in Deum, juxta illud Joán., *cap.* 15, *v.* 13 : «Majórem hâc dilectió-«nem nemo habet, ut ánimam suam «ponat quis pro amícis suis :» tum demùm, quia tanta certitúdo de Mystériis, quæ ratiónem naturálem omninò súperant, et de quibus nequit habéri demonstrátio, non aliúndè quam ex Dei adjutório habéri potest. Ergo, etc.

518. Adeò est necessária grátia in-

térna ad cognoscéndum, et assentiéndum, ut opórtet, veritátibus supernaturálibus, ut étiam inítium credéndi, sicut opórtet, id est, ipsa cogitátio, et desidérium, vel tenuíssimum, habéndæ fídei, sinè grátia intérna habéri non possit. Id, quod est contra Semipelagiános, evíncimus ex *epist.* 2.ª *ad Cor.*, *cap.* 3, *v.* 5, ubi póstquàm Apóstolus dixit: Fidúciam nos habére per Christum ad Deum, subjúngit: «Non quòd sufficién-«tes simus cogitáre áliquid à nobis, «quasi ex nobis, sed sufficiéntia nostra «ex Deo est.» Super quæ verba D. Thom. ibid. *lect.* 1, ait: «Cáusa ántem «hujus fidúciæ est, quia quidquid ego «fácio, étiam ipsum princípium óperis, «Deo áttribuo. Et ídeò dicit: *Non quòd «simus sufficiéntes cogitáre...* nam in «quólibet processu óperis primò est as-«sénsus, qui fit cogitándò; deíndè col-«látio per verbum; et póstmodùm im-«plétio per opus: undè fit, ut sic nec «cogitári quis à se hábeat, sed à Deo: «non est dúbium, quòd non solùm per-«féctio óperis boni est à Deo, sed étiam «inchoátio: Pilipp. 1, *qui cœpit in vobis «opus bonum* etc... Sed ex hoc ne videá-«tur tollére libertátem arbítrii, dicit: «*A nobis, quási ex nobis.* Quasi dicat: «Póssumus quidem áliquid fácere, quod «est líberi arbítrii; sed hoc, quod fá-«cio, non est ex me, sed à Deo, qui «hoc ipsum posse confert; ut sic et li-«bertátem hóminis defendat, cùm dicit: «*A nobis*, id est, à nostra parte: et di-«vínam grátiam comméndet, cùm dicit: «*Quasi ex nobis*, scílicet, procédat, sed «à Deo.» Hucúsque S. Thomas. Vid. et D. August. lib. *de Dono perseverántiæ*, *cap.* 13, et *lib. de Prædest. SS.*, *c.* 2, Nos ántem conclúdimus cum Concílio Arausicáno, *Can.* 5, statuénte: «Si «quis, sicut augméntum, ita étiam ini-«tium fídei, ipsúmque credulitátis af-«féctum, quo in eum crédimus, qui jus-«tificat ímpium, et ad generatiónem sa-«cri Baptísmatis pervenímus, non per «grátiæ donum, id est, per inspiratió-«nem Spíritûs Sancti corrigéntem vo-«luntátem nostram ab infidelitáte ad «fidem, ab impietáte ad pietátem, sed «naturáliter nobis inésse dicit; Apostó-«licis documéntis adversárius approbá-«tur, B. Páulô dicénte: Confídimus, «quia qui cæpit in vobis bonum opus, «perficiet úsque in diem Dómini nostri «Jesu Christi. etc., Vid. D. Thom. 1.ª 2.æ *quæst.* 109, *art.* 1.

III. CONCLÚSIO.

Ad omne opus bonum ad vitam ætérnam condúcens, necessária est grátia intérna.

519. Priúsquàm ad arguménta, quibus Conclúsio evíncitur, accedámus; prænotáre opórtet, non omne opus bonum ad vitam condúcere ætérnam. Opus enim bonum est dúplicis géneris: áliud enim est bonum bonitáte solùm moráli; et est illud, quod procédit dumtáxat ex dictámine rectæ ratiónis, et versátur circa matériam ipsi conveniéntem, nulláque pravâ circumstántiâ vitiátur, véluti, cúm infidélis quíspiam naturâli honestáte motus aut Patrem reverétur, aut reddit depósitum, aut innocéntem tuétur etc. De hujúsce bonis operibus, licèt bonîs bonitáte moráli, cùm supponántur elícita solîs víribûs natúræ, dici nequit, ad vitam ætérnam condúcere: ex hucúsque enim dictis, sat supérque constat, ópera víribûs natúræ elícita, sê ipsîs non esse ullam dispositiónem, cujûs intúitû Deus cónferat grátiam. Áliud ántem est opus bonum, illud scílicet, quod habet non solùm omnes circunstántias requisítas, ut sit bonum bo-

nitáte morálî, sed însuper procédit ex speciáli auxílio Spíritûs S. sive inhabitántis, sive movéntis: et hocce opus ad ætérnam salútem confert. Hujúsce géneris sunt illa bona ópera, quæ per inhabitántem Spíritûs S. grátiam fiunt ab homínibus justificátis; et étiam illa, quæ Spíritû S. cor movénte ad justificatiónem dispónunt; ut crédere, speráre, de peccátis pœnitére, etc.

520. In hac matéria plures à veritátis trámite aberrárunt. Aberrávit Peláqius volens, omne opus bonum, étiam condúcens ad salútem, fieri posse sinè grátia Dei, saltem afficiénte voluntátem. Aberrárunt Luthérus, et Calvínus, nullum opus in se bonum ab hómine lapso fieri posse dicéntes; sed ómnia ópera, étiam hóminis justificáti, esse in se immundítias, et véluti pannum menstruátæ; ádeò ut solùm ex méritis Christi hæc ipsis non imputári. Aberrávit Míchaël Bajus exístimans, ad omne opus bonum morále requíri grátiam habituálem, et impérium Charitátis; ac subíndè ómnia ópera, quæ fiunt à peccatóre, esse abominatiónes, et peccáta. Aberrávit Jansénius ásserens, ad omne opus bonum moráliter grátiam fídei esse necessáriam: ex quo íntulit, ómnia ópera Infidélium esse peccáta, et omnes eorum virtútes, vítia. Hîs prætnissîs

521. Prob. Conclúsio, quæ peculiáriter est contra Peláqium. Christus, *Joán.*, *cap.* 14, *v.* 6, universáliter dicit: «Ego sum via, et véritas, et vita: «nemo venit ad Patrem, nisi per me:» Atqui, per quódlibet opus ad vitam ætérnam condúcens, itur ad Patrem: Ergo, nullum opus ad vitam ætérnam condúcens, fieri potest, nisi qui illud facit, grátiâ intérnâ donétur.

522. Rursùs. Christus, *Joán.*, *cap.* 15, *v.* 5, inquit: «Sinè me nihil potés- «tis fácere.» Christum áutem ibi loqui de ópere ad vitam ætérnam conducénte, ex contéxtu liquet: se ipsum enim cómparat viti, et discípulos palmítibus, ásserens de ipsis, quòd si in ipso, qui est vera vitis, mánserint, multum fructum áfferent: manére áutem in Christo nemo potest nisi per grátiam: Ergo, etc. Hinc S. August., *Tract.* 81, *in Joán.*, supra prælaudáta verba ait: «Ne quís- «quam putárit, saltem parvum áliquem «fructum posse à semetípso pálmitem «ferre, cùm dixísset: *hic fert fructum «multum*, non ait: quia sinè me parùm, «sive multùm, sed: *Nihil potéstis fáce- «re.* Sive ergo parúm, sive multùm, si- «nè illo fieri non potest, sinè quo nihil «fieri potest. Quia etsi parùm attúlerit «palmes, cùm purgat agrícola, ut plùs «áfferat: tamen, nisi in vite mánserit, «et víxerit de radíce, quantúmlibet fruc- «tum à semetípso non potest ferre.» Et idem August., *lib. de Grátia Christi*, ajébat: «Grátiam Dei..... sic confiteá- «tur, qui vult veráciter confitéri, ut om- «nínò nihil boni sinè illa, quod ad pietá- «tem pertínet, verámque justítiam, fieri «posse non dúbitet.» Vid. supra à número 519.

523. Quámvis homo sinè grátia néqûcat áliquod opus elícere, ad vitam ætérnam condúcens; non tamen indè inferéndum cum Luthéro, et Calvíno, nullum opus in se bonum ab hómine lapso fieri posse; nec multò minùs, ómnia ópera, étiam hóminis justificáti, «es- «se in se immundítias, et véluti pannum «menstruátæ.» Nam à Concílio Trident., *Sess.* 6, *can.* 7, anathémate ferítur, «si quis díxerit, ópera ómnia, «quæ ante justificatiónem fiunt, qua- «cúmque ratióne facta sint, verè pec- «cáta, vel ódium Dei meréri; aut quan- «tò veheméntiùs quis nítitur se dispó- «nere ad grátiam, tantò eum gráviùs «peccáre.» Et *Can.* 25, anathémate fe

rítur, «Si quis in quólibet bono ópere «Justum, saltem veniáliter peccáre di- «xerit, aut, quod intolerabíliùs est, mor- «táliter: atque ídeò pœnas ætérnas me- «réri; tantúmque ob id non damnári, «quia Deus ea ópera non ímputet ad «damnatiónem.»

Et profectò: quàm pútidus sit error Luthéri, et Calvini, probátur étiam ex *Job.*, *cap.* 1, *v.* 1, ubi légitur: «Vir «erat in terra Hus, nómine Job, et erat «vir ille simplex, et rectus, ac timens «Deum, et recédens à malo.» Quod Deus ipse confirmávit, *ibid. v.* 8. Quómodò áutem dícere potuísset Deus, Job esse virum rectum, timéntem Deum, ac recedéntem à malo, si Job in omni ópere suo peccásset? Certè, aut Deus falsum dixit (quod absit); aut falsum dicunt Luthérus, et Calvínus. Imò, juxta Luthérum, et Calvínum, Satan ipse potuísset Deum redargúere, dicens: Non est verum, quod Job sit vir rectus, timens Te, ac recédens à malo, cùm contínuò in omni ópere suo peccet; hoc solùm habet, quòd Tu non ímputas ei peccáta, quæ operátur.

Os Lutheri, et Calvíni óbstruit David, ínquiens de semetípso, *Psalm.* 7, *v.* 10: «Júdica me, Dómine, secúndùm justí- «tiam meam, et secúndùm innocéntiam «meam super me: *psalm.* 16, *v.* 3: «Probásti cor meum, et visitásti nocte: «igne me examinásti, et non est invénta «in me iníquitas:» et *psalm.* 17, *v.* 25: «Et retríbuet mihi Dóminus secúndùm «justítiam meam, et secúndùm puritá- «tem mánuum meárum in conspéctu «oculórum ejus, etc.» An hæc tantâ fidúciâ dixísset David, si scivísset ómnia ópera sua esse coram Deo injustítias? Mentítus esset, dum ait, Deum in corde, per ipsum probátô, non invenísse iniquitátem, cùm nihil áliud in eo Deus invenísset, nisi iniquitátem, si verum esset, quod dicunt Luthérus, et Calvínus. Accédit: quòd ipse Deus, *lib.* 3, *Regum*, *cap.* 14, *v.* 8, increpans Jeroboam per Prophétam Aiam, dixit: «Non «fuísti sicut servus meus David, qui cus- «todívit mandáta mea, et secútus est «me in toto corde suo, fáciens quod plá- «citum esset in conspéctu meo.» Si áutem ómnia ópera Davîd fuíssent peccáta coram Deô; quómodò fecit, quod plácitum erat in conspéctu Dei? An, peccátum, placére Deo, dicéndum erit?

Prætéreà; Apóstolus Páulus, *epist.* 2.ª *ad Cor.*, *cap.* 5, *v.* 10, ait: «Om- «nes nos manifestári opórtet ante tribú- «nal Christi, ut réferat unusquísque «própria córporis, prout gessit, sive bo- «num, sive malum.» Quómodò póssumus ante tribúnal Christi referre quæ géssimus, sive bona, sive mala; si coram Christo ómnia nostra ópera mala sunt?

524. Nec Luthéro, ac Calvíno favet, ut ipsi bláterant, Ecclesiástes, *cap.* 7, *v.* 21, ínquiens: «Non est enim homo, «qui fáciat bonum, et non peccet:» sensus enim Ecclesiástæ est, non quòd vel hómines in omni actu peccent: vel quòd quælibet eórum áctio sit peccátum, ut Acathólici volunt; sed, quòd nullus homo sit ita sanctus, quin aliquándò (seclúsô speciálî privilégiô) saltem léviter non peccet. Neque Acathólicis favet illud Isáiæ, *cap.* 64, *v.* 6: «Et facti su- «mus ut immúndos omnes nos, et quási «pannus menstruátæ univérsæ justítiæ «nostræ.» Huic téxtui, quem semper habent in ore Protestántes, respondémus, Isáiam non sic omnes vocáre immúndos, et ómnia eórum ópera maculáta; quasi in toto pópulo Judáico nullus esset Justus, et nemo áliquod bonum opus fáceret: áderat enim inter álios Isáias ipse, imò étiam áliqui álii justítiam veram faciéntes, díxerat enim, *v.* 5: «Occurrísti

«lætánti, et faciénti justítiam.» In hisce loquéndi modis habéndum est præ óculis, quod ait S. Augustínus, *lib. de Unit. Ecclésiæ, cap.* 12, «plerúmque «sermo divínus ímpias turbas Ecclésiæ... «sic redárgüit, támquàm omnes tales «sint, et nullus omninò bonus remán- «serit.»

Nihilóminùs áddimus hæc Cornélii A Lápide verba super præfátum Isáiæ locum: «quòd Isáias loquátur de Judæis «témpore Christi, à Deo ob peccáta re- «jéctis, et reprobátis: horum áutem «peccatórum primum, et cæterórum «orígo, fuit pértinax amor legis, et «justítiæ Mosáicæ, sive judaísmi, indé- «que ódium Christi, et christianísmi. «Quia ergo Judæi repulérunt justítiam «veram à Christo allátam, eámque quæ- «siérunt in suis justítiis carnis, et victi- «márum à Deo reprobátis, hinc ipsi quá- «si immúndi, infidéles, et rebélles à Deo «rejécti, et proscripti sunt. Hinc patet, «per justítias hìc intélligi puritatiónes, «et ritus Judáicos. Áudi S. Hieron.: «Considerándum, quòd justítia, quæ in «lege est, ad comparatiónem Evangélicæ «puritátis, immundítia nominétur. Si «quis ígitur post Evangélium Christi, et «advéntum Fílii Dei, pædagógæ legis ob- «sérvat cæremónias, áudiat pópulum «confiténtem, quòd omnis illa justítia «panno sordidíssimo comparétur.

«Ex hisce liquet primò, hìc non agi «de justítia Christianórum, sed Judæó- «rum adhuc judäizántium: secúndò, «Isáiam hìc loqui in persóna horum Ju- «dæórum, non suâ. Nam illa verba: «Ecce tu irátus es, et nos peccávimus, «in ipsis fuímus semper, clarum est, «non ad Isáiam, similésque viros sanc- «tos, sed ad ímpios Judæos jam dictos «pertinére. Idque fatétur hìc Músculus, «Luthéri discípulus apud Marlorátum. «Idem fatétur Calvínus.

«Pérperàm ergo ex hoc loco Isáiæ «cólligunt Calvínus, Luthérus, et eó- «rum asséclæ, quòd ómnia ópera bona, «non tantùm infidélium, et impiórum, «sed et fidélium, ac Sanctórum, peccá- «tô áliquô, et labe áliquâ concupiscén- «tiæ sint pollúta..... Pérperàm, ínquam, «hôc locô abutúntur; nam primò, ut «dixi, non lóquitur Prophéta de fidéli- «bus, et justis, sed de Judæis Christo «non credéntibûs, et ímpiis: secúndò, «justítias eórum vocat, non ópera justa, «sed sacrifícia expiatória, quæ jam fæ- «tent, et putent. Adde tértiò, etsi per «justítias acciperémus hìc ópera, et ac- «tus justítiæ, nihil hinc habérent hæré- «tici. Nam Isáias tunc exponéndus esset, «quòd loquátur de iis, non divísim, sed «collectívè sumptis, q. d. Hi Judæi sua «ópera bona váriis scelèribûs contami- «nárunt, quocírca tota eórum vita est «inquináta, omnes eórum actus collec- «tívè sumpti sunt immíxti, et conspur- «cáti multîs peccatórum máculîs: per- «índè ac pannus menstruátæ váriîs «ménstrui máculîs infícitur, licèt hinc «indè pars áliqua ejúsdem panni munda «relinquátur. Hucúsque Cornélius A «Lápide.»

525. Ex dictis íncipit elucéscere, aberrásse Bajum asseréndò, ad omne opus bonum morále requíri grátiam habituálem, ac impérium Charitátis, quæ cùm non sint in peccatóre, ídeò ómnia ejus ópera esse abominatiónes, et peccáta. Christus enim, *Luc.*, *cap.* 11, *v.* 41, hortátur Pharisæos, qui útique peccatóres erant, ut fácerent æleemósynam: Atqui, si æleemósyna facta à peccatóre esset peccátum, vel Christus ad eam non hortarétur, vel hortándò hortarétur ad perpetrándum peccátum: hoc áutem dici nequit: Ergo, pérperàm Bajus conténdit etc.

Rursùs; Dániel, *cap.* 4, *v.* 24, hor-

tátur Nabuchodonosórem peccatórem, imò et infidélem, his verbis : «Consílium «meum pláceat tibi, et peccáta tua ælee- «mósynis rédime, et iniquitátes, miseri- «córdiis páuperum : fórsitan ignóscet «delíctis tuis : » Atqui, peccáta novis peccátis non redimúntur, nec Deus ab actu malo movétur ad ignoscéndum : Ergo, æleemósynæ illæ, ad quas hortabátur Dániel, licèt factæ à peccatóre, erant ópera moráliter bona, et non abominatiónes, et peccáta, dum fierent ánimo misérias páuperum relevándi : Ergo, aberrávit Bajus ásserens etc.

526. Prob. 2.° everténdo fundamén-tum Baji. Juxta ipsum, ídeo peccátor sinè grátia habituáli, et charitáte non potest fácere opus bonum, quia in quovis suo ópere operátur semper ex afféctu ad peccátum : Atqui, hoc est falsum : Ergo, etc. Prob. min. Etsi homo exístat in peccáto, puta, luxúriæ, potest tamen ex motivo pietátis, débitam exhibére reveréntiam paréntibus; vel ex motívo misericórdiæ subveníre indigénti; vel ex amóre justítiæ réddere álteri quod suum est etc. : Ergo, falsum est, peccatórem in quovis suo ópere ex afféctu ad peccátum operári.

Hanc doctrínam, extra omnem dubitatiónis áleam repónunt, et Concílium Constantiénse, *Sess.* 15, damnans hoc Wicléffi, et Joánnis Hus erróres: «Ex «principiis fídei est per se notum, quòd «quidquid homo in peccáto mortáli fé- «cerit, peccat mortáliter:» ac íterùm, «Si homo est vitiósus, et agat quídquam, «tunc agit vitiósè : et si est virtuósus, «et agat quídquam, tunc agit virtuósè: «quia sicut vítium, quod crimen dícitur «sive peccátum mortále, ínficit univer- «sáliter actus hóminis vitiósi, sic virtus «vivíficat omnes actus hóminis virtuósi:» et Concílium Trident., *Sess.*, 6, *Can.* 7 fériens anathémate eum, qui díxerit : «Ópera ómnia, quæ ante justifica- «tiónem fiunt, quacúmque ratióne facta «sint, verè esse peccáta, vel ódium Dei «meréri:» et S. Pius V, an. 1667, damnans has ipsíus Baji propositiónes : «Omne, quod agit peccátor, vel servus «peccáti, peccátum est : In ómnibus suis «áctibus peccátor servit dominánti cu- «piditáti.»

Proféctò : Bajus non distínxit, ut débuit, inter ágere «cum afféctu habituáli «ad peccátum, et ex afféctu actuáli ad pec- «cátum.» Peccátor in statu peccáti mortális útique rétinet afféctum habituálem ad peccátum, hic enim non tóllitur nisi per grátiam sanctificántem; ast verò, non semper agit «ex hujúsmodi afféctu ad pec- «cátum,» sicut suprà adnotávimus: peccátor in hoc casu se habet suò modò quemádmodùm virtuósus, qui, quámdiù virtuósus est, rétinet afféctum habituálem ad bonum; licèt quandóque non agat *ex hoc afféctu*, sicut dum veniáliter peccat. Undè Chrysóstomus, *Homil.* 67 *ad Pópulum*, inquit: «Non potest ma- «lus omninò malus esse, sed évenit, ut «áliquid hábeat bonî : neque bonus esse «omninò bonus, sed nonnúlla solet ha- «bére peccáta.»

527. Neque audiéndus est Jansénius ásserens, ad faciéndum opus bonum morále, grátiam fídei esse necessáriam, ádeò ut ómnia ópera infidélium sint peccáta. Et revérà: Scriptúra váriis in locis refert áliqua infidélium ópera fuísse á Deo remuneráta: cujúsmodi fuit benefícium præstitum Israëlítis ab obstetrícibus Ægiptiórum, quod Deus remunerátus est, eis domos ædificándò; ut habétur *Éxod.*, *cap.* 1, *v.* 21. Grátia, quam Rahab præstitit exploratóribus Israëlítis, Dei voluntáte, à Jósue compensáta fuit, ut habétur Jósue, *cap.* 6: Ezechiél *c.* 29, Nabuchodonósor dicitur à Deo mercedem sui óperis recepísse. Undè Hieró-

nymus ibídem inquit : «Ex eo, quòd Na-«buchodonósor mercédem accépit boni «óperis, intellígimus, étiam Éthnicos, «si quid bonî fécerint, non ábsque mer-«céde, Dei judiciô præteríri.» Quod et dócuit August., *lib.* 5, *de Civit. Dei*, *cap.* 15, ásserens, Deum Románis infidélibus dedísse amplum Impérium, ut nonnúlla eórum bona ópera in hac vita áliquam habérent mercédem: Atqui, Deus non remunérat ópera mala, seu peccáta, hæc enim, non præmiô digna sunt, sed pœnâ : Ergo, non ómnia ópera Infidélium sunt peccáta; adeóque nec ad omne opus bonum grátia fídei est necessária.

528. Nunc óperæ prétium dúcimus ad trútinam revocáre præcípuum Jansénii fundaméntum. Existimat ipse, ómnia infidélium ópera esse peccáta, quia etsi ex objécto sint bona, tamen ab infidélibus aut in pravum infidelitátis suæ finem detorquéntur; aut saltèm in verum finem, Deum, quem ignórant, non referúntur : undè fiunt mala, vel ex appositióne finis pravi, vel ex omissióne finis débiti. Atqui, hoc utrúmque falsum est: Ergo, ruit fundaméntum Jansénii. Minor pro prima parte probátur. Nihil cogit Infidélem, ut ipse semper agat ex affléctu, puta, ad Idólum : nihil próhibet, ut Infidélis æleemósynam largiátur indigénti, ut ejus necessitáti occúrrat, nihil cogit ándô de suo Idólo, vel pravô infidelitátis fine. Vid num. 525. Ut enim D. Thomas, 2.ª 2.æ *quæst.* 10, *art.* 4, ait: «Sicut habens fidem potest áliquod «peccátum commíttere in actu, quem «non refert ad finem fídei, vel veniáli-«ter, vel étiam mortáliter peccándô: ita «étiam Infidélis potest áliquem actum «bonum fácere in eo, quod non refert ad «finem infidelitátis.» Undè idem S. Thomas in *cap.* 1, *epist. ad Tit.*, *lect.* 4, expónens hæc verba: «Cöinquinátis áu-«tem, et Infidélibus nihil est mundum,» ait: «Quándô peccátor facit áliquod bo-«num secúndùm quòd est peccátor, et «infidélis, totum est peccátum ex radíce: «sed si quid facit ex princípio alicújus «boni, quod habet, ut fídei infórmis, vel «natúræ, non est immúndum.»

Minor superióris syllogísmi pro secúnda parte probátur. Ut actus humánus sit moráliter bonus, et laudábilis, non requíritur, ut in Deum expréssè referátur, ut últimum finem : sed satis est, ut ex natúra sua ad Deum tendat, et à Deo per pravum operántis affléctum, non deordinétur, tunc enim rétinet quod ex sua natúra ei cómpetit, nempè, ordinári in Deum: Atqui, ópera, quæ facit infidélis, esto ea ad Deum expréssè ipse non órdinet, non tamen semper à Deo deórdinat, ut cùm facit æleemósynam ex amóre subveniéndi indigénti etc. ; Ergo falsum est, in omni ópere Infidélium omítti finem débitum. Recol. quæ díximus *sup. num.* 16, *et* 17. Vid. D. Thom., 2.ª 2.æ *q.* 10, *art.* 4.

Nos non præterit, Apóstolum, *epist. ad Titum*, *cap.* 1, *v.* 15, dixísse: «Cöinquinátis áutem, et infidélibus nihil «est mundum, sed inquinátæ sunt eórum «et mens, et consciéntia.» Nihil tamen indè contra nos. Nam ut dudùm dicebámus, scítè S. Thom. in *cap.* 1 *Epist. ad Titum*, *lect.* 4, præcitáta verba expónens, inquit: «Quándô peccátor facit «áliquod bonum, secúndùm quòd est «peccátor, et infidélis, totum est peccá-«tum ex radíce: sed si quid facit ex «princípio alicújus boni, quod habet, ut «fídei infórmis, vel natúræ non est im-«múndum.

Ex his mínimè inferéndum, hóminem sive justum, sive peccátorem, sive infidélem, posse sinè auxílio speciáli quódlibet opus bonum morále elícere, pro quo elucidándô sint sequéntes Conclusiónes.

IV. CONCLÚSIO.

In státu natúræ corrúptæ nemo potest solîs natúræ víribûs, et cum solo auxílio generáli, Deum, ut Auctórem natúræ, dilectióne efficácî tam affectivè, quàm effectivè super ómnia dilígere, adeóque ad id grátia speciális est necessária.

529. Priúsquàm ad probatiónem Conclusiónis accedámus, præmíttimus, Summos Pontífices S. Pium V, Gregórium XIII, et Urbánum VIII, has Baji propositiónes damnásse: «Distínctio illa dúpli«cis amóris, naturális vidélicet, quô «Deus amatur, ut Áuctor natúræ; et «gratúiti, quô Deus amátur ut Glorifi«cátor, vana est, et commentítia:» et íterùm; «Amor naturális Dei, scílicèt, «qui ex víribus natúræ oritur, ex sola «Philosóphia per elatiónem præsump«tiónis humánæ cùm injúria Crucis «Christi defénditur à nonnúllis Doctóri«bus.» In dúbium ergo revocáre nequit, dúplicem esse Dei amórem, naturálem scílicèt, et supernaturálem. Et méritò quidem; amor enim apprehensiónem boni séquitur: cùm ergo Deus dupliciter cognósci qüeat, nimírùm, per lumen naturále, ut Áuctor boni naturális; et per fidem, ut Áuctor boni supernaturális; potest dúplicî amóre diligi, naturálî, et supernaturálî.

530. Cùm divísio sit claritátis parens, matéria, circa quam versámur, non sinit præterire quòd amor naturális est duplex, scílicèt, *innátus, et elícitus*; ille est véluti naturále pondus, quô unumquódque in bonum sibi próprium arrípitur: iste est, quô quis ex apprehensióne, seu cognitióne boni ad illud prosequéndum se movet. Vid. *Tom.* 2, hujus Óperis, *num.* 158 *et* 159.

531. Amor elícitus est íterùm duplex, necessárius, vidélicet, et liber. *Necessárius* est cùm quis bonum apprehéndens, ábsque deliberatióne necessáriò sese movet ad illud prosequéndum. *Liber* áutem est, quô natúra rationális ex deliberatióne, et ponderátîs rei méritîs, se in bonum áliquod inclínat.

532. Amor elícitus deliberátus est íterum duplex; unus imperféctus, et inéfficax, quia est solùm complacéntia de Dei bonitáte, non ínferens média ad placéndum Deo, neque rémovens peccatórum impedimenta: alter est perféctus, et éfficax, vî suâ ínferens média ad placéndum Deo, et rémovens ómnia, quæ ejus amicítiæ adversántur.

533. Hic amor Dei perféctus, et éfficax est íterùm duplex: unus éfficax quoad afféctum tantùm; alter éfficax, nedùm quoad afféctum, sed étiam quoad efféctum.

Amor éfficax affectivè tantùm, est simplex actus voluntátis, quô homo se, et ómnia refert ad Deum, ut últimum finem, cum propósito ipsi per ómnia placéndi, et ómnia removéndi, quæ ipsi displicent; et hoc est Deum super ómnia *appretitativè*, amáre.

Amor éfficax effectivè, non est áliquis singuláris actus, sed est dicti propósiti execútio, quæ secum invólvit diversórum mandatórum observántiam; quæ si sit ómnium mandatórum, dícitur amor éfficax effectivè simpliciter; si verò sit aliquórum tantùm mandatórum, dícitur éfficax effectivè tantùm secúndùm quid. Hîs prælibátis

534. Prob. 1.° Conclus. Augustínus, *epist.* 217, *ad Vitálem*, *cap.* 4.° ait: «Líberum arbítrium ad diligéndum «Deum, primi peccáti granditáte perdí«dimus.» Super quæ observándum, S. Augustínum non dícere, quòd perdídimus líberum arbítrium ad diligéndum

Deum, tantùm ut Auctórem grátiæ; sed, absolútè, et ábsque ulla restrictióne, quòd ipsum perdídimus ad Deum diligéndum, et consequénter étiam ad diligéndum Deum, ut Auctórem natúræ, ipsum asseruísse, pronum est intellígere : sicut ex quo non perdídimus vires ad cognoscéndum Deum, ut Auctórem natúræ, nemo sápiens absolútè pronunciáret, ad cognoscéndum Deum nos vires perdidísse.

535. Prob. 2.° Conclus. hîs D. Thomæ verbîs, 1.ª 2.æ *q.* 109, *art.* 3: «Homo in státu natúræ íntegræ non in«digébat donô grátiæ superádditæ natu«rálibus bonis ad diligéndum Deum na«turáliter super ómnia, licèt indigéret «auxiliô Dei ad hoc eum movéntis. Sed «in státu natúræ corrúptæ índiget ho«mo, étiam ad hoc, auxíliô grátiæ na«túram sanántis.»

Hujus ratiónem ibid. idem S. Dr. páulò ántea assignáverat ex eo quòd volúntas hóminis lapsi, et existéntis in peccáto, sive originálî, sive personálî, est véluti res curva, et convérsa ad bonum privátum, ac próprium, quod est ultimus finis peccatóris : undè, nisi sanétur, et véluti erigátur per grátiam, non potest et suî, et ómnium aliórum dilectiónem in Deum referre, ipsum díligens támquàm bonum próprium, et últimum finem, cùm hoc sit contrà inclinatiónem curvam, et déviam.

536. Prob. 3.° Conclúsio hâc ratióne theológicâ. Diléctio Dei super ómnia appretiatíva, et éfficax, est actus ómnium præstantíssimus, quem natúra sana, et íntegra potest elícere : Atqui, natúra infírma, licèt sinè áliquo adjutório speciálî sibi ádditô possit áliquod opus effícere, non tamen potest effícere operatiónem præstantíssimam, ad quam eliciéndam requíritur natúra sana : Ergo, in státu natúræ corrúptæ nemo potest etc. Prob. Major : Diléctio Dei éfficax, et super ómnia, ut áuctor est ipse Christus, *Matth.*, *c.* 22, *v.* 38, est máximum, et primum mandátum, inclúdens virtúte, et saltem in afféctu, ómnium Legis mandatórum observántiam, juxta illud *Joán.*, *c.* 14, *v.* 15: «Si «dilígitis me, mandáta mea serváte :» et *v.* 21: «qui habet mandáta mea, et «servat ea, ille est, qui díligit me :» et *v.* 23: «Si quis díligit me, sermónem «meum servábit.» Ergo, diléctio Dei super ómnia appretiatíva, et éfficax, est actus ómnium præstantíssimus, quem útique natúra infírma nequit elícere, cum non possit id, quod potest natúra per grátiam réddita sana, et íntegra.

V. CONCLÚSIO.

Homo lapsus sinè speciáli grátia non potest ómnia præcépta legis, étiam naturális, implére, néquidem quoad substántiam.

Peláqius, grátiæ Dei hostis infensíssimus, inter álios erróres, ut refert S. August., *lib. de Hæres.*, *cap.* 88, hos asserébat: Hóminem posse ómnia divína mandáta adimplére sinè grátia ; grátiam ad hoc dari homínibus, ut quæ fácere jubéntur per líberum arbítrium, facíliùs implére possint per grátiam ; Deum tantùm nos adjuváre per suam legem atque doctrínam : quos quidem erróres fuísse ab Apostólica Sede proscríptos vidére licet apud August. et Prósperum, *lib. contra Collatórem*, *cap.* 21. Id, quod pérgimus demonstráre hîsce nostræ Conclusiónis sequéntibûs argumentîs.

537. Prob. 1.° Inter præcépta legis naturális máximum, et primum est dilígere Deum super ómnia : Atqui, hoc

ábsque speciáli grátia ab hómine lapso impléri non potest, ut Conclusióne præcedénti osténsum est: Ergo, homo lapsus in primis nequit implére ómnia præcépta legis, étiam naturális, sinè grátia, et quidem «non solùm ut, mons-«tránte ipsâ, quid faciéndum sit, sciant, «verùm étiam, ut, præstánte ipsâ, fá-«ciant quod sciunt;» ut contra Pelagiános ait August., *lib. de Correp. et grat.*, *cap.* 11.

538. Prob. 2.° Conclús. Si homo lapsus posset sinè grátia serváre ómnia legis præcépta, sinè grátia posset justificári, inquit enim Apóstolus, *epist. ad Rom.*, *cap.* 2, quòd «factóres legis «justificabúntur;» ac possent ad vitam íngredi; inquit enim Christus, *Matth.*, *cap.* 19: «Si vis ad vitam íngredi, ser-«va mandáta:» Atqui, nemo potest justificári, neque ad vitam íngredi sinè grátia Christi: Ergo, homo lapsus nequit sinè grátia ómnia legis præcépta serváre. Prob. min. Apóstolus, *epist. ad Galat.*, *cap.* 2, ait: «Si per legem justítia: Ergo, «gratìs Christus mórtuus est;» ac páriter nos argüere póssumus: Si per natúram justítia, ergo Christus gratis mórtuus est, ut scribit S. Augustínus, *lib. de Nat. et Grat.*, *cap.* 2. Atqui, Christus non est gratis mórtuus: Ergo, homo lapsus non potest justificári, neque ad vitam íngredi sinè speciáli grátia: Ergo, neque potest sinè ipsa serváre ómnia legis præcépta.

539. Prob. 3.° Conclús. Idem Apóstolus de sè, ac de áliis, sinè adjutório grátiæ vivéntibûs, *epist. ad Rom.*, *cap.* 7, inquit: «Cùm essémus in carne (*hoc «est, in státu hóminis carnális*) passió-«nes peccatórum (*id est, motus, et de-«sidéria peccándi*) quæ per legem erant, «(*nimirùm occasionáliter*) operabántur «(*sive ipso ópere complebántur*) in «membris nostris, ut fructificárent «morti;» Non ergo sérvábant ómnia legis natúræ præcépta, néquidem quántùm ad substántiam; qui enim ómnia illa servat, neque morti fructíficat, neque permíttit peccándi desidéria compléri. Sed et *cap.* 8, idem Apóstolus clàriùs hanc suam mentem áperit, aiens: «Quod impossíbile erat legi, ut «ejus justificátio implerétur;» hoc est, ut ejus præcépta servaréntur, et propterèa missum fuísse Christum, ut per ejus grátiam servári ab homínibus valérent.

540. Prob. 4.° Conclus. Innocéntius I, in *epist. ad Patres Conc. Carthag.* quæ est apud Augustínum 91, inquit: «Quotidiána ille (*Deus*) præstet «remédia, quibûs nisi freti, confisíque «nitámur, nullátenùs víncere humános «potérimus erróres. Necésse est enim, «ut quæ auxiliánte víncimus, eò íte-«rùm non adjuvánte vincámur.» Eadémque habet Cœlestínus Póntifex *epist. ad Episc. Gall.*, *cap.* 6. Hæc áutem vera non essent, si per solas natúræ vires, sinè adjutório grátiæ Dei possémus ómnia legis mandáta, quoad substántiam, serváre; qui enim sic ómnia servat, plúrimos, imò omnes, natúræ contrários erróres vincit, neque à tentatiónibus contra præcépta insurgéntibûs superátur.

541. Schólion. Si cui in mentem vénerit, tam Scriptúræ, quàm Patrum testimónia, quæ pro nostra addúximus conclusióne, alíaque ipsis simília, quæ addúci possent, esse accipiénda aut de lege supernaturáli, non de naturáli; aut de impletióne legis naturális, non tantùm quoad substántiam, sed étiam quoad modum; contra eos faciunt sequéntia.

1.° Quòd *Matth.*, *c.* 19, Christus ínquiens: «Si vis ad vitam íngredi, serva «mandáta,» locútus fúerit de præcéptis legis natúræ, ut patet legénti textum.

2.° quòd cùm Apóstolus docet grátiam esse necessáriam ad vincénda peccáta, et ad servánda legis præcépta, dissértis verbis mentiónem facit legis naturális, ut ad *Rom.*, *cap.* 3, 7 *et* 8, ac speciáliter hujus, *Non concupísces:* 3.° quòd idem Apost. ad Romános scríbens, non solùm Judæis, sed étiam Gentílibus osténdere vóluit, grátiam ita esse illis necessáriam, ut sinè ea nec hi, nec illi revéra legem implèverint; inquit enim *cap.* 3: «Causáti enim sumus Judæos, «et Græcos omnes sub peccáto esse, etc.» Gentes áutem nec áliam legem habébant præter naturálem, nec de modo illam impléndi, nempè ex affèctu charitátis, quídquam audivérant. 4.° Observátio legis secúndùm solam substántiam requírit, quòd ejus præcépta sic impleántur, ut non peccétur contra illa; sive interim in modo impléndi peccétur, sive non, v. g. ut is, qui implet præcéptum de honorándis paréntibus, de non concupiscéndo, de non furándo etc. ita præstet quæ ibi dicúntur, ut non possit dici peccáre contra honoratiónem Paréntum, contra præcéptum *Non concupísces*, *Non furtum fácies*, et sic de áliis: Atqui, Apóstolus docet, legem étiam naturálem non posse ita impléri sinè grátia, ut contra ipsam non peccétur: Ergo, docet legem naturálem, étiam quoad solam substántiam non posse sinè grátia impléri. 5.° Cùm SS. PP. docent, legis præcépta non posse impléri sinè grátia, infidéles étiam comprehéndunt, proindéque de illa lege loquúntur, cujùs solíus notítiam habent infidéles, quæ profèctò ália non est, quam lex naturális. 6.° Tandem, SS. PP. eam legem negant impléri posse, sinè grátia, quàm Pelagiáni affirmábant sinè ea impléri posse; nam SS. PP. contra Pelagiános tunc dimicábant: Pelagiáni áutem dicébant, præcépta legis naturális quoad substántiam posse víribùs natúræ adimpléri sinè grátia: ut enim vidére licet apud August., *epist.* 90, Pelagiáni «dicunt in eo Dei grátiam deputári, «quòd talem hóminis instituit, creavít«que natúram, quæ per própriam volun«tátem legem Dei possit implére, sive «in lítteris datam, sive naturáliter in «corde conscríptam,» quæ útique est lex naturális.

VI. CONCLÚSIO.

Homo non potest meréri vitam ætérnam sinè Grátia.

542. Prob. 1.° Apóstolus, *epist. ad Rom.*, *cap.* 6, *v.* 23, dissértè ait: «Grá«tia Dei, vita ætérna, in Christo Jesu «Dómino nostro:» quod ídeò dícitur, ut expónit August. in *lib. de Grat. et lib. arb.*, *cap.* 9: ut intelligerémus, Deum «ad vitam ætérnam pro sua miseratióne «nos perdúcere.» Ergo, homo non potest etc.

543. Prob. 2.° Christus *Joán.*, *c.* 15, suis discípulis dixit: «Sicut palmes «non potest ferre fructum à semetípso, «nisi mánserit in vite; sic nec vos nisi «in me mansèritis:» Atqui, si homo sinè grátia posset vitam ætérnam meréri, valéret fructum, et quidem óptimum, prodúcere, quin in Christo manéret: Ergo, homo sinè grátia non potest etc.

544. Prob. 3.° hâc ratióne theológicâ D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 109, *art.* 5: «Actus perducéntes ad finem opórtet «esse fini proportionátos. Nullus áutem «actus excédit proportiónem princípii «activi: et ídeo vidémus in rebus natu«rálibus, quòd nulla res potest perfícere «efféctum per suam operatiónem, qui «excédat virtútem actívam; sed solùm «potest prodúcere per operatiónem suam

«efféctum suæ virtúti proportionátum. «Vita áutem ætérna est finis excédens «proportiónem natúræ humánæ; et ídeò, «homo per sua naturália non potest pro«dúcere ópera meritória proportionáta «vitæ ætérnæ; sed ad hoc exígitur ál«tior virtus, quæ est virtus grátiæ: et «ídeò sinè grátia homo non potest me«réri vitam ætérnam.»

VII. CONCLÚSIO.

Fide certum est, quòd nemo ex solis natúræ viribus, sinè auxílio grátiæ speciális, potest ad grátiam habituálem, seu sanctificántem, consequéndam, se sic præparáre, ut eam de condígno mereátur.

345. Circa hanc matériam duo occúrrunt extrémi erróres. Álius est Luthéri, et suórum, qui cum ásserant, ómnia ópera hóminis ante justificatiónem facta, esse peccáta; consequénter dicunt, hóminem, etsi à grátia excitétur, nihil ágere posse, quô se ad justificatiónem præparet, ac dispónat. Concílium áutem Tridentínum Lutherános sic aberrántes confíxit, *Sess.* 6, *Can.* 7, definiens: «Si quis díxerit, ópera ómnia, quæ ante «justificatiónem fiunt, quacúmque ratióne «facta sint, verè esse peccáta, vel ódium «Dei meréri..... anathéma sit.» Et *Can.* «4: Si quis díxerit, líberum hóminis ar«bítrium à Deo motum, et excitátum, ni«hil cooperári Deo excitánti, atque vo«cánti, quô ad obtinéndum justificatiónis «grátiam se dispónat, ac præparet..... «anathéma sit.»

Álius fuit error Pelágii, suorúmque Asseclárum dicéntium, hómines per naturáles vires líberi arbítrii, ábsque ullo grátiæ interióris auxílio, ad grátiam se posse præparáre. Huic erróri Semi-Pelagiáni præcípuè subscripsérunt, contendéntes, inítium justificatiónis ex nobis esse, et grátiam secúndùm nostra mérita conférri. Hos páriter confíxit Concílium Tridentínum, *Sess.* 6, *Can.* 3, definiens: «Si quis díxerit, sinè præ«veniénte Spíritûs Sancti inspiratióne, «atque ejus adjutório, hóminem créde«re..... posse sicut ópórtet, ut ei jus«tificatiónis grátia conferátur, anathé«ma sit.» Néminem áutem latet, quòd crédere sit justificatiónis inítium.

His rectè perpénsis, nostra Conclúsio jam satis sarta téctaque vidétur; nihilóminus Tyrónum grátiâ ínsuper

346. Prob. cum Augustíno, *epist.* 217, *ad Vitálem, c.* 6, sic argüénte: «Quómodò voluntátis humánæ méritum «séquitur grátia, cum detur et párvulis, «qui nondùm possunt velle, seu nolle? «Quómodò grátiam vel in majóribus di«cúntur præcédere mérita voluntátis; si «grátia, ut vera sit grátia, non secún«dùm mérita nostra datur? Quam sen«téntiam cathólicam Pelágius ipse sic «tímuit; ut eos, qui dicunt, grátiam Dei «secúndùm mérita nostra dari, sinè du«bitatióne damnáret, ne à Cathólicis «judícibus damnarétur.»

Idem Augustínus, *epist.* 186, *ad Paulínum, cap.* 2, inquit: «Si quæ«rere volúerit ante grátiam quid me«rúerit, ut accíperet eam, mala sua pó«terit homo invenire, non bona; etiámsi «eum unius diéi vitam habéntem super «terram, grátia Salvatóris invénerit. «Quia si áliquid bonî operátur homo, ut «grátiam mereátur, non ei merces im«putátur secúndùm grátiam, sed secún«dùm débitum (*Vid. epist. ad Rom.*, «*cap.* 4). Si ergo grátia; jam non ex «opéribus est, (*Vid. epist. ad Rom.*, «*cap.* 14) alióquin grátia jam non est «grátia: opéribus enim débitum réddi«tur; grátia gratis datur, undè étiam «nuncupátur.» Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ

q. 109, *art.* 6, et *lib.* 3 *contr. Gent., cap.* 149.

Homo adúltus ad recipiéndam grátiam habituálem, seu sanctificántem, debet quidem sese præparáre, non tamen id potest per seípsum, ac suas vires, sed tantùm auxíliò grátiæ eum movéntis. Audiátur D. Thomas, 1.ª 2.æ *q.* 109, *art.* 6, dicens: «Duplex est præ«parátio ad bonum. Una quidem, quâ «præparátur ad benè operándum, et ad «Deô fruéndum, et talis præpáratio vo«luntátis non potest fíeri sinè habituáli «grátiæ donô, quod sit princípium ópe«ris meritórii. (*Hoc infrà agéntes de «mérito demonstrábimus.*) Áliô modô «potest intélligi præparátio voluntátis ad «consequéndum ipsum grátiæ habituális «donum. Ad hoc áutem, quòd se præ«paret homo ad susceptiónem hujus do«ni, non opórtet præsuppónere áliud do«num habituále in ánima, quia sic pro«cederétur in infinítum: sed opórtet «præsuppónere áliquod auxílium gratúi«tum Dei intériùs ánimam movéntis, «sive inspirántis bonum propósitum.» S. Dr. his suîs verbîs compléxus est et quod in hac Conclusióne súmpsimus probándum contra Pelagiános; et quod contra Semi-Pelagiános declarábit séquens

VIII. CONCLÚSIO.

Homo ex víribus natúræ nequit ullô modô, nec remótè, se dispónere ad primam grátiam, puta, vocatiónis ad fidem.

547. Prob. Concl. Si homo ábsque auxílio, et grátiâ Dei, posset ad primam grátiam se præparáre, hoc esset vel per humánas vires eam invocándô, vel credéndô, vel voléndô, vel desiderándô, vel pulsándô: Atqui, néutrum horum potest solîs natúræ víribûs: Ergo, etc. Prob. Min. Homo solîs natúræ víribûs nihil potest de grátia vel cogitáre: Ergo, solîs natúræ víribûs nequit eam invocáre, désiderâre, quærere etc. Prob. antecéd. S. August., *lib.* 2, *contra duas epist. Pelag., c.* 8, inquit: «Vídeant quid «respóndeant dicénti Apóstolo (2 *Cor.* «3, 5.) Non quia idónei sumus cogitare «áliquid, quási ex nobis metípsis, sed «sufficiéntia nostra ex Deo est. Cogitáre, «ait, áliquid útique bonum: minus est «áutem cogitáre, quam cúpere. Cogi«támus quippe omne, quod cúpimus; «nec tamen cúpimus, omne, quod «cogitámus: quóniam nonnúmquàm et «quod non cúpimus, cogitámus. Cùm «ígitur minùs sit cogitáre, quàm cúpe«re, potest enim homo cogitáre bonum, «quod nondùm cupit, et proficiéndô «pósteà cúpere, quod ánteà non cupién«dô cogitábat; quómodô ad id, quod «minùs est, id est, ad cogitándum áli«quid bonî non sumus idónei ex nobis«metípsis, sed sufficiéntia nostra ex Deo «est; et ad id, quod est ámplius, id est, «ad cupiéndum áliquid boni, sinè divíno «adjutório idónei sumus ex líbero arbí«trio? Neque enim et hìc Apóstolus ait: «Non quia idónei sumus cogitáre quod «perféctum est, támquàm ex nobisme«típsis: sed cogitáre, ait, áliquid, cui «contrárium est nihil. Undè est illud «Dómini *Joán.*, *c.* 15, *v.* 5, sinè me «nihil potéstis fácere.» Hucúsque S. Aug. mirificè, quæ propugnámus, confírmans.

548. Prob. 2.° Concílium Arausicánum, *Can.* 2, státuit: «Si quis per invo«catiónem humánam, grátiam Dei dicit «posse conférri, non áutem grátiam fáce«re, ut invocétur à nobis; contradícit «Isáiæ Prophétæ, vel Apóstolo idem di«cénti: Inventus sum à non quæréntibus «me, palàm appárui his, qui me non in-

«terrogábant.» Idem Concílium id idem «répetit, *Can*, 6, addens, quòd qui contrárium sentit, «Resístit Apóstolo di- «cénti: Quid habes, quod non accepísti? «et Grátiâ Dei sum id, quod sum.» Ítem, *Can*. 7, inquit: «Si quis per na- «túræ vigórem bonum áliquod, quod ad «salútem pértinet vitæ ætérnæ, cogitá- «re, ut éxpedit, aut elígere, sive salu- «tári, id est, Evangélicæ prædicatióni, «consentíre posse confírmat, ábsque il- «luminatióne, et inspiratióne Spíritûs «S., qui dat ómnibus suavitátem in con- «sentiéndô, et credéndô veritáti, hære- «ticô fállitur spíritû.»

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

549. Obj. 1.° D. Thomas, *lib*. 2 *Sent*., *Dist*. 28, *q*. 1, *art*. 4, ait: «quòd «ad grátiam gratum faciéntem habén- «dam, ex solo líbero arbítrio se homo «potest præparáre.» Ergo, solis natúræ víribûs homo potest se preparáre ad grátiam.

Resp. Dist. ant. Secúndùm D. Thomam, ex solo líbero arbítrio, id est, ábsque dono grátiæ habituális, seu sanctificántis, potest se homo præparáre ad grátiam gratum faciéntem hábéndam, concéd.: ex solo líbero arbítrio, íd est, ábsque omni auxílio speciáli, et motióne Dei gratúitâ potest se homo præparáre ad grátiam, neg. Ibi enim Angélicus Doctor expréssè tradit, grátiam dupliciter áccipi. Primò: pro eo, quò homo à Deo excitátur ad converténdum se, ut grátiam gratum faciéntem accípiat, quod quidem grátia gratis collâta nuncupári valet; et sic sinè hac grátia gratis collâtâ nemo se ad grátiam præparat. Vid. probat. Conclus. Secúndò, grátia áccipi potest pro áliquo dono habituáli ánimæ infúsô; et hôc sensû accéptâ grátiâ, docet ibi D. Thomas, hóminem sinè hoc dono habituáli, ex solo líbero arbítrio, excitátô tamen per grátiam grátis collátam, seu per actuále auxílium Dei, posse se præparáre ad grátiam gratum faciéntem, seu grátiam habituálem habéndam, áliàs in infinitum abirétur. His confórmiter Concílium Tridentínum, *Sess*. 14, *c*. 4, ait: «attritiónem donum «Dei esse, et Spíritûs S. impúlsum, non «adhuc quidem inhabitántis, sed tantùm «movéntis, quô pœnitens adjútus viam «sibi ad justítiam parat.»

550. Obj. 2.° August. *lib*. 19, *de Civit. Dei*, *c*. 13, hæc tenet: «Pactô «æquíssimô, ut qui mortális tálibûs bo- «nis paci mortálium accommodátis rectè «usus fúerit, accípiat amplióra, atque «melióra, ipsam scílicet immortalitátis «pacem, eíque conveniéntem glóriam, et «honórem in vita ætérna ad fruéndum «Deô, et prôximô in Deo:» Ergo, juxta Augustínum adest pactum, ut, qui benè útitur temporálibûs, se dignum reddat, ut accipiat à Deo grátiam, et glóriam.

Resp. Dist. antecéd. Et Augustínus in præcitátis verbis lóquitur de bono usu temporálium, cum auxílio actuáli grátiæ, concéd.: ábsque tali auxílio, neg. Hanc fúisse Augustíni mentem, constat ex his ipsíus verbis, *Serm*. 2 *in Psalm*. 70, *n*. 1: «Grátia grátis data est. Nam «nisi grátis esset, grátia non esset. Por- «rò áutem, si propterèa grátia est, quia «gratis est, nihil tuum præcéssit, ut ac- «cíperes. Nam si áliqua bona ópera tua «præcessérunt, prétium accepísti, non «gratis:» Iterùm in *psalm*. 62, *n*. 12, inquit: «Quæ bona facta nostra præces- «sérunt, ut Deus nobis grátiam suam «daret? Numquid invénit justítias, quas «coronáret, et non delicta, quæ donáret? «Útique delícta, quæ donávit; si punire «vellet, non esset injústum.» Ex his áliisque, quæ in médium proférre possúmus, et brevitátis grátiâ prætermítti-

mus, líquet, in doctrína S. Augustíni pactum illud æquíssimum, non esse de danda immortalitátis pace, glóriâ, et vitâ ætérnâ, his, qui ex solis víribus natúræ benè temporálibûs bonîs utántur. Si res ita non foret, sequerétur, grátiam secúndûm mérita nostra dari, id quod ipse Augustínus, et Ecclésia damnávit in Pelágio; imò sequerétur, et ipsam glóriam, et vitam ætérnam, quæ est consummátio grátiæ, benè temporálibûs bonîs utênti per solas vires natúræ, concéssam iri; id quod non sinit Apóstolus, *epist. ad Rom.*, *c.* 6, *v.* 23, ínquiens: «Grátia áutem Dei, vita ætérna, in «Christo Jesu Dómino nostro.» Secúndûm Augustínum ergo, pactum æquíssimum est, Deum *in áltera vita* amplióra bona, nempè, immortalitátis pacem, glóriam, et vitam ætèrnam iis datúrum ésse, qui bonîs temporálibûs ex grátiæ adjutório benè in hac vita usi fúerint: étenim, ut idem S. Dr. *ibid.*, *c.* 14, éxplicat, homo, «ne ipsô stúdiò cognitió-«nis propter humánæ mentis infirmitá-«tem in pestem alicújus erróris incúrrat, «opus habet magistériô divínô, cui cer-«tus obtémperet, et ADJUTÓRIO, ut «líberé obtémperet.» Ergo, secúndûm Augustínum, ad rectum usum bonórum temporálium pro immortalitáte consequénda necessárium est Dei adjutórium; et consequénter quòd vires naturáles non sufficiant.

IX. CONCLÚSIO.

Nulla, saltem gravis tentátio, sinè grátia Salvatóris in státu natúræ lapsæ superári potest.

551. Dícimus in Conclusióne, *saltem gravis tentátio*, quia nólumus cum iis decertáre, qui tentatiónes quásdam levíssimas, et brevíssimas posse sinè auxílio grátiæ superári, conténdunt. Ipsi víderint. Nólumus tamen præteríre, Bellarmínum observáre, eórum sententiam de fácili posse cum áliis conciliári, quia levíssimæ illæ titillatiónes vix possunt in próprio sensu, veræ tentatiónes nuncupári.

Nostra Conclúsio est contra Cassiánum, ejúsque Asséclas, qui in célebri *Collat.* 13, *c.* 13, et seq. contendébat solîs víribûs líberi arbítrii posse tentatiónes étiam gravíssimas superári, quális certè fuit Job tentátio; undè illa verba Apóstoli, 1 *ad Cor.*, *c.* 10, *v.* 13: «Fi-«délis Deus, qui non patiétur vos ten-«tári, supra id quod potéstis,» eô sensû explicábat, quòd Deus ita tentatiónes ab extrínseco moderabátur, ut naturáles líberi arbítrii vires non excéderent. Contra hos ergo

552. Prob. Conclus. 1.° ex Sacris lítteris, præcípuè ex divínis psalmis, in quibus véritas, quam tuémur, sæpè sæpiùs inculcátur: Sic légitur *Psalm.* 17. «In te eripiar à tentatióne, et in Deo meo «transgrédiar murum;» ibid: «Láudans «invocábo Dóminum, et ab inimícis meis «salvus ero;» *psalm.*, 29: «Avertísti «fáciem tuam à me, et factus sum con-«turbátus; *psalm.* 36: «Salus áutem «justórum à Dómino, et protéctor eórum «est in tempore tribulatiónis;» *psalm.* 117: «Impúlsus, evérsus sum, ut cáde-«rem, et Dóminus suscépit me, etc., «etc.» Proféctò, nihil frequéntiùs in libris sanctis occúrrit quàm Dei opis implorátio ad tentatiónes superándas. Sic *psalm.* 107: «Da nobis auxílium de «tribulatióne, quia vana salus hóminis. In «Deo faciémus virtútem, et ipse ad nihi-«lum dedúcet inimícos nostros.» Hinc Jesus Christus in oratióne Domínica ita nos oráre dócuit: «Et ne nos indú-«cas in tentatiónem; sed líbera nos à «malo;» itèm *Matth.*, *c.* 26, *v.* 41,

præcipiébat Apóstolis: «Oráte, ut non «intrétis intentatiónem;» id quod se præstáre semper fatebátur David, dicens in *psalm.* 24: «Óculi mei semper ad «Dóminum, quóniam ipse evéllet de lá- «qüeo pedes meos.» Patet áutem hos, aliósque símiles textus, si non intelligéndi véniunt, ut sunt intellígendi, quòd ad vincéndas quáslibet, étiam mínimas tentatiónes, necessária sit grátia Salvatóris, saltem intelligéndos esse de grávibus tentatiónibus propulsándis.

553. Nos non latet, quósdam conténdere, hîs textibûs tantùm significári, grátiam esse necessáriam ad tentatiónes meritóriè superándas; non áutem ut peccátum ex fine honéstò vitétur, aut étiam ex amóre Dei naturáli ducénte ad præcépta legis naturális servánda.

Verùm, hæc eórum interpretátio mínimè consentánea est SS. PP. interpretatióni, qui prælaudátos Scriptúræ textus, in eo étiam sensu intellexérunt, et explicárunt, ut indè cognoscerémus, tantam esse in hocce corruptiónis státu nostram imbecillitátem, ut ad vincéndas tentatiónes Dei adjutóriò indigeámus. Profectò, S. Martyr Cypriánus, ut vidére licet apud S. Augustínum, *lib.* 4 *ad Bonif.*, *c.* 9, multò ante exórtam hæresim Pelagiánam, in Tract. de *Oratióne Dominica*, inquit: «Quándò orámus, «ne in tentatiónem veniámus, admoné- «mur infirmitátis, et imbecillitátis nos- «træ, dum sic orámus, nè quis inso- «lénter extóllat, ne quis sibi supérbè, «atque arrogántèr áliquid assúmat:» S. August., *epist.* 186, *c.* 9, tenet, quémlibet fatéri debére quòd, «Quándò «contra tentatiónes, concupiscentiásque «illícitas dimicámus, quámvis et illic «habeámus própriam voluntátem, non «tamen ex illa, sed ex adjutório Dei «nostram provenire victóriam.» Vid. D. Ambros. in *psalm.* 43, *n.* 72, et præcitátum August., *lib.* 3 *Oper. imper.*, *c.* 109, etc. etc.

Hanc veritatem páriter confírmant PP. Synodi Diospolitánæ damnántes hanc Cœléstii doctrínam: «Victória nostra non «est ex Dei adjutório, sed ex líbero ar- «bítrio;» ac PP. Milevitáni in epist. Synódica ad Summum Pontíficem Innocéntium I, inter perniciosíssimos erróres hæresis Pelagiánæ à se damnátos, hunc enúmerant: «Ne nos ínferas in «tentatiónem, non ita esse intelligén- «dum, támquàm divínum adjutórium «póscere debeámus, nè in peccátum «tentáti decidámus, sed hoc in nostra «esse pósitum potestáte, et ad hoc im- «pléndum, solùm suffícere voluntátem «hóminis.» S. Cœlestínus simíliter in *epist. ad Episcopos Galliæ*, *cap.* 6, definívit: «Néminem, étiam baptísmi grá- «tiâ renovátum, idóneum esse ad supe- «rándas diáboli insídias, et ad vincéndas «concupiscéntias, nisi per quotidiánum «adjutórium Dei perseveránti am bonæ «conversatiónis accéperit.»

554. Conclúdimus ergo cum D. Thoma, 1.ª 2.æ *quæst.*, 109, *art.* 9, evincénte, eos étiam, qui grátiam justificántem consecúti sunt, Dei auxíliò indigére ad recte agéndum, adeóque ad tentatiónes propulsándas. Ait enim Aug. Dr.: «Primò quidem ratióne generáli, «propter hoc quòd nulla res creáta po- «test in quemcúmque actum prodíre ni- «si virtúte motiónis divínæ. Secúndò, «ratióne speciáli, propter conditiónem «státûs humánæ natúræ: quæ quidem, «licèt per grátiam sanétur, quantùm ad «mentem, rémanet tamen in ea corrúp- «tio, et infféctio quantùm ad carnem, «per quam servit legi peccáti, ut dícitur «ad Roman. 7, 25. Rémanet étiam quæ- «dam ignorántiæ obscúritas in intellec- «tu, secúndùm quam, ut étiam dícitur «Rom. 8, 26. Quid orémus, sicut opór-

«tet, nescímus: propter vários enim re-«rum evéntus, et quia étiam nos ipsos «non perfécte cognóscimus, non póssu-«mus ad plenum scire quid nobis expé-«diat, secúndùm illud Sap. 9, 14. Co-«gitatiónes mortálium tímidæ, et incér-«tæ providéntiæ nostræ. Et ídeò, necés-«se est nobis ut à Deo dirigámur, et «protegámur, qui ómnia novit, et ómnia «potest. Et propter hoc, étiam renátis «in fílios Dei per grátiam (*santificántem*) «cónvenit dícere: Et ne nos indúcas in «tentatiónem.» Implorántes hôc pactô auxílium actuále ad tentatiónem urgéntem superándam. Si hoc est necessárium renátis per sanctificántem grátiam, à fortióri necessárium erit iis, qui hâc grátiâ sanctificánte sunt orbáti, et in quibus, ut consideránti patet, defóctus vigent, quos modò ex D. Thoma addúximus. Ergo, nulla, saltem gravis tentátio, sinè grátia Salvatóris, in státu natúræ lapsæ superári potest.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

555. Obj. 1.° Grátia nequit stáre cum peccáto mortáli, et à fortióri, neque cum infidelitáte: Ergo, existéntes in peccáto mortáli, et infidéles, aut peccant in omni ópere suo, aut ábsque grátia possunt tentatiónibus resístere: illud áutem dici nequit: Ergo, hoc últimum est asseréndum.

Resp. Dist. Maj. Grátia sanctíficans nequit stáre cum peccáto mortáli, neque cum infidelitáte, concéd.: auxílium grátiæ actuális, et transeúntis ad áliquod determinátum opus, nequit stáre cum peccáto mortáli, et infidelitáte, neg. Negámus ergo, existéntes in peccáto mortáli, aut infidéles, non posse hôc donô grátiæ actuális adjuvári; aut sinè ipso posse tentatiónes superáre. Undè D. Thomas, *q.* 24, *de Verit.*, *art.* 14, ait: «Si grátiam Dei velímus dícere, non áliquod habituále donum, sed «misericórdiam Dei, per quam intériùs «motum mentis operátur, et exterióra «órdinat ad hóminis salútem; sic nec «ullum bonum homo potest fácere sinè «grátia Dei.» Ergo, juxta S. Thomam, homo quicúmque, étiam in peccáto mortáli exístens, aut infidélis, propter indifferéntiam líberi arbítrii, ut bonum pótiùs, quàm malum agat, índiget divínâ Providéntiâ, quæ secúndùm quòd júdicat expedire, moderátur motus ad bonum; et misericórdiâ Dei, per quam intériùs motum mentis operátur, et exterióra ad bonum órdinat. Nemo áutem dícere potest, hoc Dei auxílium esse huic hómini præ áltero débitum: Ergo, est gratúitum, quia non datur ex mérito; est et speciále, quia non ómnibus datur. Hæc observátio, quam ante nos fecérunt doctíssimi Bancel, et Goudin, necessária est ad enodándas difficultátes, propter quas multi céspitant, et deludúntur; et opiniónes ipsórum Thomistárum apparénter contrárias conciliat.

556. Obj. 2.° Non desunt exémpla Mártyrum falsárum Religiónum, qui atrocíssimos cruciátus incredíbili fortitúdine sustinuére, útique víribûs natúræ, et ábsque ullô divínæ grátiæ auxíliô: Ergo, víribûs solîs natúræ, ac sinè auxílio grátiæ potest quílibet graves tentatiónes superáre.

Resp. Dist. antec. Et præcitáti Mártyres tália sustinuére ex motívo pravo, concéd.: ex motívo honésto, neg. Ipsi sese gessérunt, ut Avárus, qui tentatiónibus luxúriæ, aut gulæ resístit propter inordinátum pecúniæ amórem. Hinc S. Hierónymus, *epist.* 125, *ad Rústicum Mónachum*, inquiébat: «Philósophi sæ-«culi solent amórem véterem amóre «novô, quási clavum clavô, expéllere.» Et S. Augustínus, *lib.* 21, *de Civit.*

Dei, cap. 6, inquit: «Nonnúmquàm «apertíssima vítia áliîs vítiîs vincúntur «occúltîs, quæ putántur esse virtútes, «in quibus regnat supérbia, et quædam «sibi placéndi altitúdo ruinósa.» Profécto, hôc modô célebres illi Héroës Románi, et Græci inordinátâ glóriæ cupiditáte ália vítia vincébant: undè de Júnio Bruto, qui fílios suos Pátriæ amóri immolásse videbátur, cécinit Virgílius *Æneid.* 6:

Vicit amor Pátriæ, laudúmque imménsa cupido.

Hôc modô superári posse tentatiónes sinè áliqua grátia Dei, nemo inficiátur; quámquàm isti appellári néquëunt victóres tentatiónum, cùm non nìsi ab una victi, áliam vincant, seu ut S. Prosper canébat, *in vúlnere vúlnera surgant.*

557. Obj. 3.° Juxta S. August., *lib. de Patiéntia, c.* 27, áliquis ab Ecclésia separátus pro veritáte dógmatis, quæ apud eum remánsit, potest qualecúmque supplícium pérpeti, étiam mortis: Atqui, is sustinéret hujúsmodi supplícium própriîs natúræ víribûs; Ergo, áliquis solîs natúræ víribûs, potest tentatiónes víncere.

Resp. Ex códem D. Augustíno, *ibid., c.* 29, *Dist. Maj.* Separátus ab Ecclésia potest per donum Dei, quod S. Augustínus ibíd. appéllat *donum exhæredatórum*, pérpeti supplícium, étiam mortis, concéd.: potest illud pérpeti per solas natúræ vires, si in eis non domínetur áliqua pássio veheméntior, puta, stúdium famæ conservándæ apud Sectários, neg. Qui sunt extra Ecclésiam, quemádmodùm Gentíles, possunt áliquod malum grave pérpeti, vel amóre virtútis, vel áliquô motívô humánô ducti, puta, vanæ glóriæ. Si hôc modô patiúntur supplícium, possunt quidem illud pérpeti solîs natúræ víribûs; (Vid. solut. præced.) Si áutem patiúntur supplícium amóre virtútis, id non fáciunt, nec fácere quëunt, ábsque speciáli Dei auxílio; et ídeò August. *lib.* 4, *contra Jul., c.* 3, et *epist.* 130, hæc bona ópera Gentílium, Dei dona réputat.

X. CONCLÚSIO.

Ad perseverándum fináliter est necessária grátia: et hæc est speciále donum Dei à grátia sanctificánte distínctum.

558. Probatiónibûs Conclusiónis præmíttimus cum D. Thoma, 1.ª 2.æ *quæst.* 109, *art.* 10: «Quòd perse«rántia tripliciter dícitur: Quandóque «enim signíficat hábitum mentis, per «quem homo fírmiter stat, ne removeá«tur ab eo, quod est secúndùm virtú«tem, per tristítias irruéntes; ut sîc «se hábeat perseverántia ad tristítias, «sicut continéntia ad concupiscéntias, «et delectatiónes.

«Áliô modô potest dici perseverántia, «hábitus quidam, secúndùm quem ho«mo habet propósitum perseverándi in «bono usque in finem. Et utróque istó«rum modórum perseverántia simul cum «grátia infúnditur, sicut et continéntia, «et cæteræ virtútes.

«Áliô modô dícitur perseverántia, «continuátio quædam boni usque ad fi«nem vitæ. Et ad talem perseveránti am «habéndam, homo in grátia constitú«tus, non quidem índiget áliquâ áliâ «habituálî grátiâ, sed divínô auxíliô ip«sum dirigénte, et protegénte contra «tentatiónum impúlsus.»

559. Ex his Angélici Præcept. verbis, íncipit jam elucéscere nostræ Conclusiónis probátio. Sed, ut distínctiùs procedámus,

Prob. 1.ª Conclusiónis pars, quæ est contra Pelagiános. 1.° Grátia est necessá-

ria ad síngulos pietátis actus, ut Synodus Palestína vel ipsum Pelágium fatéri coëgit: Atqui, inter actus pietátis potíssimum locum óbtinet perseveránția finális, cùm sinè ea réliqui ad vitam ætérnam non perdúcant: Ergo, in primis, grátia est necessária ad perseveréndum finâliter.

560. Prob. 2.° Perseveránția finális est connéxa cum vita ætérna, juxta illud *Matth. cap.* 24, *v.* 13: «Qui áutem «perseveráverit usque in finem, hic sal«vus erit:» Atqui, sinè grátia per Christum nequit vita ætérna obtinéri, juxta illud *epist. ad Rom., cap.* 6, *v.* 23: «Grátia áutem Dei vita ætérna in «Christo Jesu Dómino nostro:» Ergo, ad perseveréndum finâliter etc.

561. Prob. 3.° Perseveránția finâlis à Dei póscitur: Ergo, Dei donum est, neque enim à Deo póscitur, quod ipse non donat. Sic August. lib. de *Dono Perseveránțiæ*, *c.* 2, inquit: «Cur per«severánția ista póscitur à Deo, si non «datur à Deo? An et ista irrisória petí«tio est, cùm id ab eo pétitur, quod scí«tur ipsum non dare, sed ipsô non dan«te, esse in hóminis potestáte? Sicut ir«risória est étiam illa áctio gratiárum, «si ob hoc grátia ágitur Deo, quod non «donávit ipse, nec fecit... An ab illo «perseveránția nostra fortè non póscitur? «Jam hoc qui dicit, non meîs disputa«tiónibûs refelléndus, sed Sanctórum «oratiónibûs revocándus est.»

562. Prob. 2.ª pars Conclusiónis, quæ est contra Semi-Pelagiános. 1.° Juxta Augustínum mox laudátum, justi, et sancti omnes contínuò à Deo petunt finâlîs perseveránțiæ donum, dum in Oratióne Domínica dicunt: *Advéniat Regnum tuum*, quod útique sinè finâli perseveránția advenire nequit: imò, et tale donum justi, et sancti pètere debent, nam juxta Concil. Arausic. II, *Can.* 10: «Adjutórium Dei étiam renátis, et sanc«tis semper est implorándum, ut ad fi«nem bonum pervenire, vel in bono «possint ópere perdurâre.» Quid áutem imploráre debérent adjutórium Dei ad finâliter perseveréndum, si non esset donum distínctum à grátia habituâli, quam justi habent; cùm nemo petat ab álio, quod jam in sua habet potestáte? Petunt ergo, quia, ut ait Cœlestínus *epist. ad Episcopos Gálliæ*, *c.* 6, sciunt néminem, «étiam baptísmatis grátiâ re«novátum, idóneum esse ad superándas «diáboli insídias, et ad evincéndas carnis «concupiscéntias, nisi per quotidiánum «adjutórium Dei, perseveránțiam bonæ «conversatiónis accéperit.»

563. Prob. 2.° éadem Conclusiónis pars. Perseveránția finâlis est tale donum, ut qui illud habúerit, revérà et actû in finem úsque persevéret; undè August. de *Dono Persever.*, *c.* 6, ait: «De illa enim perseveránția lóquimur, «quâ perseverátur usque in finem: quæ «si data est, perseverátum est usque in «finem; si áutem non est perseverátum «usque in finem, non est data:» Atqui, donum tale, ut is, cui datum est, persevéret úsque in finem, est donum à grátia habituáli distínctum, nam omnes justi etsi donéntur grátiâ habituâli, non tamen omnes usque in finem persevérant. Ergo, etc.

564. Prob. 3.° ex D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 137, *art.* 4, ajénte: «Per«severánția..... potest áccipi pro actu «perseveránțiæ duránte usque ad mor«tem: et secúndûm hoc indiget non so«lûm grátiâ habituâlî, sed étiam gra«túitô Dei auxílio conservántis hóminem «in bono usque ad finem vitæ. Quia cùm «liberum arbítrium de se sit vertíbile, «et hoc ei non tollátur per habituálem «grátiam præséntis vitæ; non subest «potestáti liberi arbítrii étiam per grá-

«tiam reparáti, ut se immobíliter in «bono státuat, licét sit in potestáte ejus «quòd hoc éligat; plerúmque enim ca- «dit in nostram potestátem eléctio, sed «non execútio.» Conclúdimus cum Tridentíno, *Sess.* 6, *c.* 13 de perseveántiæ finális dono dicénte: «Quod quidem «aliúndè habéri non potest, nisi ab eo, «qui potens est eum, qui stat, statuére, «ut perseveránter stet, et eum, qui ca- «dit, restitúere:» et *ibid.*, *Can.* 22, definiénte: «Si quis díxerit, justificá- «tum vel sinè speciáli auxílio Dei in ac- «cépta justítia perseveráre posse, vel «cum eo non posse; anathéma sit.» Ergo, donum finális perseveántiæ est à grátia habituáli distínctum.

CAPUT IV.

DE DIVISIÓNE GRÁTIÆ.

565. Grátia commúniter divíditur in habituálem, et actuálem.

Grátia habituális, ut docet D. Thomas, 1.ª 2.æ *q.* 110, *art.* 2, «est for- «ma quædam supernaturális, ánimæ in- «fúsa, quâ suáviter, et promptè moveá- «tur ad bonum ætèrnum consequén- «dum;» quæ, ut ibíd. ad 1.m éxplicát S. Doctor, agit in ánimam, «non per «modum cáusæ efficiéntis, sed per mo- «dum cáusæ formális, sicut albédo fa- «cit album, et justítia justum.» Vid. Concil. Trident., *Sess.* 6, *Can.* 11, *cit. inf. num.* 566.

Grátia actuális, ut ibid. docet S. Doctor, «est quidam efféctus gratúitæ «Dei voluntátis, quô ánima hóminis mo- «vétur à Deo ad áliquod (*útique bonum, «pium, et salutáre*) cognoscéndum, vel «voléndum, vel agéndum. Hic áutem «gratúitus efféctus, *pergit S. Doctor*, «in hómine non est quálitas, sed motus «quidam ánimæ», id est, inhærens ánimæ *transeúnter*, quemádmodùm sunt motus in córpore, et non *permanénter*, prout sunt in córpore qualitátes, puta, albédo, calor, etc.

566. Grátia habituális, seu justíficans, est donum intrínsecè nobis collátum ex speciáli Dei dilectióne descéndens, non verò purè favor Dei extrínsecùs. Ita contra Luthérum, et Calvínum, státuit Concílium Tridentínum, *Sess.* 6, *Can.* 11, hîs verbîs: «Si quis díxerit, «hómines justificári, vel solâ imputatió- «ne justítiæ Christi, vel solâ remissióne «peccatórum, exclúsâ grátiâ, et charitá- «te, quæ in córdibus eórum per Spíri- «tum S. diffúndátur, atque illis inhæ- «reat: aut étiam grátiam, quâ justifi- «cámur, esse tantùm favórem Dei; ana- «théma sit.» A testimóniis Sacrárum Scripturárum, ac SS. Patrum, quæ adversùs Luthérum, et Calvínum in hac re invictíssimè pugnant, temperámus, nè in imménsum succréscat orátio.

567. Præter divisiónem grátiæ in habituálem, et actuálem, dividitur rursùs grátia in grátiam *gratìs datam*, et grátiam *gratum faciéntem*; in operántem, et coöperántem; in prævenièntem, et subsequéntem; in excitántem, et adjuvántem; ac tandem, in sufficiéntem, et efficácem.

568. Grátia, quæ *gratìs data* nuncupátur, est, quæ ordinátur ad hoc, quòd homo álteri coöperétur, ut in Deum reducátur. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *q.* 111, *art.* 4. Hujus grátiæ novem ab Apóstolo recensèntur spécies, *epist.* 1.ª *ad Cor.*, *cap.* 12 *à v.* 7.

Grátia, quæ *gratum fáciens* appellátur, est, quæ reddit hóminem grátum Deo, vel perféctè, et complétè, prout reperítur in eo, qui formáliter per grátiam habituálem Deo conjúngitur: vel imperféctè, seu incomplétè, dispositivè, et initiativè, prout invenítur in iis, qui ad dictam cum Deo conjunctiónem tendunt. Vid. damnatiónem Baji, inf. n.° 610, in fin. Resp. 2.°

569. Grátia *óperans* dícitur ea, quâ Deus áliquid in nobis operátur, nostram prævenièndò operatiónem, secúndùm illud *Act. Apost. cap.* 16: «Apéruit «cor Lydiæ purpuráriæ inténdere his, «quæ dicebántur à Páulo.»

Grátia verò *coóperans* est ea, quâ Deus nobis jam operántibus coöperátur, secúndùm illud *epist* 1 *ad Cor.*, *cap.* 15: «Grátia Dei mecum.» Undè Augustínus *lib. de grat. et lib. arb.*, *cap.* 17, inquit: «Coöperándò Deus in nobis «perfícit, quod operándò incépit: quia «ipse, ut velímus, operátur incípiens, qui «voléntibus coöperátur perfíciens..... Ut «ergo velímus, sinè nobis operátur; «cùm áutem vólumus et sic vólu«mus ut faciámus, nobíscum coöperá«tur.»

Sédulò tamen adverténdum est, quòd cùm dícitur, grátiam *operántem* esse illam quâ Deus operátur bonam voluntátem in nobis *sinè nobis*, ut vidére licet apud D. Thomam, 1.ª 2.æ *quæst.* 55, *art.* 4, *ad* 6, non ita est intelligéndum quòd eam operétur sinè nobis líberè consentiéntibûs; ac velut si volúntas nostra à Deo mota, merè passivè se hábeat ad actum bonum, nihil in ipsum influéndò: hic est error Luthéri, et aliórum, quem damnávit Concílium Tridentínum, *Sess.* 6, *Can.* 4. Et rátio adest: quia nullus actus vitális égredi potest à poténtia vitáli sinè influxu poténtiæ in talem actum: undè August., *lib. de Grat. et lib. arb. cap.* 17, inquit: «Certum est, nos velle cùm vólumus; «sed ille (*Deus*) facit, ut velímus..... «Certum est, nos fácere, cùm fácimus; «sed ille (*Deus*) facit, ut faciámus etc.»

Grátiam ergo operántem sinè nobis, in nobis operári dícitur, quia ad illam habéndam nihil nostrî contúlimus, sive peténdò, sive desiderándò, sive eam áliquò modò promeréndò, ut contendébant Semi-Pelagiáni. Ítaque Deus operátur in nobis sinè nobis priùs voléntibûs, conántibûs, pulsántibûs, desiderántibûs, studéntibûs; non tamen sinè nobis consentiéntibûs. È contrà: grátia coóperans dícitur nobíscum operári, quia jam per grátiam operántem nobìs conántibûs, pulsántibûs, desiderántibûs, peténtibûs, ad boni executiónem, et perfectiónem concúrrit. Vel áliìs términîs: grátia óperans ea dícitur, quæ bonam voluntátem deliberátam priùs operátur in hómine, puta, conversiónis ab infidelitáte ad fidem, vel à peccátis ad pœniténtiam: coóperans verò, ea est, quâ hómini jam per grátiam operántem volénti, et operánti coöperátur, augéndò, ac roborándò voluntátem, ut efficiat, et perficiat quod vult, et ad quod conátur. Et hoc est, quod supérius dicebámus ex

Augustíno, *lib. de Grat. et lib. arb.*, *cap.* 17 : «Quóniam ipse (*Deus*), ut ve-«límus, operátur incípiens, qui volénti-«bùs coöperátur perfíciens..... Ut ergo «velímus, sinè nobis (*sensû supra ex-«pósitô*) operátur : cùm áutem vólumus, «et sic vólumus, ut faciámus, nobíscum «coöperátur.» Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 111, *art.* 2.

570. Grátia étiam méritò in prævenièntem , et subsequéntem divíditur. Nam *psalm.* 58, légitur : «Misericórdia «ejus prævéniet me ;» et *psalm.* 22 : «Misericórdia tua subsequétur me :» ac étiam Ecclésia orat Dóminum, ínquiens: «Tua nos grátia et prævéniat, et sequá-«tur.» Hanc divisiónem Angel. Dr. 1.ª 2.æ *quæst.* 111, *art.* 3, sumit per órdinem ad efféctus prióres, et posterióres ; ut enim ipse ibíd. éxplicat, quinque sunt efféctus grátiæ præcípui in nobis , ad quos cæteri redúci possunt, ut ibídem notat ad 3. Hi áutem quínque efféctus gratiæ sunt, primus, ut ánima sanétur ; secúndus, ut bonum velit ; tértius, ut bonum quod vult, efficáciter operétur ; quártus, ut in bono persevéret ; quintus, ut ad Glóriam pervéniat. Ígitur, grátia secúndùm quod cáusat in nobis primum efféctum, vocátur prævéniens respéctû secúndi efféctûs ; et prout cáusat secúndum, vocátur súbsequens respéctû primi ; et sic de réliquis. Vid. eumd. S. Thom., *quæst.* 27, *de Verit. art.* 5, *ad* 6.

571. Grátia éxcitans, et grátia ádjuvans suum páriter in Scriptúris habent fundaméntum. Illa quidem in *epist. ad Ephes.*, *c.* 5, *v.* 14: «Surge qui «dormis, et exsúrge à mórtuis, et illu-«minábit te Christus ;» ac *Apoc.*, *c.* 3, *v.* 20: «Ecce sto ad óstium, et pulso «etc. :» hæc áutem commemorátur étiam divérsis in psalmis, ut *psalm.* 78, *v.* 9: «Ádjuva nos Deus salutáris noster ;» *psalm.* 16, *v.* 9: «Adjútor meus esto ;» *psalm.* 118, *v.* 117 : «Ádjuva me, et «salvus ero etc. etc.»

Ad hæc respíciens Tridentína Synodus, *Sess.* 6, *c.* 5, docet, eos «qui per «peccáta à Deo avérsi erant, per ejus «excitántem, atque adjuvántem grátiam «ad converténdum se, ad suam ipsórum «justificatiónem, eídem grátiæ líberè as-«sentiéndô, et coöperándô dispóni.» Sed ut patet, *éxcitans* redúci potest *ad operántem*, *et prævenièntem ; ádjuvans* autem, *ad coöperántem*, *et subsequéntem.*

572. Tandem, ut díximus, grátia divíditur in sufficiéntem, et efficácem. Grátia sufficiens dícitur ea, quæ confert benè agéndi facultátem ; éfficax, quæ bonum usum hujus facultátis præbet. Item : grátia sufficiens est quæ dat bonum posse ; éfficax áutem, quæ dat bonum ágere. Grátia sufficiens dícitur ab Augustíno, *lib de correp. et grat.*, *cap.* 11 *et* 12, auxílium *sinè quo non* ; grátia áutem éfficax auxílium *quô*. Hócce loquéndi modô significávit S. P. sinè grátia sufficiénte non posse hóminem bonum operári ; sinè grátia áutem efficáci non operári : undè illa dat *posse ;* hæc áutem, *actû ágere.*

Utrámque grátiam dari , ex sacris Lítteris evíncimus. Pro grátia sufficiénte : *Proverb.*, *cap.* 8, *v.* 24, légitur, Deum exprobrásse Judæis: «Vocávi, «et renuístis : exténdi manum meam, et «non fuit, qui aspíceret.» Est quidem per se notum, Deum justè Judæos reprehendísse. Ergo, Jubitáre non licet, Judæos *potuísse* non renúere, seu, quod in idem redit, potuísse benè ágere, non renuéndô, sed obsequéndô Dei vocatióni, ac aspiciéndô ad manus ejus, quas ad ipsos extendébat ; si enim Judæi hâc caruíssent poténtiâ, Deus injústè eos reprehendísset, cùm nemo justè repre-

héndi possit ob omissiónem ejus, ad quod præstándum non habet poténtiam. Ergo, Judæi habébant poténtiam benè agéndi, nempè, non renuéndi, sed obsequéndi Dei vocatióni; non habuérunt tamen hoc benè ágere, renuérunt enim. Ergo, verè datur grátia, quæ confert posse benè ágere, quin tamen cónferat ipsum benè ágere. Hæc áutem est grátia, quam nos dícimus sufficiéntem. Ergo, verè datur grátia suffíciens, prout à nobis expónitur, ac propugnátur.

Iterùm : Apóstolus, *epist.* 2 *ad Cor.*, *cap.* 6, *v.* 1, ait : «Exhortámur ne in «vácuum grátiam Dei recipiátis.» Ergo, juxta Apóstolum, datur grátia, quæ potest in vácuum récipi. Hæc áutem, ut de se patet, mínimè est grátia, quæ dat *bonum ágere*, ac testátur ipse Apóstolus, dum lóquens de hac grátia sibi collátâ inquit : «Grátia ejus in me vácua «non fuit.» Ergo, præter grátiam, quæ dat *bonum* ágere, ália datur, quæ, non dans *bonum ágere*, confert tamen facultátem, seu poténtiam benè agéndi, si enim nec hanc conférret, nihil conférret ; nihil áutem cónferens, grátia non esset. Ergo, ex Apóstolo, datur grátia, quæ tantùm confert poténtiam benè agéndi. Hanc áutem grátiam nos dícimus sufficiéntem. Ergo, verè datur grátia suffíciens, prout à nobis expónitur, ac propugnátur.

Tandem, Innocéntius X, damnávit hanc Jansénii propositiónem : «Interióri «grátiæ in státu natúræ lapsæ númquàm «resístitur.» Ergo, in hoc státu natúræ lapsæ datur áliqua grátia intérior, cui aliquándò resístitur. Hæc, ut patet, nequit esse grátia, quæ det *ipsum ágere ;* implicat enim, quòd quis agat secúndùm grátiam, cui simul resístat. Ergo, præter grátiam interiórem, quæ det ágere, ália est grátia intérior, quæ dat tantùm facultátem benè agéndi, cui áliquis potest resístere, cùm quílibet possit resístere facultátibus, seu poténtiis agéndi, quas in se habet, ut cùm quis cláudit óculos, ne vídeat ; cláudit os, ne loquátur etc. Ergo, datur reápsè grátia intérior, quæ tantùm confert poténtiam benè agéndi. Hanc áutem grátiam nos dícimus sufficiéntem. Ergo, verè datur grátia suffíciens, prout à nobis expónitur, ac propugnátur, distícta à grátia, quam dícimus efficácem, et cujûs est dare ipsum ágere.

Dari verò hanc grátiam efficácem, quæ det ipsum bonum *operári*, satis apértè tradit Apóstolus, *epist. ad Philip.*, *c.* 2, *v.* 13, inquiens : «Deus est «enim, qui operátur in nobis et velle, et perfícere :» velle áutem et perfícere sunt actû operári : Ergo, est áliqua Dei grátia, quæ nobis dat ipsum operári. Páriter Ezéchiel, *c.* 36, *v.* 26, ínquit ex ore Dómini : «Dabo vobis cor cárneum... «et fáciam, ut in præcéptis meis ambu«létis, et judícia mea custodiátis, et «operémini.» En Dei grátia nobis tríbuens actû ambuláre in præcéptis Dómini ; actû Dei judícia custodíre ; ac actû operári ; quæ sunt grátiæ efficácis múnia. Ergo, datur grátia éfficax à sufficiénte útique distícta

573. Sunt qui per grátiam sufficiéntem, eam intélligunt, præter quam nihil áliud est ex parte Dei necessárium, ad hoc, ut homo credat, díligat, benè operétur, aut in bono perdúret ; et in hoc sensu eam intélligunt Molínæ discípuli. Vide Léssium in *Apologético*, *cap.* 9.

His áutem non adquiescéndum patet 1.° ex eo quòd, si sua posset stáre senténtia, sequerétur, eos, qui talem habérent grátiam sufficiéntem, non debére Deum oráre pro ulterióri grátia, cùm in horum hypóthesi supponátur, nihil áliud ex parte Dei requíri ad actû benè

operándum, præter id, quod jam dedit: 2.° sequerétur, vel grátiam efficácem non esse necessáriam ad benè operándum, et perseverándum in bono, si grátia suffíciens sê solâ ad illa ómnia ábsque ulterióri grátiâ ex parte Dei súfficit; vel sequerétur, hóminem posse illam grátiam sufficiéntem réddere efficácem ábsque ullô ulteriórî, ac interiórî Dei auxíliô; ac proíndè benè operántem non ex grátia discérni, sed à seípso se discérnere à non benè operánte; quia ipse ábsque ulteriórî ac interiórî ex parte Dei adjutóriò grátiam sufficiéntem reddidísset efficácem, quod alter non fecísset: quæ útique mílitant contra célebre Páuli dictum, *epist.* 1.ª *ad Cor.*, *cap.* 4, *v.* 7: «Quis enim te discérnit?» Vid. *tom.* 2, *huj. oper.*, *à num* 367 *et à num.* 487.

Bellarmínus, claríssimum ínclitæ Societátis Jesû ornaméntum, *lib.* 1.° *de grátia et libero arbítrio*, *cap.* 12, cùm recensuísset opiniónem eórum, qui exístimant, in potestáte hóminis esse, ut grátiam fáciat efficácem, quæ alióquin ex se non esset nisi suffíciens; subdit: hæc opínio aliéna est omninò à sententía S. Augustíni; et quantùm ego exístimo, à sententía étiam divinárum Scripturárum. Nam S. Augustínus, *lib. de prædest. Sanctórum*, *cap.* 8, dicit: grátiam (efficácem vidélicet) à nullo duro corde réspui, quia ipsa cor emóllit. Undè líquet, efficáciam tríbui grátiæ, non voluntáti humánæ. Bellarmíno subscrípsit Fannérus, *disp.* 6, *q.* 2, *dub.* 5, ínquiens, eam opiniónem, quæ dicit in potestáte hóminis esse grátiam réddere efficácem, quæ alióquin ex se non esset nisi suffíciens, sibi númquàm potuísse probári.

574. Repétere non pígeat, quòd álii grátiam sufficiéntem vocant, quæ etsi sê solâ non sufficiat próximè ad actû credéndum, ac diligéndum, sed égeat grátiâ efficácî dante actû crédere, dilígere etc.; súfficit tamen, et hinc dícitur grátia suffíciens, ut per eam homo reddátur in actu primo potens crédere, dilígere etc. Ita D. Thomæ discípuli cum Angélico Præceptóre, *lect.* 2, *in cap.* 3, *epist. ad Ephes.*, exponénte hæc D. Páuli verba, *ibid.*, *v.* 7: «Cujûs factus «sum minister secúndùm donum grá- «tiæ Dei, quæ data est mihi secúndùm «operatiónem virtútis ejus.» Super quæ verba ait Ang. Dr. «Hujúsmodi áutem «auxílium duplex fuit: unum quidem «ipsa facúltas exequéndi; áliud ipsa ope- «rátio actuális. Facultátem áutem dat «Deus, infundéndò virtútem, et grátiam, «per quas efficitur homo potens, et ap- «tus ad operándum: sed ipsam opera- «tiónem confert, in quantùm operátur «in nobis intériùs movéndò, et instigán- «dò ad bonum. Et ídeò, hoc accípiens «Apostólus à Deo, dicit quantùm ad «primum: Dico, quòd factus sum minís- «ter, sed certè non meîs méritîs, sed «secúndùm donum grátiæ, quæ data est «mihi, quâ scílicèt idóneus efficior ad «executiónem divinórum mysteriórum. «Quantùm áutem ad secúndùm, dicit, «secúndùm operatiónem, quam Deus «efficit; in quantùm virtus ejus operá- «tur in nobis velle, et perfícere.» Vid. étiam 1.ª 2.æ *quæst.* 109, *art.* 1.

575. Jansénius, ut patet in toto suo Opere, præsértim *lib. de Grat. primi hóminis*, *c.* 14, et *lib.* 2 *de Grátia Salvatóris*, *c.* 1, 2, 3, *et* 4, nullam agnóscit in státu natúræ corrúptæ grátiam sufficiéntem, sed omnem grátiam conténdit esse efficácem. Rejiciéndum áutem Jansénium constat ex dictis num. 572, et 574.

576. Theológi, qui *Congrüístæ* appellántur, admíttunt quidem grátiam sufficiéntem, et efficácem, sed sensû

longè divérsô à Thomístis eas accípiunt. Secúndùm ipsos, datur duplex grátia, una incóngrua, áltera verò cóngrua. Prima dícitur incóngrua, quia non est satìs accommodáta índoli, inclinatiónibus, passiónibus, habítibus, témpori, loco, aliísve circumstántiis, in quibus versátur is, qui eam récipit, ut ab illo consénsum obtíneat, et secúndùm ipsos, hæc grátia sufficiens appellátur. Áltera grátia dícitur cóngrua, quia est accommodáta índoli, inclinatiónibus, aliísque circumstántiis illíus, qui eam récipit, et in quibus Deus per sciéntiam médiam, ab ætérno præscívit infallibíliter ipsum consensúrum; et secúndùm ipsos hæc grátia cóngrua est grátia éfficax. Undè liqüet, juxta Congrüístas, grátiam non habére suam infallíbilem efficáciam ex se, et ex intrínsecis, seu omnipotentíssimâ Dei voluntáte, ut propúgnant Thomístæ, sed ex sua congrüitáte, aut ex præsciéntia Dei, aut ex utróque, secúndùm divérsas Congrüistárum sententías. Quid áutem in hac re nobis vidétur dicéndum, sequéntibùs aperiémus Conclusiónibus.

I. CONCLÚSIO.

Admitténda est grátia sufficiens, sensû Thomisticô, non áliô.

577. Prob. 1.ª pars Conclusiónis. Grátia sufficiens, sensû Thomisticô, est quæ confert hómini facultátem benè agéndi, ultrà quam, ut benè agat, aut ut benè utátur hac facultáte, requíritur ália grátia valídior, scílicèt, grátia éfficax: Atqui, admitténda est grátia hôc sensû sufficiens: Ergo, admitténda est grátia sufficiens sensû Thomisticô. Maj. est nótio grátiæ sufficiéntis, quam propúgnant Thomístæ. Vid. *num.* 572 *et* 574. Minor constat ex his Scriptúræ téxtibus, quos *num.* 572 addúximus Ergo, admitténda est grátia sufficiens, sensû Thomisticô.

578. Grátia sufficiens, quam álii à Thomístis propúgnant, non cóntinet, quod cóntinet grátia sufficiens, quam propúgnant Thomístæ: Ergo, si admitténda est grátia sufficiens, sensû Thomisticô, admítti nequit álio sensû à Thomisticô divérsô.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

579. Obj. 1.° Grátia, quam Thomístæ sufficiéntem appéllant, cum álià ulteriórî grátiâ indígeat ad actum ponéndum, solô nómine, non áutem verè, reáliter erit sufficiens: Ergo, rejiciénda est grátia sufficiens, sensû Thomisticô.

Resp. Neg. ant. Nam, ut áliquid dicátur, et revérà sit sufficiens, non requíritur, ut per se, ac sinè álio sit sufficiens in omni género; sed solùm ut sit tale in eo género, in quo sufficiens appellátur. Sic bonus ædificátor est sufficiens ad domum ædificándam, in género cáusæ efficiéntis; quámvis in género cáusæ materiális ad actû ædificándum égeat lapídibûs, calce etc. Sic farina cum aqua est sufficiens ad panem indè conficiéndum, in género cáusæ materiális; quámvis in género cáusæ efficiéntis necessárius sit, qui panem confíciat. Pictor arte perítus sufficiens est ad pingéndum, in género cáusæ principális; quámvis ad actû pingéndum indígeat penicíllô, in género cáusæ instrumentális etc. Ita grátia sufficiens ad fidem est verè sufficiens, quámvis ad actû credéndum, ultérior requirátur grátia; quia in suo género, nempè ad efféctum, ad quem próximè datur, nimírùm, ut hóminem reddat dispósitum, et aptum ad credéndum, se ipsâ súfficit; quòd áutem ultérior grátia requirátur ad actû credéndum extra ge-

nus grátiæ sufficiéntis est útpoté ad genus grátiæ efficácis pértinens, quam à grátia sufficiénti esse distínctam, probávimus num. 572.

Ex his infértur, non esse reprehendéndos Thomístas, appellántes grátiam sufficiéntem illam, quæ in divérso órdine ulteriórî grátiâ índiget: nam próprié lóquúntur; sicut próprié lóquimur cùm dícimus, ignem esse sufficiéntem ad comburéndum, licèt ultrà débeat applicári subjécto combustíbili; panem esse sufficiéntem ad nutriéndum, quamvìs prætereà débeat masticári, deglutíri, et per digestiónem convértiin substántiam áliti; passiónem Christi esse sufficiéntem, imò copiósam ad nos salvándos, etsi núnquàm nos actû salvet, nisi aliúndè nobis ejus mérita applicéntur; et sexcénta ália. Sic ígitur Thomístæ grátiam appellántes sufficiéntem loquúntur consuétò loquéndi more, prout et lóquitur ipse S. Thomas, cujûs doctrína, ut Auctor est Innocéntius VI, *habet proprietátem vérbórum*. Vid. 1.ª 2.æ *quæst.* 109, *art.* 1, *in Corp.*, *et* 3 *Part.*, *quæst.* 61, *art.* 1, *ad* 3. Sicut ergo, cùm dícimus ignem esse sufficiéntem ad comburéndum, panem ad nutriéndum, passiónem Christi ad nos salvándos; istæ phrases juxta consuétum, et commúnem loquéndi modum non significant, ad comburéndum, ad nutriéndum, ad nos salvándos, de facto nihil áliud requíri in quóvis génere, præter vel ignem vel panem, vel passiónem Christi; sed significant tantùm, quòd quantùm ad virtútem comburéndi, nutriéndi, nos salvándi, non ália requíritur virtus, quàm vel ignîs, vel panîs, vel passiónis Christi; ita, cùm dícimus, grátiam esse sufficiéntem ad benè agéndum, ista phrasis juxta consuétum, communémque loquéndi modum, non significat, ad actû agéndum nihil áliud requíri in quóvis génere; sed significat tantùm, quòd grátia sinè quávis ália virtúte ejúsdem órdinis, cónferat nobis sufficiéntem facultátem benè agéndi. Quocírca, imméritò nobis objícitur, quòd términîs abutámur, grátiam sufficiéntem appellántes eam, ultra quam, ad actû agéndum ália requíritur grátia.

580. Instábis: Ergo, secúndùm Thomístas, ad actû servánda præcépta, præter grátiam sufficiéntem requíritur grátia efficax: Atqui, hæc grátia efficax non est in nostra potestáte: Ergo, grátia, quæ dícitur ab ipsis suffíciens, non dat posse serváre præcépta: Ergo, pérperam suffíciens appellátur.

Resp. in primis: quòd etsi concederéntur præmíssæ, sequéretur tantùm, grátiam, quam dícimus sufficiéntem, ut operétur actû áliâ grátiâ indigére; mínimè vero quòd ipsa non cónferat veram poténtiam agéndi. Ómnibus enim sat, supérque notum est, áliud esse poténtiam, áliud verò actum. Sic díximus solutióne præcedénti, e. c. passiónem Christi sê solâ poténtem, seu sufficiéntem esse ad hóminès salvándos: quámvìs ut áliquis salvétur actû, necéssum sit quòd ipsi mérita Christi applicéntur. Undè, ex eo quòd grátia, quam dícimus sufficiéntem, secum non impórtet omne, quòd est ad actû agéndum necessárium, mínimè infértur, quòd non possit próprié suffíciens appellári.

Resp. 2.° Dist. min. Grátia efficax non est in nostra potestáte, neque in nostra potestáte est pónere impediméntum, propter quod ipsâ privémur, neg.: grátia efficax non est in nostra potestáte, est tamen in nostra potestáte pónere impediméntum, propter quod ipsâ privámur, conc. Perlegántur atténtè quæ in hanc rem fusiórî cálamô pertractávimus *Tom.* 2.° hujus óper. à *num.* 355 *usque ad* 361, et à *num.* 384 *usque ad* 386.

581. Obj. 2.° Grátia suffíciens, sensû Thomísticô, est prorsùs inútilis: Ergo, non est admitténda. Prob. antec. Illa grátia est inútilis, quâ nemo úmquàm útitur: Atqui, grátiâ sufficiéntî, sensû Thomísticô, nemo úmquàm útitur: Ergo, etc.

Resp. Dist. min. Grátiâ sufficiéntî, sensû Thomísticô, considerátâ ut merè sufficiéntî, nemo úmquàm útitur, conc. considerátâ, ut junctâ cum grátia efficáci, nego. Grátia suffíciens potest dupliciter considerári, quod, ut obsérvat eruditíssimus noster Goudin, pleríque non satis advértunt; 1.° ut est merè suffíciens, sub qua ratióne stáre potest cum permissióne Dei, ut homo ei desit, illíque resístat; et hôc sensû verum est, néminem illâ grátiâ benè uti: 2.° spectári potest quoad própriam entitátem, propriúmque præcísè efféctum, qui est dare posse operári bonum; et hôc sensû falsum est, néminem eâ benè uti; constat enim, plerósque illâ sic considerátâ benè uti, quod contíngit, dum benè agunt; hi profectò númquàm actû benè ágerent, si antecedénter poténtiam benè agéndi, seu grátiam, quam dícimus sufficiéntem, non habérent; licèt hoc ipsum, quòd hâc poténtiâ benè utántur, sit efféctus grátiæ efficácis. Sicut ergo vîrtus fructificándi in plantis non est frustrà, licèt in plerísque propter defectus accidentáles remáneat sinè efféctu; ita à pari in nostro casu.

582. Schólion. Auxílium grátiæ sufficiéntis non consístit in áliquo uno determináto indivisíbili, sed in plúribus concurréntibus ad actus nostros, unoquoque in suo género, et inadæquátè. Nam nómine auxílii sufficiéntis intellígimus id omne, quod Deus nobis concédit, ut opus salutáre fácere valeámus, ita ut, non defectû auxílii divíni, sed defectû hóminis se divinô auxíliô subtrahéntis, bonum omittátur, aut perpetrétur malum. Deus áutem nos multíplicî modô ádjuvat ad bonum; modô, extériùs per legem, per prædicatiónes, exhortatiónes, exémpla, mirácula, flagélla, benefícia etc.: modô intériùs per mentis illustratiónes, voluntátis motiónes, et hábitus infúsos virtútum.

Undè collígitur, várias esse auxílii sufficiéntis divisiónes. Primò, divíditur in extérnum, et intérnum. Ad extérnum spectant, quæ modò recensúimus, lex, vidélicet, prædicátio, exhortátio, exémpla, mirácula, adversitátes, benefícia, imò, certa rerum creatárum dispositio per speciálem Dei providéntiam directa, et imperáta in órdine ad salútem. Intérnum est, quod Deus intra hóminem operátur ad ipsum promovéndum in bonum, et revocándum à malo. Hoc est duplex: unum tránsiens, ut sunt quædam illustratiónes mentis, et motiónes voluntátis: álterum pérmanens, ut sunt hábitus infúsi virtútum.

2.° Divíditur auxílium suffíciens in morále, et physicum. Ad morále pértinent auxília extérna, quibûs Deus, vel ostensióne boni, vel comminatióne mali, ad bonum nos movet. Physicum est, quô Deus, ut cáusa efficiens, hóminem movet operándô in ejus voluntáte, eam vidélicet, intrínsecè disponéndô, ut tandem actum bonum eliciat.

3.° Divíditur auxílium suffíciens in próximum, et remótum. Próximum est, quô quis immediátè potest bonum opus fácere, ut sunt v. g. hábitus infúsi virtútum respectivè ad suos actus. Remótum est, quô quis, non est quidem próximè potens ad actum, sed tamen potest fácere áliquid facíliùs; quod si fáciat, ad actum pervéniet: e. c. peccátor non est próximè potens ad graves tentatiónes superándas, sed potest per grátiam sufficiéntem próximè dispóni ad orándum;

quod si præstet, fiet próximè potens ad vincéndas tentatiónes. Hanc differéntiam índicat Tridentínum, *Sess.* 6, *c.* 11, ex August. dum dicit: «Deus impossibília «non jubet, sed jubéndô monet et fácere «quod possis (*En auxílium próximè «sufficiens*) et pétere, quod non possis (*ecce rèmótè sufficiens*).» Hæc distínctio est apprímè útilis ad plures solvéndum difficultátes.

II. CONCLÚSIO.

Grátia éfficax répetit suam efficáciam ex sola omnipotentíssima Dei voluntáte, atque ejus suprémô dominiô super hóminum voluntátes; adeóque est per se infallibíliter éfficax, non infallibilitáte sciéntiæ tantùm, sed et causalitátis.

Hanc Conclusiónem diréctè probant, quæ *Tomô* 2.° hujus Óperis á *num.* 333, *usque ad num.* 403, scripsimus. Ne ergo actum agámus, ad ea atténtè recolénda Tyrónes adígimus. Sed ne hoc in loco sua desit probátio; compéndiô pótiùs, quàm circúitù uténtes.

583. Prob. 1, Concl. Esther, *c.* 13, Mardochæus orans Deum, ut convértat cor Regis Assuéri, Judæis infénsi, sic orábat: «Dómine Rex Omnípotens in «ditióne enim tua cuncta sunt pósita, et «non est qui possit resístere tuæ volun«táti, si decréveris salváre Ísraël..... «Dóminus ómnium es, nec est qui re«sístat Majestáti tuæ.» Et *c.* 14, Regina Esther sic orábat: «Dómine Rex Deó«rum, et Univérsæ potestátis..... trans«fer cor illíus (*Assuéri*) in ódium hostis «nostri:» et *c.* 15, subjúngitur: «Con«vertítque Deus spíritum Regis in man«suetúdinem.» Hæc verba consideránti, et, ut par est, perpendénti, statim, si nostra nos non fallit opínio, evidénter occúrrit, infallibilitátem, et efficáciam motiónis, et grátiæ divínæ referri, non ad consénsum Assuéri prævísum, sed ad solam Dei omnipoténtiam. Hujus sententiæ fuit abs dúbiò Augustínus, ut constat ex iis super præfátum textum ejus verbis ad Bonifácium, *c.* 20: «Cor Re«gis..... occultíssimâ, et efficacíssimâ «potestáte convértit, et tránstulit ab «indignatióne ad lenitátem.» Ergo, etc.

584. Prob. 2.° Conclus. Proverb., *cap.* 21, Cor Regis in manu Dei comparátur divisiónibus aquárum in manu Hortuláni: Eccli., *cap.* 33, Homo in manu Dei comparátur luto in mano Fíguli: Isái., *cap.* 10, Homo comparátur secúri, virgæ, báculo in manu hóminis iis uténtis, prout vult. His comparatiónibûs maniféstum fit, Deum vi suæ potestátis, et domínii supra hómines, de ipsórum voluntátibus ad nutum dispónere, non verò ab eis quid volúerint expectáre. Ergo, etc.

585. Prob. 3.° Conclus. Apóstolus, *epist. ad Rom.*, *cap.* 9, dicit: «Igitur «non voléntis, neque curréntis, sed mi«seréntis est Dei.» Atqui, in senténtia Adversariórum, est pótiùs hóminis voléntis, quàm Dei miseréntis: Ergo, non Adversariórum, sed quam propónimus, tenénda est senténtia circa grátiæ efficáciam. Prob. min. Efféctus potiórî jure tribúitur cáusæ determinánti, quàm expectánti altérius determinatiónem: Atqui, in senténtia Adversariórum, homo detérminat grátiam Dei ab ipso indifferénter oblátam; et Deus expéctat hóminis determinatiónem: Ergo, etc.

Secúndò, in Adversariórum senténtia, Deus non majus auxílium grátiæ offert operánti, quàm non operánti: Ergo, quòd ille benè velit, et agat, et non iste, tribuéndum est creatúræ volénti, et cur-

rénti, quæ suô nütû auxíiium Dei detérminat.

Sed áliter proféctò sentit Augustínus, in Enchirid. enim *cap.* 32, prælaudátum Apóstoli textum expéndens, conclúdit: «Porrò si nullus christiánus dí-«cere audébit, non miseréntis est Dei, «sed voléntis est hóminis, nè Apóstolo «apertíssimè contradícat; restat, ut «proptéreà rectè dictum intelligátur, «non voléntis, neque curréntis, sed mi-«seréntis est Dei, ut totum Deo detur, «qui hóminis voluntátem bonam et præ-«parat adjuvándam, et ádjuvat præparà-«tam.»

586. Prob. 4.° Conclus. Juxta régulam tráditam à Cœlestíno Papa in Capítulis, *cap.* 10, fundátam in Scriptúris, Pátribùs, et Concíliis, «Operi, et «dignatióni grátiæ in negótio salútis ni-«hil pénitùs est subtrahéndum.» *Epist. ad Philipp. cap.* 2: «Deus operátur in «nobis velle, et perfícere.» *Joán., cap.* 3: «Nemo habet quídquam bonî, nisi «illud datum illi fúerit désuper.» *Epist.* 1.ª *ad Cor., c.* 4: «Quid habes, quod «non accepísti?» *Epist. ad Rom., cap.* 11: «Quis prior dedit ei? Quóniam ex «ipso, per ipsum, et in ipso sunt ómnia.» Simíliter, S. Cypriánus, *lib.* 3, *ad Quirin., cap.* 4: «In nullo gloriándum, «quándò nostrûm nihil est.» S. Basílius, *Hom.* 22 *de humilit.*: «Nihil tibi re-«líctum, ò homo, de quo gloriári pos-«sis; per univérsum enim in grátia, et «donô Dei vívimus.» S. Chrysóstomus, *Serm.* 2 *in epist. ad Coloss.*: «In ne-«gótio salútis totum est donum Dei.» Tandem, Concílium Arausicánum II, *c.* 20: «Multa in hómine bona sunt, quæ «non facit homo. Nulla verò facit homo «bona, quæ non Deus præstet, ut fáciat «homo.» Atqui, si grátia non sit virtúte própriâ, et per se éfficax consénsûs, et determinatiónis nostræ in bonum, sed utrúmque à voluntáte expéctet, ut volunt Molinístæ et Congrüístæ, iste consénsus, ista determinátio, quæ sunt quid præcípuum in negótio salútis, grátiæ operatióni contra régulam Cœlestíni supra addúctam, subtráhitur; et, ut nobis vidétur, cum téxtibus S. Scriptúræ, SS. Patrum, ac Concílii Arausicáni conciliári non potest. Æqui rerum æstimatóres júdicent, an hæc dicta sint vitilitigándi grátiâ, seu pótiùs veritátis amóre. Certè Augustínus veritátis amóre ducebátur cùm expréssit, quam defén-dimus, sententiam, *lib. de Grátia, c.* 24, ásserens: «Intérnam, occúltam, «mirábilem, ac ineffábilem potestátem, «quâ Deus operátur in córdibus hómi-«num; non solùm veras revelatiónes, «sed étiam bonas voluntátes.» Ergo, grátia éfficax suam répetit efficáciam ex sola omnipotentíssima Dei voluntáte, etc. Vid. D. Thom., *lib.* 3 *contra Gent., c.* 89, 1.ª2.æ *quæst.* 10, *art.* 4, *quæst.* 6, *de Malo, art. unic. ad* 3, et álibi passim.

587. Quántùm ad objectiónes contra grátiam ab intrínseco efficácem, quæ solent peti, ex quadrúplici cápite, 1.° ab Auctoritáte, 2.° ex læsióne libertátis, 3.° ex affinitáte cum Calvinísmo, 4.° ex læsióne sanctitátis divínæ; eas abundè Tyrónes solútas habent *Tomo* 2.° hujus Operis *à num.* 381 *ad num.* 403. Quaprópter supervacáneum existimámus illas hic dénuò instauráre. Et quæ óbjici possunt ex insufficiéntia grátiæ, quam sufficiéntem appellámus, solúta manent in hoc Tomo, à *num.* 579, *et seq.*

CAPUT V.

DE JUSTIFICATIÓNE PECCATÓRIS.

588. Calvínus, *lib.* 3 *Instit.*, *c.* 11, § 22, docet, in justificatióne peccatóris, peccáta non verè tolli, sed tegi; non eradicári, sed radi; non deléri, sed operíri, propter justítiam Christi, non nobis intrínsecè collátam, sed tantùm imputátam: ita ut, secúndùm ipsum, peccáta dicántur esse tecta, quasi à Deo non videántur, cùm ipsa non púniat; et rasa, quasi non appáreant. Idem docúerat Luthérus, ut constat ex *art.* 2, ex damnátis à Leóne X. Hanc doctrínam Cathólici omnes execrántur: cùm ipsis ergo sit

I. CONCLÚSIO.

In justificatióne peccatóris, non solùm tegúntur, seu non imputántur peccáta, sed verè remittúntur, deléntur, et auferúntur.

589. Prob. Concl. formalíssimîs verbîs Scriptúræ. *Psalm.* 50: «Dele iniquitátem meam. Et omnes iniquitátes «meas dele. Aspérges me hyssópô, et «mundábor, lavábis me, et super nivem «dealbábor.» Isaí., *c.* 43, *v.* 25: «Ego «sum ipse, qui déleo iniquitátes tuas «propter me.» Oséæ, *c.* 14, *v.* 3: «Omnem áufert iniquitátem.» Michéæ, *c.* 7, *v.* 18: «Quis Deus símilis tuî, qui «áufers iniquitátem?» Ezech., *c.* 36, *v.* 25: «Effúndam super vos áquam mundam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris.» Páulus item *epist.* 1.ª *ad Cor.*, *c.* 6, *v.* 11, póstquàm grávia delícta recensúerat, ait: «Et hæc «quidam fuístis: sed ablúti estis, sed «sanctificáti estis, et justificáti estis etc. «etc.» Ergo, etc.

Nec favet Sectáriis dícere, Scriptúram ita loqui, quia, cùm quis justificátur, ejus peccáta tegúntur, radúntur, atque operiúntur. Patet enim, hanc interprétatiónem vim inférre Scriptúræ verbis. Inéptè enim ille dicerétur ablútus, et mundátus, qui sórdibûs adhuc esset cöinquinátus, licèt pállió, aut veste altérius ipsi applicátâ tegeréntur. Incóngruè étiam Æthíopem dealbári, ut nivem, dicerémus, si solùm nigrédinem ejus sub veste cándida áliquis occultáret. Et tandem insúlsè peccáta tolli, aut deléri diceréntur, si dumtáxat raderéntur, ut capílli cápitis, et rursùs repullulâre possent, ac redíre.

590. Prob. 2.° Conclus. SS. Patres unô ore docent, quam sustinémus, fídei veritátem. Sufficiat légere Chrysóstomum, *lib.* 2 *de compunct. cordis*, aiéntem: «Cordis compúnctio, sicut ignis, «omne ánimæ vítium perúrit, et ádi«mit: et quantacúmque in ea réperit «mala, abstérgit univérsa, et pénitús «delet.»

591. Prob. 3.° Conclus. Concílium Tridentínum, *Sess.* 5, *can.* 5, hanc ve-

ritátem hîs verbîs definívit: «Si quis per «Jesu Christi Dómini nostri grátiam, «quæ in baptísmate confértur, reátum «originális peccátí remítti negat; aut «étiam ásserit, non tolli totum id, quod «veram, et própriam peccáti ratiónem «habet: sed illud dicit tantùm radi, aut «non imputári: anathéma sit. In renátis enim nihil odit Deus: quia nihil est «damnatiónis iis, qui verè consecúti sunt «cum Christo per baptísma in mortem «etc.» In renátis áutem (et consequénter in quólibet álio justificáto) áliquid odíret Deus, et in eis áliquod damnatióne dignum esset, si peccáta adhuc in eis manérent, et tantùm tegeréntur, raderéntur, aut non imputaréntur: Ergo, etc.

592. Prob. 4.° Conclus. ratióne theológicâ innîxâ laudáto Concílio Tridentíno, sub hac forma. Quòd hómines justificáti sint fílii Dei, et fílii diáboli, contradictiónem involvit: Atqui, hoc sequerétur, si peccáta non omninò deleréntur, sed dùmtáxat aut tegeréntur, aut raderéntur, aut non imputaréntur: Ergo, peccáta verè deléntur, et non solùm tegúntur, radúntur, aut non imputántur. Prob. min. Hómines justi verè diligúntur á Deo, et sunt fílii Dei (1.ª *Joán.*, c. 3); hómines áutem, in quibus est peccátum, ódiô habéntur à Deo, *Sap.* 14: «Odiô sunt Deo ím«pius, et impíetas ejus;» et sunt fílii diáboli: Atqui, in senténtia hæreticórum, hómines justificántur, et adhuc in eis rémanet peccátum: Ergo, in senténtia ipsórum, hómines simul á Deo amántur, quatenùs justificáti; et ódiô habéntur, quatenùs in eis est peccátum. Recté ergo conclúdit Tridentínum: «In «renátis nihil odit Deus.» Ex quibus sic íterùm subsúmimus: Atqui, Deus peccátum odit: Ergo in renátis, nihil peccáti rémanet. Et méritò: nam si Scriptúra justificátos vocat regenerátos, vivificátos, translátos de morte ad vitam (1.ª *Joán.*, c. 3, *v.* 14); quómodò in eis manére potest peccátum, quod est mors ánimæ? quómodò simul cohábitant mors, et vita ánimæ; si neque símul cohabitáre possunt mors, et vita córporis?

593. Dicéndum erit ínsuper, in senténtia hæreticórum hómines non fuísse per Christum à servitúte peccáti verè liberátos; nec Christum esse Agnum, qui tollit peccáta Mundi, si solùm ea tegit, non áutem áufert. Dicéndum íterùm: plùs valuísse peccátum Adæ ad nos inficiéndos, quàm Christi sánguinem ad nos emundándos: síquidem, peccátum Adæ nos omnes verè maculávit; Christi áutem sanguis, secúndùm hæréticos máculam hanc tergit quidem, non áutem detérgit, et áufert. Dicéndum tandem foret: vel nullum justum, si adhuc rémanet peccátô verè maculátus, ingressúrum in Regnum Cœlorum, in quod nihil cöinquinátum ingréditur; vel áliquid cöinquinátum in illud Regnum ingressúrum, quod útique est contra illud *Apoc.*, c. 21, *v.* 27: «Non intrábit in «eam (*idest Glóriam*) áliquod cöinquiná«tum.» Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 113, *art.* 1. Ergo, in justificatióne peccatóris, non solùm tegúntur, seu non imputántur peccáta; sed verè remittúntur, deléntur, et auferúntur.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

594. Objíciunt Sectárii verba *psalm.* 31, *v.* 1: «Beáti, quorum remíssæ sunt «iniquitátes, et quorum tecta sunt pec«cáta:» et *ejusd. psalm. v.* 2: «Beátus «vir, cui non imputávit Dóminus pec«cátum:» et illud Ezéchiel. c. 33, *v.* 16, ubi dícitur de impio pœniténte: «Omnia «peccáta ejus quæ peccávit, non impu-

«tabúntur ei:» et illud *epist.* 2.æ *ad Cor.*, *c.* 5, *v.* 19: «Deus erat in Chris-«to, mundum reconcílians sibi, non ré-«putans illis delícta ipsórum.» Ergo, etc.

Resp. Dist. anteced. Et hæc Scriptúræ testimónia intelligénda sunt in sensu hæreticórum, neg.: intelligénda sunt in sensu Catholicórum, concéd. Dícimus ergo primò, peccáta tegi, et non imputári, dupliciter contíngere posse: unô modô ita ut verè subsístant, et solùm occulténtur; áliô modô, ita ut prorsùs deleántur, et ámpliùs non sint. Quemádmodùm úlcera córporis, à quibus hæc metáphora sumpta est, dici quëunt tegi duobus modis; vel illa tantùm occultándô, ne appáreant, quô pactô tegi possunt ab ipso vulneráto; vel ea curándô, et tolléndô, quáliter tegúntur à Médico. Hoc secúndô modô peccáta à Deo tegúntur. Sic edocémur à S. August. *Enarr.* 2, *in Psalm.* 31, ajénte: «Deus «ergo tegat vúlnera, non tu: nam si tu «tégere volúeris erubéscens, Médicus «non curábit. Médicus tegat, et curet, «emplástô enim tegit: sub tégmine Mé-«dici sanátur vulnus, sub tégmine vul-«neráti celátur vulnus.» Item duplex est *non imputátio*. Una quidem, quâ non imputátur id quod est; ália, quâ non imputátur id, quod revéra non est. Prior téctio, et non imputátio, est hæreticórum figméntum, ut ex probatiónibus Conclusiónis líquet: postérior verò, est Cathólica assértio, et ipsíus Psalmístæ; státim enim post illa verba, «non imputávit «Dóminus peccátum,» subdit: «Et non «est in Spíritu ejus dolus.» Undè August. *Præfat. in psalm.* 31, póstquàm dixit: «Si texit peccáta Deus, nóluit pu-«níre, nóluit agnóscere, máluit ignósce-«re.» subdit: «Ne sic intelligátis, quod «dixi, peccáta coöpérta sunt, quasi ibi «sint, et vivant, etc.» Et quidem: cùm justítia Dei, et Lex ætérna nullum possit peccátum non imputátum, et non punítum relínquere; peccáta, quæ à Deo non ímputáta dicúntur, verè deléta, et ablàta censénda sunt. Hinc

Dícimus 2.° quôd respéctû Dei, qui ómnia videt, et cui «ómnia nuda sunt, et «apérta ócnlis ejus (*Hœbr.*, *c.* 4, *v.* 13), idem est peccátum tegi, aut non imputári, ac pénitûs deléri, et prorsùs non esse. Sicut enim, ut August. discúrrit, *Enarr.* 2 *in Psalm.* 31, quod opértum est, non vidétur óculis nostris: ita ad explicándum more nostro Deum non vidére peccáta eórum, qui justificántur, dicit, ea tegi quátenùs pénitùs destruúntur; hoc enim requíritur, ut sint tecta óculis Dei. Quia licèt homo possit non vidére peccáta, quæ actû exístunt, undè David, *psalm.* 18, *v.* 13, dicébat: «De-«lícta quis intélligit? Ab occúltis meis «munda me:» Deus tamen non potest ea non vidére. Igitur, id dícitur téctum, sive opértum óculis Dei, quod pénitùs non esi: undé sit.

II. CONCLÚSIO.

Justificátio peccatóris non fit per imputatiónem extrinsecam justitiæ, quâ Deus justus est, aut justitiæ Christi, sed fit per veram, et intrínsecam justítiam, seu grátiæ habituális infusiónem, ac justificáto intrínsecè inhæréntem.

595. Prob. Conclúsio, quæ est de fide, decísa in Concílio Trident., *Sess.* 6, *Cánone enim X*, definit: «Si quis «díxerit, hómines sinè Christi justítia, «per quam nobis méruit, justificári; «aut per eam ipsam formáliter justos «esse; anathéma sit: Can. 11. Si quis «díxerit, hómines justificári vel solâ im-«putatióne justítiæ Christi, vel solâ pec-

«catórum remissióne, exclúsâ grátiâ, et «charitáte, quæ in córdibus eórum per «Spíritum Sanctum diffundátur, atque «illis inhæreat; aut étiam grátiam, quâ «justificámur, esse tantum favórem Dei, «anathéma sit.» Et ejusd. Sessiónis, *cap.* 7, idem Concílium inquit: «De«mùm, única formális cáusa (*justifica«tiónis impii*) est justítia Dei; non «quâ ipse justus est, sed quâ nos justos «fácit; quâ vidélicet ab eo donáti, re«novámur spíritu mentis nostræ, et non «modò reputámur, sed verè justi nomi«námur, et sumus, justítiam in nobis «recipiéntes.» Ergo, etc.

596. Prob. 2.° Concl. Scriptúra sacra frequénter ásserit, nos habére in nobis grátiam, charitátem, et justítiam. Sic *Joán.*, *c.* 1, *v.* 16: «De plenitúdi«ne ejus nos omnes accépimus, et grá«tiam pro grátia:» *Epist. ad Ephes.*, *c.* 4, *v.* 7: «Unicuíque áutem nostrûm «data est grátia secúndùm mensúram «donatiónis Christi:» *Epist. ad Rom.*, *c.* 5, *v.* 5: «Cháritas Dei diffúsa est in «córdibus nostris per Spíritum Sanctum, «qui datus est nobis.» Supra quæ verba S. August., *lib. de Spíritu, et litt.*, *c.* 32, inquit: «Cháritas diffúnditur in «córdibus nostris, non quâ nos Ipse dí«ligit, sed quâ nos facit dilectóres suos.» Et *c.* 9, in hæc verba Apost. «Justítia «Dei manifestáta est,» inquit idem S. P. «Non dicit Apóstolus, justítia hó«minis, sed justítia Dei, non quâ Deus «justus est, sed quâ índuit hóminem, «cùm justíficat ímpium.»

597. Prob. 3.° ratióne theológicâ. Apóstolus, *epist. ad Rom.*, *c.* 5, cómparat justítiam, et obediéntiam Christi cum peccáto, et inobediéntia Adæ: Atqui, peccátum Adæ reáliter, et intrínsecè contráhimus, et non solùm nobis extrínsecè imputátur: Ergo, justítia Christi, quæ illi oppónitur, et per quam à nobis expéllitur, non solùm est nobis extrínsecè imputáta, sed verè nobis intrínsecè infúsa. Et quìdem; Christus justíficans ímpium, ipsi reddit, quod in Adam pérdidit: Atqui, in Adam pérdidit justítiam ipsi intrínsecè inhæréntem, et quam in pósteros transfudísset, si in bono perseverásset: Ergo, vera, et intrínseca justítia per Christum nobis rédditur. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 113, *art.* 2.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

598. Obj. 1.° cùm Sectáriis, ímpium justificári nihil áliud est quàm ei peccáta remítti: Atqui, hoc habéri potest per solam imputatiónem justítiæ Christi, et per imputatiónem meritórum ejus, qui pro ómnibus Deo satisfécit: Ergo, etc.

Resp. negándô maj. Iste enim est alter Sectariórum error proscríptus à Concílio Tridentíno, *Sess.* 6, *Can.* 11, suprà *num.* 595, reláto. Et quidem, *epist.* 1.ª *Joán.*, *cap.* 3, *v.* 14, légitur: *Transláti sumus de morte ad vitam.* Qui áutem transfértur de morte ad vitam, non solùm recédit à morte, sed vitam acquírit: quapróptèr Páulus, *epist. ad Rom.*, *cap.* 6, *v.* 9, *et seq.*, resurrectiónem nostram à morte peccáti ad vitam grátiæ, assímilat resurrectióni Christi à mortæ ad vitam córporis, támquàm exemplári. Quemádmodùm ergo resurréctio Christi non fuit sola liberátio à morte, sed vitæ reassúmptio: ita resurréctio nostra spirituális non est sola liberátio à peccáto, sed novæ vitæ acquisítio, intérna renovátio per grátiam, et regenerátio.

599. Obj. 2.° Potest áliquis removéri ab uno contrário sinè hoc quòd perducátur ad álterum, si contrária sint mediáta; sicut homo potest removéri ab albédine, quin perducátur ad nigrédi-

nem, datur enim color médius, puta, flavus: Atqui, státus culpæ, et státus grátiæ sunt contrária tantùm mediáta, fingi enim potest státus, in quo homo nec grátiâ fuísset donátus, nec in peccátum incidísset: Ergo, potest alícui remítti culpa, quin ad grátiam perducátur.

Resp. Dist. min. státus culpæ, et grátiæ sunt contrária tantùm mediáta, ántequàm peccátum committátur, concéd.: póstquàm peccátum fúerit commíssum, neg. Explicátur solútio cum D. Thoma, 1.ª 2.æ *q.* 113, *art.* 2, *ad* 1^m, ajénte: «Quòd plùs requíritur ad hoc, quòd «offendénti remittátur offénsa, quàm ad «hoc, quòd simplíciter áliquis non offén«dens non habeátur ódio. Potest enim «apud hómines contíngere quòd unus «homo áliquem álium nec díligat, nec «ódiat. Sed si eum offéndat, quòd ei di«míttat offénsam, hoc non potest con«tíngere ábsque speciáli benevoléntia. «Benevoléntia áutem Dei ad hóminem «reparári dícitur per donum grátiæ: et ídeò licèt homo ántequàm peccet, potúerit essè sinè grátia, et sinè culpa; «tamen post peccátum non potest esse «sinè culpa, nisi grátiam hábeat.»

III. CONCLÚSIO.

Homo adúltus per motus líberi arbítrii divinô auxilió moti et excitáti, se dispónit ad grátiam justificatiónis adquiréndam.

600. Dícimus, *homo adúltus*, nam infántes dum baptizántur, accípiunt grátiam justificántem ábsque ullo motu líberi arbítrii eórum, et idem dicéndum de amántibus, qui núnquàm ratiónis cómpotes fuére. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *q.* 113, *art.* 3, *ad* 1^m.

Luthérus, Calvínus, aliíque ex eórum grege volunt, ópera hóminis adúlti, suam justificatiónem præcedéntia, quia facta ab hómine adhuc servô peccáti, avértere pótiùs, quàm dispónere ad justificatiónem: et proptéreà hóminem, dum justificátur, nihil ágere, sed merè passivè velut inánime quoddam instruméntum se habére. Contra ipsos ergo

601. Prob. 1.° Conclus. quæ est dogma fídei statútum à Concílio Tridentíno, *Sess.* 6, *can.* 4, hîs verbîs: «Si quis dí«xerit, líberum hóminis arbítrium à Deo «motum, et excitátum, nihil coöperári, «assentiéndô Deo excitánti, atque vocán«ti, quô ad obtinéndam justificatiónis «grátiam se dispónat, ac præparet, nec «posse dissentíre, si velit: sed velut «inánime quoddam nihil omninò ágere, «meréque passivè se habére: anathé«ma sit.» Item, *Can.* 7: «Si quis díxe«rit, ópera ómnia, quæ antè justificatió«nem fíunt, quâcúmque ratióne facta «sint, vera esse peccáta, vel ódium Dei «meréri; aut quántò veheméntiùs quis «nítitur se dispónere ad grátiam, tantô «eum gráviùs peccáre: anathéma sit.» Et tandem, *Can.* 9: «Si quis díxerit, «solâ fide ímpium justificári; ita ut in«télligat, nihil áliud requíri, quòd ad «justificatiónis grátiam consequéndam «operétur; et nullâ ex parte necésse est «cum suæ voluntátis motu præparári, «atque dísponi: anathéma sit.» Quibûs definitiónibûs Concílium Tridentínum totum hæreticórum errórem conclúdit, et damnat, ac nostram firmat Conclusiónem.

602. Prob. 2.° Concl. ex Scriptúra sacra. Joël, *c.* 2. *v.* 12, légitur: «Con«vertímini ad me in toto corde vestro:» Zachar., *c.* 1, *v.* 3: «Convertímini ad «me... et convértar ad vos, dicit Dómi«nus.» Convérsio áutem ista ábsque motu líberi arbítrii fíeri nequit: ut áutem sciátur, hunc motum esse à Dei grátiâ

prævenièntе, dícitur Thren., *c.* 5, *v.* 21: «Convérte nos. Dómine, ad te, et conver- «témur.» Hæc Concil. Tridentínum simul conjúngens, *Sess.* 6, *cap.* 5, agens de necessitáte præparatiónis ad grátiam justificatiónis, ait: «Undè in sacris lítte- «ris cùm dícitur: convertímini ad me et «ego convértar ad vos, libertátis nostræ «admonémur: Cùm respondémus: Con- «vérte nos, Dómine, ad te, et converté- «mur, Dei nos grátiâ prævenîri, confi- «témur.»

Hoc docúerat passìm Augustínus, máximè, *Serm.* 156 *de Verb. Apóst.*, *c.* 11, ubi expónens illa verba: «Quot- «quot spíritû Dei agúntur, ii sunt fílii «Dei,» sic ait: «Dicit mihi áliquis; ergo «ágimur, et non ágimus. Imò et agis, et «ágeris: et tunc benè agis, si à bono «ágeris: Spíritus enim Dei, qui te agit, «agénti ádjutor est tibi. Ipsum nomen «adjutóris præscríbit tibi, quia et tu ipse «áliquid agis. Agnósce, quid poscas; ag- «nósce, quid confiteáris, quándò dicis: «Adjútor meus esto, ne derelínquas me. «Adjutórem útique ínvocas Deum: nemo «adjuvátur, si ab illo nihil agátur.» Hinc, célebris illa ejusd. S. August. senténtia, *Serm.* 169 *de Verbis Apost.*, *c.* 11: «Qui fecit te sinè te, non te justíficat «sinè te; Ergo, fecit nesciéntem, justí- «ficat voléntem: Ergo, homo adúltus, per motus líberi arbítrii etc.

603. Prob. tandem Concl. ratióne theológicâ, quam nobis éxhibet S. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 113, *art.* 3, ínquiens: Justificátio ímpii fit, Deô movén- «te hóminem ad justítiam. Ipse enim est «qui justificat ímpium, ut dícitur Rom. «3. Deus áutem movet ómnia secúndùm «modum uníuscujúsque; sicut in na- «turálibus vidémus, quòd áliter movén- «tur ab ipso grávia, et áliter lévia, prop- «ter divérsam natúram utriúsque. Undè «et hóminem ad justítiam movet secún- «dùm conditiónem natúræ humánæ. «Homo áutem, secúndùm própriam na- «túram habet quòd sit líberi arbítrii. Et «ídeò in eo, qui habet usum líberi ar- «bítrii, non fit mótio à Deo ad justí- «tiam ábsque motu líberi arbítrii; sed «ita infúndit donum grátiæ justificántis, «quòd étiam simul cum hoc movet líbe- «rum arbítrium ad donum grátiæ accep- «tándum, in his, qui sunt hujus motió- «nis capáces.» Hanc S. Thomæ doctrí- nam, suam fecit Concílium Tridentínum, *Sess.* 6, *cap.* 7, ínquiens: hóminem justificári per «voluntáriam susceptiónem «grátiæ, et donórum etc.» Ergo, pér- peràm hærétici conténdunt, líberum ar- bítrium in justificatióne merè passívè se habére, nihílque ágere, quô se ad jus- tificatiónem præparet, ac dispónat.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

604. Obj. 1.° Éadem est cáusa infusiónis grátiæ in justificatióne ímpii, ac conservatiónis ipsíus in justificáto: At- qui, ad conservatiónem grátiæ in justifi- cáto non requíritur motus sui líberi ar- bítrii: Ergo, neque hic requíritur, ut justificétur ímpius.

Resp. Dist. maj. éadem est etc. tamen ex parte ánimæ áliud requíritur in justi- ficatióne, quod non requíritur in conser- vatióne grátiæ, conc.: et ex parte ání- mæ idem requíritur in justificatióne, et in conservatióne grátiæ, neg. conseq. Nam ut ait D. Thomas, 1.ª 2.æ *quæst.* 113, *art.* 3 *ad* 3, «in infusióne grátiæ jus- «tificántis est quædam transmutátio ani- «mæ humánæ; et ídeò requíritur motus «próprius ánimæ humánæ, ut ánima «movéatur secúndùm modum suum. «Sed conservátio grátiæ est ábsque «transmutatióne: undè non requíritur «áliquis motus ex parte ánimæ, sed sola «continuátio influxûs divíni.»

605. Obj. 2.° Actus nostri justificatiónem præcedéntes, nullam cum grátia justificatiónis connexiónem habent, quia adhuc hîs pósitîs, justificámur gratis; Ergo, non dispónunt ad hoc ut justificémur, quia dispositiónes connécti debent cum forma, ad quam dispónunt: Ergo, etc.

Resp. Dist. antecéd. Actus nostri præcedéntes justificatiónem, nullam ex natúra sua, præscindéndô à motióne Spíritûs S., connexiónem habent cum grátia justificatiónis, conc. sub víribus grátiæ, ac Dei promissô neg. Deum enim promisísse justificáre eos, qui áctibûs suîs sub Spíritûs S. motióne sese præparent, ac dispónant ad justificatiónem, constat ex jam supra citáto Joëlis textu: «Convertímini ad me, et ego convértar ad «vos.» Vid. ínsuper quæ satîs abúndè in hanc rem addúximus in probatiónibus Conclusiónis.

§. ÚNICUS.

An ad justificatiónem ímpii requirátur motus fídei, et an hic solus sufficiat?

606. Respond. quoad primam partem affirmativè. Ipsi hærétici conséntiunt cum Cathólicis, motum fídei ad justificatiónem requíri. Id profectò testátur passim, et apértè Scriptúra. Joàn. enim, *cap.* 1.°, *v.* 12, scríptum est: «Dedit eis potestátem, fílios Dei fíeri, «his, qui credunt in nómine ejus.» Rom., *cap.* 4, *v.* 3: «Credídit Ábra- «ham Deo, et reputátum est illi ad jus- «títiam.» Hebræór., *cap.* 11, *v.* 6: «Sinè fide áutem impossíbile est placére «Deo. Crédere enim opórtet accedéntem «ad Deum, quia est, etc.» Hinc Concílium Tridentínum, *Sess.* 6, *cap.* 6, ait: «Disponúntur áutem ad ipsam justítiam, «dum excitáti divinâ grátiâ, et adjúti, «fidem ex auditu concipiéntes, liberè «movéntur in Deum, credéntes quæ di- «vínitûs reveláta, et promissa sunt etc.» Ilîs confutátus manet error Manichæótum, qui, teste Augustínô, *lib. de Utilitáte credéndi*, omnem fídei necessitátem abstulérunt, existimántes, nihil omninò esse credéndum, sed dumtáxat assentiéndum his, quæ possunt ratióne naturâlî evidénter persuadéri, in quem errórem étiam impíngunt quamplúres ímpii hujus ævi.

607. Quantùm áutem ad secúndam quæsíti partem, vidélicet, an solus motus fídei sufficiat ad justificatiónem ímpii; respondémus negativè. Solam fidem suffícere hærésis est exorta Apostolórum tempóribûs, Simóne Magô auctóre, quem álii secúti fuére, ut refert S. August., *lib. de Fide, et Opéribus;* contra quos suas Epístolas canónicas Petrus, et Jacóbus scripsérunt. Hanc hærésim Luthérus, Calvínus, eorúmque sequáces ferè sopítam suscitárunt: dixérunt enim, ad remissiónem peccatórum suffícere solam fidem, quâ quis certô credat, unicuíque remítti peccáta per Christum: hac fide, ut ipsi volunt, peccátor quási manû apprehéndit justítiam Christi, et eam reddit sibi suam per imputatiónem; ita ut, juxta ipsos, eô ipsô, quô áliquis credit, sibi remítti, aut remíssa esse peccáta, ei remittúntur, et hâc solâ fide justificátur. Á vero tamen abérrant. Nam Tridentinum, *Sess.* 6, *Can.* 9, definit: «Si quis díxerit, solâ fide ímpium «justificári, ita ut intélligat nihil áliud «requíri, quod ad justificatiónis grátiam «consequéndam coöperétur, et nulla ex «parte necésse esse eum suæ voluntátis «motû præparári, atque dispôni; ana- «théma sit.»

Scriptúra profectò, non soli fídei tríbuit justificatiónem à peccátis, sed áliis

étiam áctibus. Id, luce meridianâ clárius patet, afferéndô eósdem textus, quos ad hunc finem addúcit Tridentínum, *Sess.* 6, *cap.* 6, ínquiens: «De hac «dispositióne scríptum est (*Hebr.*, *c.* «11.) Accedéntem ad Deum opórtet cré«dere, quia est, et quòd inquiréntibus «se remunerátor sit. (*Ecce fidem*) Et, «(*Matth.*, *c.* 9) Confíde, fili, remittún«tur peccáta tua. (*Ecce spem, et fidú«ciam.*) Et (*Eccli.* 1.) Timor Domini «éxpellit peccátum. (*Ecce timórem*) Et, «(*Act.* 2.) Pœniténtiam ágite, et bapti«zétur unusquísquè vestrùm in nómi«ne Jesu Christi in remissiónem peccá«tórum vestrórum, et accipiétis donum «Spíritûs Sancti. (*Ecce pœniténtiam.*) «Et (*Matth.*, *c. ult.*) Eúntes ergo do«céte omnes Gentes, baptizántes eos in «nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs «Sancti, docéntes eos serváre ómnia, «quæcúmque mandávi vobis. (*Ecce pro«pósitum baptísmi, et observántiæ «mandatórum Dei*). Dénique, (1 *Reg.*) «Præparáte corda vestra Dómino (*non «útique solâ fide, sed divérsis hîs ácti«bûs, quos modò ex Concil. Trident. «recensúimus*).»

Solam fidem non suffícere ad justificatiónem, adeò expréssè tradit S. Jacóbus in sua epist. Cathólica, *c.* 2, ut *v.* 14, dixerit: «quid próderit, fratres mei, «si fidem quis dicat se habére, ópera «áutem non hábeat? Númquid póterit «fides salváre eum?» Et *v.* 24: «Vidé«tis, quóniam ex opéribus justificátur «homo, et non ex fide tantùm?» et *v.* 26, tandem conclúdit: «Sicut enim cor«pus sinè spíritu mórtuum est: ita et «fides sinè opéribus mórtua est.» Récolant Adversárii, S. Jacóbum Apost. hanc suam Cathólicam epístolam scripsísse contra Simónem Magum, aliósque hæréticos, qui Apostolórum tempóribûs dogmatizábant, fidem solam sinè opéribus justificáre. Hæc epístolá ádeò premit Adversários, ut Luthérus, ad ejus vim eludéndam, áusus sit dícere, hanc S. Jacóbi epístolám non esse canónicam. Sed ut dignoscátur, quàm erróneè Luthérus hanc epistolam è cathálogo sacrórum librórum áusus sit expúngere, legátur *Tom. primus* hujus Óperis *à num* 15, *ad* 20.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

608. Obj. 1.° Apóst. Páulus, *epist. ad Rom.*, *c.* 5, *v.* 1: inquit: «Justificáti ergo, ex fide:» et *epist. ad Galat.*, *c.* 3, *v.* 8: «Ex fide justifi«cat gentes Deus:» et ália simília, quibûs inflátus Luthérus ait: «Figménta «sunt ómnia, quæ de præparatióne líbe«ri arbítrii ad grátiam tot librîs tractá«tà sunt.»

Resp. cum Tridentíno, *Sess.* 6, *cap.* 8: Quòd «cùm Apóstolus dicit, justifi«cári hóminem per fidem... ea verba in «eo sensu intelligénda sunt, quem per«pétuus Ecclésiæ Cathólicæ consénsus «ténuit, et expréssit: ut scilicèt, per fi«dem ideò justificári dicámur, quia fi«des est humánæ salútis inítium, fun«daméntum, et radix omnîs justificatió«nis, sinè qua impossíbile est plácere «Deo, et ad filiórum ejus consórtium per«veníre.» Apóstolus ergo ásserit, fidem quidem necessáriam esse ad justificatiónem, mínimè verò ipsam solam sufficiéntem esse. Vid. num. præcedént.

609. Obj. 2.° Apóst., *epist. ad Rom.* *c.* 3, *v.* 24, ait: «Justificáti grátis per «grátiam ipsíus:» et *epist. ad Ephes.*, *c.* 2, *v.* 8: «Grátiâ enim estis salváti «per fidem... Non ex opéribus etc.» Ergo, juxta Apost. sola fides súfficit ad justificatiónem ímpii.

Resp. cum eódem Concil. Trident., *Sess.* 6, *c.* 8 Quòd «gratis justificá-

«ri ídeò dicámur, quia nihil eórum, «quæ justificatiónem præcédunt, sive fi«des, sive ópera, ìpsam justificatiónis «grátiam promeréntur: si enim grátia «est, jam non ex opéribus: alióquin, «ut id. Apóstolus inquit, grátia jam non «est grátia.» Sic ergo, pósitîs áctibûs ad grátiam disponéntibûs, Deus quidem dat grátiam, ast non ex débito justítiæ, sed est novum benefícium in promissióne gratúitâ divínâ fundátum, quam expréssit Zacharías, *c.* 1, *v.* 3, ínquiens: «Convertímini ad me... et convértar ad «vos.» Vid. et *c.* 18, *v.* 22 Ezechiél.

610. Obj. 3.° Ópera facta ab hómine ante justificatiónem, sunt facta ab hómine adhuc peccatóre: Ergo, sunt fructus árboris malæ, adeóque sunt mala, et peccáta; «arbor enim mala «non potest fructus bonos fácere,» ut dícitur Matth. *c.* 7, *v.* 18: ópera áutem mala néquëunt esse dispositiónes ad grátiam: Ergo, etc.

Resp. in primis: hoc arguméntum posse contra ipsos hæréticos retorquéri: nam ipsi concédunt, fidem necessáriam esse ad justificatiónem, quæ quidem fides, cùm sit hóminis adhuc peccatóris, juxta arguméntum, esset mala, et peccátum, adeóque inútilis ad justificatiónem.

Resp. 2.° diréctè ad arguméntum. Dist. Maj. Ópera facta ab hómine ante justificatiónem sunt facta ab hómine adhuc peccatóre, agénte ex afféctu ad peccátum, neg.; agénte ex motióne Spíritûs S., adeóque ex afféctu ad justítiam, et salútem, concéd. Ex hoc cápite ópera à peccatóre facta ante justificatiónem non sunt mala, neque peccáta; undè Tridentínum, *Sess.* 6, *Can.* 7, inquit: «Si quis dixerit, ópera ómnia, «quæ ante justificatiónem fiunt, qua«cúmque ratióne facta sint, verè esse «peccáta, vel ódium Dei meréri; aut «quantò veheméntiùs quis nítitur se dis«ponére ad grátiam, tantò eum gráviùs «peccáre; anáthema sit.» Et S. Pius V, et Gregórius XIII, condemnárunt hunc Baji artículum: «Illa distínctio dúplicis «vivificatiónis; altérius, quâ vivificátur «peccátor, dum ei pœniténtia, et vitæ «novæ propósitum, et inchoátio per Dei «grátiam inspirátur: altérius, quâ vivi«ficátur, qui verè justificátur, et palmes «vivus in vite Christi efficitur, commen«títia judicátur, et Scriptúris minimè «cóngrüens.»

NOVITIATE LIBRARY

CAPUT VI.

DE MÉRITO JUSTI.

§ I.

Quid, et quótuplex sit méritum, et quæ conditiónes ad ipsum requirántur.

611. Méritum est «opus retributióne «dignum, quátenùs áliquis dat de suo, «ut accípiat de aliéno.» Sic, qui labórat in vínea altérius, ut accípiat statútam mercédem; dat áliquid de suo, nempè óperam, et labórem suum, ut accípiat áliquid de aliéno, nempè, pecúniam, quæ est in potestáte altérius.

612. Duplex distíngui solet méritum · unum, *de condígno;* álterum *de cóngrüo*. Méritum *de condígno* illud est quod habet condignitátem ad præmium, ita ut pensátis ómnibûs, jure debeátur tali óperi tale præmium; quamvis illa dignitas óperis provéniat ex grátia persónæ merénti collátâ.

Méritum *de cóngrüo* est illud, quod licèt non hábeat condignitátem, nec înferat jus, aut débitum ad præmium; nihilóminùs quædam decéntia, et cóngrüitas est, ut ille, qui potest réddere præmium, illud pro tali ópere cónferat.

Exémplum utriúsque afférri potest in mílite, qui óptimè se gessit in prælio. Hic enim duplex habet méritum; unum, *de condígno*, nempè, ad stipéndium strénuè militántibus statútum: álterum verò, *de cóngrüo*, ut scílicèt à Rege præter ordinárium stipéndium, ipsi conferátur áliquod donum, vel dignitátis, aut nobilitátis prærogatíva; cóngrüum enim est, quòd Rex erga strénuos mílites liberáliter se gerat.

613. Hinc appáret inter utrúmque méritum differéntia. Méritum enim *de condígno* innítitur justítiæ, sícque est verè, ac próprièmméritum; ádeò ut sic merénti, débitum sit ex justítia præmium. Méritum áutem *de cóngrüo* solùm est impróprié méritum, útpotè non habens æqualitátem ad præmium, nec innítitur justítiæ, sed pótiùs liberalitáti, et decéntiæ; ádeò ut cui hoc tantùm méritum inest, non tenétur áliquis quidquam ex justítia repéndere, quasi futúrus in eum injústus, si non repénderet; sed sic cóngrüat, ut áliquid ei conferátur, non támquàm præmium, aut coróna; sed ex quádam decéntia aut gratitúdinis, aut liberalitátis, etc.

Præterëúndum non est, méritum *de cóngrüo* debére esse opus bonum ejúsdem órdinis cum ea re, quam dícitur meréri; id est, supernaturále, si ordinátur ad consecutiónem boni supernaturális. Hinc est, quòd opus bonum órdinis naturális, nec *de cóngrüo* meréri potest donum, vel minimum, órdinis supernaturális: et ínsuper debet fieri in offícium, aut obséquium gratum, vel útile illi, respéctû cujûs áliquis dicitur áliquid meréri.

614. Conditiónes requisítæ ad méritum *de condigno* sex numerántur : 1.ª ut opus sit líberum : 2.ª ut sit bonum : 3.ª ut fiat in obséquium præmiántis : 4.ª ut óperans sit viátor : 5.ª ut sit in státu grátiæ justificántis : 6.ª ut ejus opus sit à Deo ordinátum in præmium. Síngulæ expendúntur.

1.° Opus meritórium debet esse líberum : id est de fide ; contrárium enim est damnátum in tértia propositióne Jansénii ; et lóngè ante tráditum à D. Thoma, *quæst.* 6 *de Malo*, *art. únic.* ; et suffragátur rátio : in tantùm enim áliquis merétur, in quantùm áliquid ponit de suo in obséquium præmiántis ; est enim inter meréntem, et præmiántem, quasi contráctus, ut merens suum obséquium exhíbeat, et præmians tríbuat ipsi mercédem ; Atqui, nequit homo reputári exhibére áliquid de suo, nisi exhíbeat id cujûs est dóminus ; est áutem dóminus dumtáxat actûs líberi, non verò necessárii : Ergo, opus meritórium in primis debet esse líberum.

2.° Opus meritórium debet esse opus bonum : Opus enim malum, non est dignum præmió, sed pœnâ ; et opus indifferens neque præmió est dignum, neque pœnâ.

3.° Opus meritórium debet fieri in obséquium præmiántis ; alióquin non esset rátio, cur ab eo expectarétur retribútio, neque ullo jure posset ab eo éxigi. Hínc, Dóminus, *Matth.*, *c.* 6, *v.* 1, ait : «Atténdite, ne justítiam vestram «faciátis coram homínibus, ut videámini «ab eis (*adeóque non in obséquium Dei*) : «alióquin mercédem non habébitis apud «Patrem vestrum, qui in Cœlis est.» Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 21, *art.* 3, et 2.ª 2.æ *quæst.* 104, *art.* 3.

4.° Méritum requírit quòd merens sit viátor. Id apértè ínnuit Scriptúra, nam Eccle., *c.* 11, légitur : «In quo«cúmque loco cecíderit lignum, ibi ma«nébit :» non áutem in eódem loco manéret, si post mortem posset áliquis meréri : Ergo, méritum non óbtinet locum nisi in viatóribus. Eccli., *c.* 9 : «Mór«tui nihil novérunt ámpliùs, nec habent «ultrà mercédem ;» super quæ verba inquit Hierónymus : «Mórtui nihil valent «ad id adjícere, quod semel secum tu«lére de vita.» Huic cóncinit August. in *Enchirid.*, *c.* 110 : «Hic omne mé«ritum comparátur, quô possit post «hanc vitam relevári quíspiam, vel gra«vári. Nemo se speret, quod hìc negléxerit, cùm obíerit, apud Deum prome«réri.» Vid. D. Thom., 1.ª *Part.*, *quæst.* 62, *art.* 9, *ad* 3.

5.° Ad méritum requíritur státus grátiæ justificántis. Collígitur ex Scriptúra, quæ passìm docet ópera hóminis esse mórtua, adeóque non meritória, nisi ipse vivat per charitátem. Sic *epist.* 1.ª *ad Cor.*, *c.* 13, ajébat Apóstolus : «Si charitátem non habúero, nihil sum... «nihil mihi prodest ;» cháritas áutem non est sinè grátia sanctificánte : Ergo, ad meréndum requíritur státus grátiæ justificántis. Id collígitur étiam ex Concil. Trident., *Sess.* 6, *c.* 8, ubi dícitur, nihil eórum, quæ præcedunt justificatiónem, sive fides, sive ópera, meréri ipsam justificatiónis grátiam ; adeóque multò minùs merêntur glóriam, quæ est grátia consummáta : Ergo, nisi homo sit in státu grátiæ justificántis, nihil potest de condígno meréri. Hùc étiam facit séquens propósitio Baji à Summis PP. damnáta, inter álias ad hanc matériam spectántes. «Rátio mériti non con«sístit in eo, quòd, qui benè operátur, «hábeat grátiam, et inhabitántem Spíri«tum Sanctum, sed in eo solùm quòd «obédiat légibus.» Ergo, etc. Vid. D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 114, *art.* 2.

6.ª Ad méritum requíritur, quòd opus

meritórium sit opus à Deo in præmium ordinátum. Hôcce loquéndi modò nólumus significáre, quòd opus bonum hábeat suum valórem, seu condignitátem intrínsecam ab illa Dei ordinatióne ad præmium, sed id tantùm inténdimus significáre, quòd ultrà totam dignitátem quam habet ex grátia, necessárium est, quòd Deus hujúsmodi opus órdinet ad præmium, seu mercédem, ad hoc ut qui ex grátia est benè operátus, hábeat jus ad mercédem, et Deus obligétur illam réddere. Id conjícitur ex Scriptúra, Matth. enim, *c.* 20, Paterfamílias, per quem significátur Deus, légitur conventiónem fecísse cum operáriis de denário diúrno; quâ conventióne factâ, operárii jure potuérunt exígere à Patrefamílias mercédem promíssam, et non ultrà, ut ibídem patet. *Epist. Jacóbi, cap.* 1.°, dícitur: «Qui suffert tentatiónem, cùm «probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, «quam repromísit Deus diligéntibus se.» Vid. et Apost., *epist. ad Hebr., cap.* 6 *et* 9. Ínsuper Concílium Tridentínum, *Sess.* 6, *cap.* 16, hæc habet: «Benè «operántibus usque in finem, et in Deo «sperántibus proponénda est vita ætér«na, et támquàm grátia fíliis Dei per «Chrístum Jesum misericórditer pro«míssa, et támquàm merces ex ipsíus «Dei promissióne bonis ipsórum opéri«bus, et méritis fidéliter reddénda.» Augustínus, *Serm.* 16 *de verb. Apóstoli:* «Deus débitor factus est, non áli«quid à nobis accipiéndò, sed quod ei «plácuit, promitténdò.» Et in *psalm.* 83, ait: «Debitórem Dóminus ipse se «fecit, non accipiéndò, sed promitténdò. «Non ei dícitur, redde quod accepísti; «sed redde quod promisísti:» Quibus confórmiter S. Thomas ait: «Méritum «hóminis apud Deum esse non potest, «nisi secúndùm præsuppositiónem divíænæ ordinatiónis.» Quod et rátio theológica suádet, nam, méritum impórtat in merénte jus ad bonum præmiántis; et in præmiánte obligatiónem ad illud reddéndum. Vid. *num.* 611 *et seq.* Atqui, quantúmvis sit bonum opus hóminis non potest, seclusâ Dei ordinatióne, et promissióne, párere in hómine jus ad bonum Dei, neque in Deo obligatiónem ad illud reddéndum: Ergo, etc. Prob. min. Ex bonis opéribus jam aliúndè débitîs Deo, homo non acquírit jus erga Deum, nec Deus obligátur réddere illi áliquod præmium, nisi illud promíserit: Atqui, ómnia quæcúmque bona hóminis jam sunt débita Deo, plúribûs équidem títulîs, puta, creatiónis; suprémi super ómnia domínii; últimi finis, etc. Ergo, etc. Quid? quòd bona ópera Beatórum, et Animárum in purgatório existéntium non sunt meritória, et hoc ídeò, quia Deus illa non órdinat, nec accéptat ad præmium: Ergo, etsi ópera sint bona, si non sunt à Deo ordináta ad præmium, meritória non sunt. Neque dicátur, ópera Beatórum, ac Animárum in purgatório, non esse meritória, non ídeò quia non sunt à Deo ordináta ad præmium, sed quia neque Beáti, neque Ánimæ in purgatório existéntes, sunt in státu viæ. Ídeò enim orítur ex defáctu státûs viæ, quia Deus bona extra státum viæ facta non órdinat, neque accéptat ad præmium; posset enim, si vellet; quia státus viæ non ex natúra rei, sed ex Dei voluntáte ad ratiónem mériti requíritur.

§ II.

De his, quæ possunt cádere sub mérito hóminis.

Hóminem coràm Deô non posse meréri *de condigno*, séntiunt omnes nostri témporis Sectárii; inter quos éminet

Calvínus, ut vidére licet in suo *lib.* 3 *Instit.*, *c.* 15. Contra hos ergo sit

I. CONCLÚSIO.

Ópera justórum sunt verè de condigno meritória, étiam vitæ atérnæ.

615. Hanc veritátem docet, et váriis Scriptúræ testimóniis confírmat Concil. Trident., *Sess.* 6, *cap.* 16, cujûs verba, benè notánda, transcríbimus. «Hâc «ígitur ratióne justificátis homínibus, si- «ve accéptam grátiam perpétuò conser- «váverint, sive amíssam recuperáverint; «proponénda sunt Apóstoli verba (1 «Cor., c. 15, v. 58): Abundáte in om- «ni ópere bono, sciéntes quòd labor ves- «ter non est inánis in Dómino: (Hebr., «c. 6, v. 10.) Non enim injústus est «Deus ut obliviscátur óperis vestri, et «dilectiónis, quam ostendístis in nómine «ipsíus. Et (Hebr., c. 10, v. 35): No- «líte amíttere confidéntiam vestram, quæ «magnam habet remuneratiónem: atque «ídeo benè operántibus usque in finem, «et in Deo sperántibus proponénda est «vita ætérna, et támquàm grátia fíliis «Dei per Christum Jesum misericórdi- «ter promissa, et (Rom., c. 6,) tám- «quàm merces ex ipsíus Dei promissióne «bonis ipsórum opéribus, et méritis fi- «déliter reddénda. Hæc est enim illa «coróna justítiæ, quam post suum cer- «támen, et cursum, repósitam sibi esse «ajébat Apóstolus (2.ª ad Thimot., c. «4, v. 7 et 8) à justo Júdice sibi red- «dóndam, non solùm áutem sibi, sed et «ómnibus, qui díligunt advéntum ejus. «Cùm enim ille ipse Christus Jesus «támquàm caput in membra (1.ª Cor., «c. 11), et támquàm vitis in pálmites «(Joán., c. 15) in ipsos justificátos júgi- «ter virtútem ínfluat; quæ virtus bona «córum ópera semper antecédit, et co- «mitátur, et subséquitur, et sinè qua «nullô pactô Deo grata, et meritória «esse possent: nihil ipsis justificátis ám- «pliùs deésse credéndum est, quóminùs «plenè illîs quidem opéribûs, quæ in Deo «sunt facta, divínæ legi pro hujus vitæ «státu satisfecísse, et vitam ætérnam «suô étiam tempore, (Apocalyp., c. 14), «si tamen in grátia decésserint, conse- «quéndam, verè promeruísse censeán- «tur: cùm Christus, Salvator noster, «dicat (Joán., c. 4, v. 13): Si quis bí- «berit ex áqua, quam ego dabo ei, non «sítiet in ætérnum; sed fiet in eo fons «áquæ saliéntis in vitam ætérnam.» Háctenùs Concílium Tridentínum, cujûs verba per exténsum pónere, opportúnum dúximus, eò quia cóntinent máximam de mérito justi Cathólicam fidem, ac Sacræ Scriptúræ testimóniis comprobátam.

Quòd verò Concílium intelléxerit, ópera justórum esse meritória étiam vitæ ætérnæ, nedum *de cóngrüo*, sed étiam *de condigno*, constat ex eo quòd Concílium suam doctrínam múniat hîsce D. Páuli verbîs, *epist.* 2.ª *ad Timoth.*, *c.* 4: «In réliquo repósita est mihi co- «róna justítiæ, quam reddet mihi Dómi- «nus in illa die justus Judex: non solùm «áutem mihi, sed et his, qui díligunt «advéntum ejus.» Mérito áutem dum- táxat *de cóngrüo* non debétur coróna justítiæ, id est, ex justítia, nec qui red- dit illam, se gerit ut justus judex, sed ut cóndecens præmiátor, qui posset ábsque justítiæ læsióne illam corónam non réd- dere. Ergo, Tridentínum docens cum Apóstolo, justis reddéndam ex justítia corónam, quam meruérunt, justos étiam vitam ætérnam de condígno meréri docet.

616. Schólion. Adverténdum est sé- dulò, méritum *de condigno* non esse méritum de toto rigóre justítiæ. Ad hoc elucidándum accípimus ex D. Thoma,

1. 2.æ *quæst.* 114, *art.* 1, quòd méritum, et merces árgûunt justum; ad justum áutem, seu justítiam, æquálitas requíritur. Sicut enim justum prétium est, quod ponit æqualitátem cum re accépta, ita justa retribútio est, quæ ponit æqualitátem cum labóre, seu mèritô: ita ut, ubi perfécta æquálitas est, ibi sit perféctum justum, seu perfécta justítia; et è contrà, ubi aquálitas perfécta non est, ibi nec sit perféctum justum, nec perfécta justítia. Inter Deum áutem et hóminem non potest esse justítia, secúndùm absolútam, seu omnímodam æqualitátem, sed solúmmodò secúndùm proportiónem quámdam; quia nimírùm homo agit quántùm potest, secúndùm modum suum, et secúndùm quòd ex divína ordinatióne áccipit posse ágere: ita ut homo id consequátur à Deo, quasi mercédem suæ operatiónis, ad quod Deus illi virtútem deputávit. Et quia homo illud líberè operátur, ídeò sua áctio habet ratiónem méríti. Cùm ergo inter Deum, et hóminem non possit esse justítia secúndùm omnímodam æqualitátem, homo non potest áliquid à Deo meréri ex toto rigóre justítiæ: ast verò, cùm Deum inter et hóminem justítia esse possit secúndùm quámdam proportiónem, ídeò homo áliquid potest à Deo meréri, ita ut pensátîs ómnibùs, et máximè atténtâ Dei ordinatióne, ac promissióne, jure debeátur tali óperi tale præmium; quámvis illa dígnitas óperis provéniat ex grátia persónæ merénti collátâ.

617. Hinc non inoportúnum advértere cum eódem S. Thoma, 1.ª 2.æ *quæst.* 114, *art.* 3: «Quòd opus me«ritórium hóminis considerári potest «unô modô, secúndùm quòd procédit ex «líbero arbítrio; áliô modô, secúndùm «quòd procédit ex grátia Spíritûs Sanc«ti. Si considerétur secúndùm substán«tiam óperis, et secúndùm quòd procé«dit ex líbero arbítrio, sic non potest «ibi esse condígnitas propter máximam «inæqualitátem..... Si áutem loquámur «de ópere meritório, secúndùm quòd «procédit ex grátia Spíritûs Sancti, sic «est meritórium vitæ ætérnæ ex con«dígno. Sic enim, valor méríti atténdi«tur secúndùm virtútem Spíritûs Sancti «movéntis nos in vitam ætérnam, se«cúndùm illud Joán., c. 4, v. 14: «Fiet in eo fons aquæ saliéntis in vitam «ætérnam. Atténditur étiam prétium «óperis secúndùm dignitátem grátiæ, «per quam homo consors factus divínæ «natúræ adoptátur in fílium Dei, cui «debétur hæréditas ex ipso jure adop«tiónis, secúndùm illud Rom., c. 8, v. «17: Si fílii, et hærédes.»

618. Ex his infértur, quòd ópera meritória, etsi formáliter mérita hóminis justi sint, quia ab eo líberè facta; quia tamen ab illo sunt facta per grátiam, ex Dei miseratióne illi per Christum concéssam, ídeò radicáliter dona Dei sunt: et hâc ratióne vita ætérna, quæ est merces, dícitur étiam grátia. Undè August., *lib. de Correp. et Grat. c.* 13, ait: «Sinè ulla dubitatióne con«fiténdum est, ídeò grátiam vitam «ætérnam vocári, quia his méritis réd«ditur, quæ grátia cóntulit hómini.»

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

619. Obj. 1.° Apóstolus, *epist. ad Rom., c.* 8, *v.* 18, lóquens de passsiónibus Sanctórum inquit: «Non sunt con«dígnæ passiónes hujus témporis ad fu«túram glóriam, quæ revelábitur in no«bis:» Atqui, si áliqua ópera Sanctórum possent esse meritória vitæ ætérnæ *de condigno*, máximè sic videréntur esse meritóriæ passiónes Sanctórum: Ergo, etc.

Resp. Dist. Maj. Juxta Apostólum, non sunt condígnæ passiónes etc. si consideréntur secúndùm eárum substántiam, seu, prout à líbero arbítrio procédunt, concéd.: prout procédunt ex grátia, neg. Ita expónit Apóstolum, et solvit arguméntum S. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 114, *art.* 3, *ad* 1. Vid. *num.* 617.

620. Obj. 2.º Luc., *c.* 17, *vv.* 9 *et* 10, légitur Christus de servo, qui totâ die pro Dómino laboráverat, dixísse: «Numquid (*Dóminus*) grátiam habet «servo illi, quia fecit, quæ ei imperáve«rat? Non puto. Sic et vos, cùm fecéri«tis ómnia, quæ præcépta sunt vobis, «dícite: Servi inútiles sumus: quod «debuímus fácere, fécimus. Ergo, etc.

Resp. Dist. Antecéd. Servi inútiles sumus ex nobis metípsîs, concéd.: sub auxílio grátiæ, neg. Proféctò: nos, atténtâ solâ natúrâ, servi inútiles sumus ad consequéndam Glóriam: grátia verò, dum transfert nos in fílios Dei, nos reddit dignos ad eam promeréndam: undè Ambrósius, *lib.* 8 *in Luc.*, inquit: «Agnoscénda grátia, sed non ignoránda «natúra.» Vóluit ergo Christus, ut Discípuli, præ humilitáte, servos se inútiles dícerent; non quia per Dei adjutórium nihil sibi utilitátis, et mériti acquírere possent: sed quóniam ex se ipsis revérà inútiles erant; ádeò ut, nisi divínâ grátiâ liberaréntur, et ad filiatiónem Dei extolleréntur, non possent vitam ætérnam *de condígno* meréri.

621. Obj. 3.º Nullus merétur præmium ab eo, qui ejus ópere nec juvátur nec juvári potest: Atqui, Deus nec juvátur, nec juvári potest áliquo ópere hóminis: Ergo, homo nihil potest meréri à Deo.

Resp. Dist. Maj. Nullus merétur etc. in his, quæ tenent locum in justítia commutatíva, concéd.: in his, quæ pértinent ad justítiam distributívam, neg. Ita solvit S. Thom, in 2.º *Sentent.*, *Dist.* 27, *quæst.* 1, *art.* 3, *ad* 5. Quibus áddimus ex eódem S. Thom. 1.ª 2.æ *quæst.* 114 *art.* 1, *ad* 2, «quòd Deus ex «bonis nostris non quærit utilitátem, sed «glóriam, id est, manifestatiónem suæ «bonitátis: quod étiam ex suis opéri«bus quærit. Ex hoc áutem quòd eum «cólimus, nihil ei accréscit, sed nobis; «et ídeò merémur áliquid à Deo, non «quási ex nostris opéribus áliquid ei ac«créscat, sed in quántùm propter ejus «glóriam operámur.» Hic étiam afféctus, quô propter Dei glóriam operámur, est præmiô dignus.

II. CONCLÚSIO.

Nemo potest sibi meréri de condígno primam grátiam habituálem, seu justificántem.

622. Dícimus in Conclusióne, «pri«mam grátiam habituálem;» quia de grátia actuáli, quæ áliam non suppónit, nullus est ambigéndi locus, áliàs sequerétur, primam grátiam solîs natúræ viribûs posse comparári, quod in horróre habuére contra Pelágium, Concília Milevitánum, Palæstínum, et Arausicánum II, et tandem Tridentínum explódit, cùm, *Sess.* 6, *c.* 5, inquit: «Ipsíus «justificatiónis exórdium in adúltis à «Dei per Christum Jesum præveniénte «grátiâ suméndum esse, hoc est, ab «ejus vocatióne, quâ, nullîs eórum exis«téntibús méritîs, vocántur: etc.»

623. Prob. ergo Conclúsio. Apóstolus, *epist. ad Rom.*, *c.* 3, *v.* 24, inquit: «Justificáti grátis per grátiam:» quæ quidem verba Concil. Trident., *Sess.* 6, *c.* 8, expónens, ait: «Grátis «áutem justificári ídeò dícimur, quia ni«hil eórum, quæ justificatiónem præcé-

«dunt, sive fides, sive ópera, ipsam justi-«ficatiónis grátiam promeréntur: si «enim grátia est, jam non ex opéribus: «alióquin, ut idem Apóstolus (ibid., c. «11, v. 6) inquit: grátia, jam non est «grátia.» Ergo, etc.

624. Prob. 2.° rat. theol. Si quis posset meréri *de condigno* grátiam habituálem, seu sanctificántem, sequerétur, justificatiónem non esse merè gratúitam; quod est contra Apóstolum, *ad Rom.*, *c.* 3, *v.* 24, et contra Concil. Trident. num. præced. citat. Prætereà, cùm ante primam grátiam habituálem, nullus sit in státu grátiæ, sequerétur, státum grátiæ non requíri ad hoc, ut áliquis meréri possit de condígno; quod falsum osténdimus supra *num.* 614. Accédit, quòd princípium mériti, non potest cádere sub mérito, et esse effèctus mériti; áliàs suppóneret seipsum, ántequàm esset: Atqui, grátia habituális, seu justificans est princípium totíus mériti *de condígno:* Ergo, nullus potest meréri *de condígno* primam grátiam habituálem, seu justificántem. Major patet ex términis. Minor verò, ex præcitat. *num.* 614. Ergo, etc.

625. Schólion. Cum Cl. Sylvio dúcimus tamen probábile, fidéles per ópera ex auxílio grátiæ Dei facta, posse *de cóngrüo*, primam grátiam habituálem meréri. Nam August., *Tractat.* 44 *in Joán.*, de Publicáno dicénte: «Deus «própitius esto mihi peccatóri,» inquit: «Ista conféssio méruit justificatiónem, «quómodò iste cæcus illuminatiónem.» Simília tenet idem Augustínus, *epist.* 105 *et* 106. Eámdem fuísse S. Ambrósii sententiam ex *lib. ejus* 10 *in Luc.* osténdi potest. Dicit enim de S. Petro: «Lácrymæ véniam non póstulant, sed «meréntur..... et tu, si véniam vis me-«réri, dílue lácrymis culpam tuam.» Méritum áutem hujúsmodi, de quo loquúntur hi SS. Patres; non est méritum *de condígno*, ut vidére licet ex dictis, duóbus núneris præcedéntibus; restat ergo quòd sit méritum *de cóngrüo.*

Némini occúrrat, huic sententiæ oppóni verba Concílii Tridentíni, quæ *num.* 622, transcrípsimus; Concílium enim hîs suîs verbîs ádstruit quidem, nihil eórum, quæ justificatiónem præcédunt, meréri *de condígno* justificatiónis grátiam; ast verò, indè mínimè licet inférre, Concílium inténdere, quòd nec eam possint meréri *de cóngrüo.* Et sanè, Concílium, *Sess.* 6, *can.* 4, cujûs verba retúlimus *num.* 601, definívit, hóminem divínâ grátiâ excitátum se dispónere, ac præparáre ad justificatiónem, hôc ipsô ínnuens, quòd homo per ópera, quæ præcédunt justificatiónem, eam potest meréri *de cóngrüo*, ut enim S. Thomas, 1.ª 2.æ *quæst.* 114, *art.* 6, dicit: «Opus nostrum... áliô modô habet «ratiónem mériti, secúndùm quòd pro-«cédit ex líbero arbítrio, in quantùm vo-«luntárié áliquid fácimus; et ex hac «parte est méritum cóngrüi: quia cón-«grüum est, ut dum homo benè útitur «suâ virtúte, Deus secúndùm superexcel-«léntem virtútem excellentiùs operé-«tur.»

Observándum nihilóminùs cum eódem Sylvio, non de fácili prædicándum, nec sinè limitatióne dicéndum, quòd pœnitens possit meréri grátiam justificántem, atque ideò, suórum peccatórum remissiónem; cùm enim vocábulum, quod plura potest significáre, absolùtè pósitum, sólcat sumi pro significáto principalióri; nómine mériti communiter intélligi solet méritum próprié dictum, scilicèt, méritum *de condígno:* sicque perículum foret, ne auditóres induceréntur ad existimándum, quòd tum grátia justificans, tum remíssio peccatórum

non sit gratúita, sed quòd ex título justítiæ debeátur. Ubi tamen, vel inter Doctos sermo est, vel rei véritas inquíritur; rectè dícitur, probábile esse, quòd pœniténtes possint *de cóngrüo* meréri grátiam justificántem per ea ópera fídei, spei, etc., quæ divínô múnere agunt. Legátur claríssimus Sylvius in 1.ᵐ 2.æ *D. Thomæ, quæst.* 114, *art.* 5, Conclus. 4.

III. CONCLÚSIO.

Nullus, præter Christum, potest álteri primam grátiam meréri de condigno; benè tamen de cóngrüo.

626. Prob. 1.ª pars Concl. ratióne theológicâ innixâ doctrínæ D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 114, *art.* 6. Opus nostrum habet ratiónem mériti *de condígno* ex vi motiónis divínæ grátiæ; et sic homo justus potest *de condígno* meréri ea, ad quæ sese exténdit mótio divínæ grátiæ, ut ea sic mereátur: Atqui, grátia puro hómini colláta est particuláris, ipsúmque tantùm movet ad própriam perfectiónem et salútem, non verò, ut áliis mereátur *de condígno* sanctificatiónem: Ergo, nullus potest áliis primam grátiam meréri *de condígno*. Prob. min. Quod est próprium Christi, non cómpetit áliis: Atqui, Christi próprium est meréri áliis *de condígno* sanctificatiónem: Ergo, etc. Prob. min. hîs D. Thom. verbîs, ibid.: «Ánima Christi «mota est à Deo per grátiam, non so«lùm ut ipsa perveníret ad glóriam vi«tæ ætérnæ, sed étiam ut álios in eam «addúceret, in quantùm est caput Eccle«siæ, et áuctor salútis humánæ, secún«dùm illud ad Hebr., c. 11, v. 10: Qui «multos fílios in glóriam addúxerat etc.» Esse áutem Caput Ecclésiæ, et auctórem salútis, est próprium Christi: Ergo, nullus, præter Christum, potest álteri primam grátiam meréri *de condígno*.

627. Prob. 2.ª pars Concl. verbîs ejusd. Angelic. Præcep. ibid: «Méritô «cóngrui potest áliquis álteri meréri «primam grátiam. Quia enim homo in «grátia constitútus, implet Dei voluntá«tem, cóngrüum est secúndùm amicí«tiæ proportiónem, ut Deus ímpleat hó«minis voluntátem in salvatióne alté«rius.»

628. Et revérà: ex Scriptúra constat áliquos álteri meruísse *de cóngrüo* primam grátiam. Nam, *Matth. c.* 9, *v.* 2, légitur: «Ecce offerébant ei paraly«ticum jacéntem in lecto. Et videns Je«sus fidem illórum, dixit Paralytico: «Confide, fili, remittúntur tibi peccáta «tua.» Jacob., *c.* 5, *v.* 16, légitur: «Oráte pro invicem, ut salvémini.» Et ut intelligéremus oratiónem istam esse aliquómodò meritóriam, subjúngitur: «Multùm enim valet deprecátio justi as«sídua.» Nec desunt exémpla, quæ id confírmant. Sáuli enim conversiónem impetrávit Stéphanus, dicénte Augustínô, *Serm.* 382, *de Sanctis*: «Si Mar«tyr Stéphanus non sic orásset, Ecclésia «Páulum hodie non habéret:» ac ipse Augustínus suam conversiónem, Mónicam matrem suam suîs précibûs impetrásse, testátur, *lib.* 3 *Confess.*, *c.* 11, ádeò ut, prout ipse refert, Matri ubértim pro se flenti díxerit quidam Epíscopus: «Vade à me, ita vivas: fíeri enim «non potest, ut fílius istárum lacrymá«rum péreat.» Ex dictis áutem, *num.* 626, liqüet nullum præter Christum posse áliquem álteri meréri *de condígno* primam grátiam: Ergo, prælaudáti textus de mérito *de cóngrüo* sunt intelligéndi. Ergo, probáta étiam manet secúnda pars nostræ Conclusiónis.

Nec his obstat illud Jeremíæ, *c.* 15, *v.* 1: «Dixit Dóminus ad me: Si stéte-

«rit Möyses, et Sámuel coram me, non «est ánima mea ad pópulum istum: éji-«ce illos à fácie mea.» Hoc enim ídeò erat, non quia Möyses, et Sámuel non mereréntur de *cóngrüo* grátiam Judæis; sed propter impediméntum, quod ipsi ad eam obtinéndam opposuére: id quod non prætériit Angel. Præcep. ibid. enim, póstquàm de mérito cóngrüi locútus sit, subjúngit: «licèt quandóque «possit habéri impediméntum ex parte «illius, cujûs áliquis Sanctus justifica-«tiónem desíderat. Et in hoc casu lo-«quitur auctóritas Jeremíæ addúcta.»

IV. CONCLÚSIO.

Homo justus potest sibi meréri de condigno augméntum charitátis, et grátiæ.

629. Prob. Concl. Hanc veritátem dócuit Concil. Trident., *Sess.* 6, *cap.* 10, et *Can.* 32, ubi anathémate ferítur, qui díxerit: «Justificátum bonîs opéri-«bûs, quæ ab eo per Dei grátiam, et Je-«su Christi méritum, cujûs vivum mem-«brum est, fiunt, non verè meréri aug-«méntum grátiæ, vitam ætérnam, et ip-«síus vitæ ætérnæ, si tamen in grátia «decésserit, consecutiónem, atque étiam «glóriæ augméntum.» Estò áutem Concílium non expréssè ibi affírmet, hóminem justum meréri augméntum grátiæ *de condigno:* id tamen se inténdere, satis índicat, tum apponéndò ly *verè*; tum eódem modò loquéndò de mérito augménti grátiæ, ac de mérito vitæ ætérnæ, quod certum est esse *de condigno*, juxta mentem Concílii. Vid. sup. *num.* 615, tum quia, méritum *de condigno* erat quod negábant hærétici, contra quos loquebátur Concílium.

630. Prob. 2.° Conclus. Váriîs Scriptúræ téxtibûs hanc veritátem osténdit Concil. Trident., *Sess.* 6, *cap.* 10, uti est illud Apoc., *cap. ult. v.* 11: «Qui justus est, justificétur adhuc:» et Jacob., *cap.* 2, *v.* 21, etc. «Ábraham «Pater noster nonnè ex opéribus justi-«ficátus est, ófferens Isáac fílium suum?» ubi de augménto justificatiónis est sermo: Ábraham enim ánteà erat justus per fidem, quâ dícitur. *Gen.*, *cap.* 15: «Crédidit Ábraham Deo, et reputátum «est illi ad justítiam:» et Rom., *cap.* 4, *v.* 9: «Reputáta est Ábrahæ fides «ad justítiam.» Undè, *v.* 22, Jacóbus proséquitur: «Vides, quóniam fides coö-«perabátur opéribus illíus, et ex operi-«bus fides consummáta est?... Vidétis, «quóniam ex opéribus justificátur homo, «et non ex fide tantùm?» Et Augustínus, *epist.* 186, *ad Paulínum*, *cap.* 3, inquit: «Ipsa grátia merétur augéri, ut «áucta mereátur pérfici.» Hoc áutem méritum esse *de condigno* juxta mentem Concílii, constat ex dictis num. præcedénti: et osténditur dum simul

631. Prob 3.° Conclúsio ratión. theológicâ innîxâ doctrínæ D. Thomæ, 1.ª 2.æ *quæst.* 114, *art.* 8. Illud cadit sub mérito *de condigno*, ad quod mótio grátiæ se exténdit: Atqui, mótio grátiæ se exténdit ad augméntum grátiæ: Ergo etc. Min. prob. verbîs D. Thomæ ibid. «Mótio alicújus movéntis non solùm se «exténdit ad últimum términum motûs, «sed étiam ad totum progréssum in mo-«tu. Términus áutem motûs grátiæ est «vita ætérna. Progréssus áutem in hoc «motu est secúndùm augméntum chari-«tátis vel grátiæ, secúndùm illud Prov. «4, v. 18: Justórum sémita quasi lux «spléndens procédit, et crescit usque ad «perféctum diem, qui est dies glóriæ. «Sic ígitur, augméntum grátiæ cadit «sub mérito condígni.

632. Inde tamen mínimè inferéndum, quólibet actû meritório pósitô, státim

appóni augméntum grátiæ. Nam, ut S. Thom., *ibid. ad* 3, scitè advértit, «quólibet actû meritóriô merétur homo «augméntum grátiæ, sicut et grátiæ «consummatiónem, quæ est vita ætérna. «Sed sicut vita ætérna non státim réd-«ditur, sed suô témpore; ita nec grátia «státim augétur, sed suô témpore, cum «scílicèt áliquis sufficiénter fúerit dispó-«situs ad grátiæ augméntum.»

V. CONCLÚSIO.

Nullus homo potest de condígno meréri perseveránti am viæ.

633. Per perseveránti am viæ intellígimus permanéntiam in grátia usque ad mortem, seu conjunctiónem státûs grátiæ cum morte. Hòc prænotátô,

Prob. 1.° Concl. *Epist. ad Philipp.*, *c.* 2, légitur: «Deus est, qui operátur «in nobis velle, et perfícere pro bona «voluntáte,» nullâ, ut patet, mentióne de méritis nostris adhíbitâ. Ergo, secúndùm Apóstolum, sicut inítium bonæ voluntátis, seu *velle* non cadit sub mérito nostro, sed únicè à Dei voluntáte pendet; ita et *perfícere*, seu in bono usque ad mortem perseveráre.

Idem collígitur ex Concl. Trident., *Sess.* 6, *cap.* 13, docénte: «Simíliter «de perseveránti æ múnere, de quo scríp-«tum est Matth., cap. 10: *qui perseveráverit usque in finem, hic salvus erit*, quod quidem (*nota benè*) «aliúndè habéri non potest, nisi ab eo, «qui potens est eum, qui stat, statúere, «ut perseveránter stet etc.» Ex quibus sic argüere licet: Si homo posset meréri *de condígno* perseveránti am, de qua lóquimur; etsi hæc principáliter esset à Deo, non dicerétur tamen esse à solo Deo, sed étiam ab hómine per sua mérita. Ergo, etc.

634. Prob. 2.° Concl. ratióne theológicâ inníxâ doctrínæ D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 114, *art.* 9. Princípium méríti non cadit sub mérito óperis ab ipso princípio procedéntis; nihil enim potest esse suî ipsíus méritum, et præmium, tunc enim foret suî ipsíus cáusa, et efféctus, quod implicat: Atqui, si finális perseveránti æ donum cáderet sub mérito, princípium méríti cáderet sub mérito óperis ab ipso princípio procedéntis: Ergo, finális perseveránti æ donum non cadit sub mérito. Prob. min. Donum perseveránti æ consístit in divína motióne conservatíva grátiæ primùm datæ; Atqui, mótio divína ut conservatíva grátiæ se tenet ex parte princípii méríti, seu est princípium méríti: Ergo etc. Prob. min. Mótio divína ut conservatíva grátiæ est éadem entitatívè, ac prima produ-ctio grátiæ; conservátio enim rei est continuáta ejus produ-ctio: Ergo, áctio conservatíva rei non distínguitur entitatívè à prima ejus productióne, dicénte D. Thomâ, 1.ª *p.*, *q.* 114, *art.* 1.° *ad* 4^m^: «Conservátio rerum à Deo non est «per áliquam novam actiónem, sed per «continuatiónem actiónis, quæ dat es-«se... sicut étiam conservátio lúminis in «áëre est per continuátum influxum à «Sole:» Atqui, prima produ-ctio grátiæ est princípium méríti, seu, se tenet ex parte princípii méríti: Ergo, et conservátio grátiæ se tenet ex parte princípii méríti, seu, est méríti princípium. Ergo, cùm perseveránti a néquëat dari sinè grátiæ conservatióne, perseveránti a se tenet ex parte princípii méríti. Princípium áutem méríti nequit cádere sub mérito: Ergo, perseveránti a sub mérito cádere nequit.

635. Prob. 3.° Conclúsio ratióne theológicâ inníxâ huic S. Thomæ princípio ibid: Omne, quod quis merétur *de condígno*, illud infallibíliter óbtinet à

Deo, nisi per peccátum impediátur; et méritò quidem, nam quæ meréntur *de condígno*, nisi peccátum obsit, reddúntur ex justítia, cui Deus númquàm deest nec deésse potest: Atqui, si justi mereréntur *de condígno* donum perseveránti*æ*, per nullum peccátum impediréntur illud obtinére: Ergo, illud infallibíliter obtinérent à Deo. Prob. min. Peccátum, per quod justus impedítur obtinére donum perseveránti*æ*, est solùm peccátum mortále, in quo incídit, et in quo móritur: Atqui, hoc locum non habéret in justis, si mereréntur *de condígno* donum perseveránti*æ*: Ergo, per nullum peccátum etc. Probátur min. Si justi mererentur *de condígno* perseveránti*am*, mereréntur *de condígno* mori in státu grá*ti*æ; in hoc enim situm est donum perseveránti*æ*; Atqui, mori in státu grá*ti*æ, secum impórtat non mori in státu peccáti mortális, implicat enim esse simul in státu peccáti mortális, ac in státu grá*ti*æ: Ergo, si justi mereréntur *de condígno* donum perseveránti*æ*, non mereréntur in státu peccáti mortális. Indè ántem sequerétur, quòd áliquis justus non posset ita incídere in peccátum mortále, ut in eo morerétur. Ergo, omnes qui semel fuíssent justi, salvaréntur. Atqui, experiéntiâ constat, non salvari omnes, qui semel fuérunt justi; Ergo, dicéndum, quòd justi non mereréntur *de condígno* donum perseveránti*æ*.

636. Prob. 4.° Concl. Nullus à Deo mercédem merétur de condígno, quam Deus non promísit. Vid. sup. *num.* 614. Atqui, non invenítur, Deum aliquándò promisísse, quòd benè operántibus concédet in hoc sæculo perseveránti*am*: quin pótiùs monémur omnes *psalm.* 2, *v.* 11: «Servíte Dómino in timóre:» *epist.* 1.ª *ad Cor.*, *cap.* 10, *v.* 12: «Qui se exístimat stáre, vídeat, nè cadat:» *epist. ad Philipp. cap.* 2, *v.* 12: «Cùm metu, et tremóre vestram «salútem operámini: Et Christus vóluit, ut omnes, némine demptò, orent, ac petant: «Et nè nos indúcas in tentá«tiónem.» Ergo, donum perseveránti*æ* non est à Deo promíssum étiam benè operántibus: Ergo, non cadit sub mérito *de condígno*.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

637. Obj. 1.° Qui potest meréri finem, potest meréri média necessária ad illum obtinéndum: Atqui, perseveránti*a* est médium necessárium ad obtinéndam vitam ætérnam, quam homo potest meréri de condígno: Ergo, homo potest meréri *de condígno* perseveránti*am*.

Resp. Neg. Maj. universáliter sumptam. Nam prima grátia sanctíficans est necessária ad vitam ætérnam obtinéndam; et tamen primam grátiam sanctificántem nequímus meréri *de condígno*, ut díximus *num.* 622. Súfficit ergo, quòd média ad finem consequéndum necessária possímus habére, etsi non semper ea valeámus meréri; vel quia non sunt propósita nobis à Deo támquàm merces, vel quia áliud obstat.

638. Obj. 2.° Illud, quod homo óbtinet peténdò, potest cádere sub mérito habéntis grátiam: Atqui, justi peténdò perseveránti*am*, eam óbtinent, alióquin frustrà eam péterent à Deo: Ergo, perseveránti*a* potest cádere sub mérito.

Resp. Negándò maj. universáliter sumptam; non enim merémur ómnia, quæ peténdò obtinémus. Præstat audíre D. Thomam, 1.ª 2.æ *quæst.* 114, *art.* 9, *ad* 1, super hanc rem ita dicéntem: «Quòd étiam ea, quæ non merémur, «orándò impetrámus: nam et peccató«res Deus áudit peccatórum véniam pe«téntes, quam non meréntur, ut patet

«per Augustínum Tract. 44 in Joán. «super illud Joàn., c. 9, v. 31. Scímus «quia peccatóres Deus non áudit; alió-«quin frustrà dixísset Publicánus: Deus «propítius esto mihi peccatóri: ut díci-«tur Luc., c. 18, v. 13. Et simíliter «perseverántiæ donum áliquis peténdô à «Deo ímpetrat, vel sibi, vel álii, quám-«vis sub mérito non cadat:» áliud est enim meréri, áliud impetráre: méritum enim innítitur justítiæ; impetrátio verò misericórdiæ, ut patet ex D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 83, *art.* 16. Ac ibídem ad 1.m super illa verba: «Scímus quòd «peccatóres Deus non áudit,» ait: «Si-«cut Augustínus dicit súper Joán. Tract. «44: illud verbum est cæci adhuc inúnc-«ti, id est, nondùm perféctè illumináti; «et ídeò non est ratum: quámvìs pos-«sit verificári de peccatóre, in quan-«tùm est peccátor, (*id est, in quantùm «orat secúndùm desidérium peccáti*): «per quem étiam modum orátio ejus dí-«citur execrábilis.»

639. Schólion. Pro corónide hujus matériæ, relátè ad bona temporália áddimus cum D. Thom., 1.ª 2.æ *quæst.* 114, *art.* 10. «Quòd si temporália bo-«na consideréntur, prout sunt utília ad «ópera virtútum, quibûs pérdúcimur in «vitam ætérnam; secúndùm hoc diréc-«tè, et simplíciter cadunt sub mérito, «sicut et augméntum grátiæ, et ómnia «illa, quibûs homo adjuvátur ad perve-«niéndum in beatitúdinem post primam «grátiam. Tantum enim dat Deus viris «justis de bonis temporálibus, étiam de «malis, quantum eis éxpedit ad perve-«niéndum ad vitam ætérnam: et in tan-«tùm sunt simplíciter bona hujúsmodi «temporália. Undè dícitur in Psalm. 33, «v. 11: Inquiréntes áutem Dóminum «non minuéntur omni bono: et Psalm. «36, v. 25: Non vidi justum derelíctum «etc. etc.

«Si áutem consideréntur hujúsmodi «temporália bona secúndùm se, sic non «sunt simplíciter bona hóminis, sed se-«cúndùm quid: et ita non simplíciter «cadunt sub mérito, sed secúndùm quid: «in quantùm scílicet, hómines movéntur «à Deo ad áliqua temporáliter agénda, «in quibus suum propósitum consequún-«tur, Deô favénte; ut sicut vita ætérna «est simplíciter præmium óperum jus-«títiæ per relatiónem ad motiónem di-«vínam; ita temporália bona in se con-«sideráta hábeant ratiónem mercédis, «hábitô respéctû ad motiónem divínam, «quâ voluntátes hóminum movéntur ad «hæc prosequénda.»

FINIS DE PERTINÉNTIBUS AD PRIMAM SECÚNDÆ SUMMÆ ANGÉLICI PRÆCEPTORIS.

TRACTÁTUS

DE QUÆSTIÓNIBUS PRÆCÍPUIS AD SECÚNDAM SECÚNDÆ

SUMMÆ ANGÉLICI PRÆCEPTÓRIS SPECTÁNTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

DE VIRTÚTIBUS THEOLÓGICIS.

640. Virtútes theológicæ appellántur illæ, quæ immediátè Deum respíciunt, prout Deus humánam, et naturálem súperat cognitiónem. Et proptéreà hujúsmodi virtútes, non nostrîs acquirúntur áctibûs, sed à Deo solo infundúntur : earúmque notítia, non humánô ratiocíniô, sed Sacræ Revelatiónis magistériô comparátur, et hóminem christiánum à non christiáno discérnunt.

Tres áutem hujúsmodi virtútes numerántur : Fides vidélicet, Spes, et Cháritas. Has ergo investigándas cum S. Thoma suscípimus, de præcípuis quæstiónibus, quæ circa eas agitári solent, sermónem instituéntes.

§ I.

De Fide.

641. Fides váriè sumi potest. Primò, pro fidelitáte in promíssis servánda, ut *epist. ad Rom.*, *cap.* 3. Secúndò, pro consciéntia, ut *ibid. cap.* 5. Tértiò, pro fidúcia, ut *epist. Jacób.*, *cap.* 1. Quartò, pro veracitáte, seu, inclinatióne dicéndi verum, ut Hierem., *cap.* 7. Quintò, pro ipsa Doctrína, et Objéctô Fidei, ut *Act. Apost.*, *cap.* 6. Sextò, pro virtúte supernaturáli; quâ crédimus veritátes à Deo revelátas, et quæ ab Apóstolo, *epist. ad Hebr.*, *cap.* 11, de-

finítur : *Sperandárum substántia rerum, arguméntum non apparéntium :* et de Fide hôc últimô sensû accéptâ pertractámus.

Actúri de fídei objécto, præmíttimus primô, in omni poténtia, vel hábitû, triplex distíngui objéctum, materiále scílicet, formále *quod*, et formále *quo*, seu, *sub quo*. Vid. dicta *tom.* 2, hujus óperis *num.* 19. Objéctum materiále est id omne, circa quod versátur poténtia, vel hábitus : Objéctum formále *quod*, est id, quod per se, et ratióne suî attíngitur, et ratióne cujûs cætera attingúntur. Objéctum formále *quo*, seu, *sub quo*, est id, quô mediánte, objéctum formále *quod* attíngitur. Exémplum poni solet in poténtia visíva. Objéctum materiále sunt omnes res visíbiles : formále *quod*, est color : formále *quo*, seu, *sub quo*, lux.

Præmíttimus secúndô, tríplicem in Deo distíngui veritátem, vidélicet, in esséndo ; in cognoscéndo ; et in dicéndo. Véritas in esséndo est ipsa Dei essántia, quâ verus Deus est, et á falsis Díis distínctus. Véritas in cognoscéndo est infínita Dei sapiéntia, quâ cognóscit ómnia, prout sunt. Véritas in dicéndo est summa Dei propénsio ad dicéndum verum ; et dícitur verácitas ; quâ fit, ut néminem fállere, nec velit, nec possit ; sicut ratióne infinítæ sapiéntiæ ipse falli non potest. His præmíssis, sit

I. CONCLÚSIO.

Objéctum formále quod Fidei est prima véritas in esséndo, seu Deus ipse, ut ratiónem naturálem excédens.

642. Prob. Concl. Objéctum *formále quod* alicújus hábitûs, est, ut num. præcedénti adnotávimus, id, quod principáliter ab eo attíngitur, et ratióne cujûs cætera ab eo attingúntur. Sic sánitas est objéctum *formále quod* Medicínæ, quia principáliter à Medicína attíngitur, et ejus ratióne cætera, vidélicet, pulsus, urína, respirátio, medicámina etc., considerántur ; Atqui, prima Véritas in esséndo, seu Deus, ut verus Deus ratiónem naturálem excédens, est id, quod principáliter à Fide attíngitur, cætera áutem, quæ cadunt sub fide, attingúntur in órdine ad Deum sic considerátum, nam, ut ait D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 1, *art.* 1, *ad* 1 : «Ea, quæ pértinent ad humanitátem Christi, et ad «sacraménta Ecclésiæ, vel ad quascúmque creatúras cadunt sub fide, in quantùm per hæc ordinámur ad Deum, et «eis étiam assentímus propter divínam «veritátem. Et simíliter dicéndum est «de ómnibus illis, quæ in sacra Scriptúra tradúntur,» addit *ibid. ad* 2, id. S. Dr. Ergo, objéctum *formále quod* Fídei, est prima véritas in esséndo, seu Deus ipse, ut ratiónem naturálem excédens, áliàs, si Deus sic non considerarétur, esset objéctum ratiónis naturális, et non fídei.

II. CONCLÚSIO.

Objéctum formále quo, seu sub quo, vel ut álii loquúntur, rátio formális sub qua Fidei, est prima Véritas in dicéndo, seu divina verácitas revélans, cónnotans infinítam Dei sapiéntiam, et bonitátem.

643. Prob. 1.ª pars Concl. Objéctum *formále quo* fídei in commúni, est verácitas dicéntis ; in hoc enim distínguitur assénsus fídei ab assénsu scientífico, quòd motívum assénsûs fídei sit auctóritas dicéntis ; motívum áutem assénsûs scientífici sit véritas princípii, ex

quo elícitur conclúsio: Ergo, objéctum *sub quo* Fídei divínæ, est verácitas Divína revélans. Hinc S. Páulus, ut indúceret Gálatas ad firmiter credéndum Evangélio, quod eis prædicábat, ait c. 1, v. 12: «Neque enim ego ab hómine «accépi illud, neque dídici, sed per re«velatiónem Jesu Christi.» Simíliter S. Joán. intendébat hómines indúcere ad credéndum, Christum esse Fílium Dei, quia hoc Deus testificátur; undè *epist.* 1.ª, c. 5, v. 9, ajébat: «Si testimó«nium hóminum accípimus, testimó«nium Dei majus est.» Christus étiam, ut movéret Pharisæos ad credéndum, se esse Fílium Dei, *Joán.*, c. 8, v. 18, ipsis ajébat: «Testimónium pérhibet de «me, qui misit me, Pater.» Ergo, objéctum *formále quo* etc.

644. Prob. 2.ª pars Concl. Fides divína est certa, et infallíbilis: Ergo, innîti debet motívo infallíbili: Atqui, verácitas divína revélans est infallíbilis, quátenùs cónnotat, seu innítitur infinítæ Dei sapiéntiæ, et bonitáti: Prob. hæc Minor. Ut verácitas divína revélans sit infallíbilis, non súfficit, quòd fállere non possit ex malítia; et hoc pértinet ad ejus bonitátem; sed ultériùs requíritur, quòd étiam fállere non possit ex ignorántia; adeóque requíritur quòd Deus ipse falli non possit in cognoscéndo: Atqui, quòd Deus falli non possit in cognoscéndo, próvenit ex ejus infiníta sapiéntia, quâ cognóscit sinè ulla falsitátis admixtióne ómnia, prout reáliter se habent: Ergo, objéctum *formále quo, seu sub quo*, Fídei, est prima Véritas in dicéndo, seu divína verácitas revélans, cónnotans infinítam Dei sapiéntiam, et bonitátem.

III. CONCLÚSIO.

Objéctum materiále, et adæquátum fídei, est omne revelátum à Deo; primáriò quidem Deus ipse, cætera verò secundáriò.

645. Prob. Conclús. Objéctum materiále, et adæquátum, alicújus poténtiæ, vel hábitûs, est id omne, quod poténtia, vel hábitus potest attíngere, ut subest suo objécto formáli *sub quo*: Sic omne corpus colorátum est objéctum materiále, et adæquátum, poténtiæ visívæ, quia poténtia visíva potest attíngere omne colorátum, ut subest luci, quæ est rátio formális *sub qua* poténtiæ visívæ, seu sub qua, poténtia visíva potest omne colorátum attíngere: Atqui, Fides attíngit omne revelátum, ut subest veracitáti Dei reveláutis, quæ, ut díximus Conclusióne præcedéntî, est objéctum formále *sub quo* fídei; Deum tamen fides attíngit primáriò, cætera verò secundáriò, ut Conclusióne primâ osténdimus. Ergo, etc. Undè S. Thomas, 2.ª 2.æ *quæst.* 1, *art.* 1, ait: «Si verò «considerémus materiáliter ea, quibus «fides asséntit, non solùm est ipse Deus, «sed étiam multaália, quæ tamen sub «assénsu fídei non cadunt, nisi secún«dùm quòd habent áliquem órdinem ad «Deum.» Et *quæst.* 14, *de Veritate*, *art.* 8, ait idem S. Doctor: «Véritas «áutem divínæ cognitiónis hôc modô se «habet, quòd primò, et principáliter est «ipsíus rei increátæ, creaturárum verò «quodâmmodò consequénter; in quan«tùm quidem cognoscéndò se ipsum, «ómniaália cognóscit. Et ita fides quæ «hóminem divínæ cognitióni conjúngit «per assénsum, ipsum Deum habet, si«cut principále objéctum:ália verò quæ«cúmque, sicut consequénter adjúncta.»

646. Corollárium. Ex dictis Conclusióne secúndâ, *num.* 643, liquet, fídei, nec per se, nec per áccidens, posse subésse falsum. Et quidem non per se, nam, ut ait D. Thomas, 2.ª 2.æ *quæst.* 1, *art.* 3, «nihil subest álicui poténtiæ, «vel habítui, aut étiam áctui, nisi me- «diánte ratióne formálî objécti: sicut «color vidéri non potest nisi per lucem; «et conclúsio scíri non potest, nisi per «médium demonstratiónis: dictum est «áutem (*vid. num.* 643) quòd rátio for- «mális objécti fídei, est véritas prima: un- «dè nihil potest cádere sub fide, nisi in «quántùm stat sub veritáte prima, sub «qua nullum falsum stáre potest, sicut «nec non ens sub ente, nec malum sub «bonitáte. Undè relínquitur, quòd fídei «non potest subésse áliquod falsum.» Ex quibus patet, quòd fídei nec per áccidens potest subésse falsum: ex allàta enim S. Thomæ doctrínâ sic argüimus. Nullus hábitus potest étiam per áccidens attíngere ut objéctum materiále, id quod nullò modò cadit sub ejus ratióne formálî; sicut nulla cáusa potest, adhuc per áccidens, influére in efféctum, qui nullò modò contineátur sub sphæra suæ causalitátis: Atqui, nullum falsum potest cádere sub ratióne formáli fídei divínæ: hæc enim formális rátio fídei est divínum testimónium, seu, divína revelátio, sub qua id solùm cádere potest, quod potest esse à Deo revelátum: à Deo áutem, qui est prima véritas in dicéndo, nihil falsum potest esse revelátum: Ergo, nec per áccidens fídei potest subésse falsum.

—

§ II.

An última resolútio assénsûs fídei, únicè fiat in divínum Testimónium: an verò in áliquid áliud?

647. Manichæi, referénte S. Augustínô, *lib. de Utilit. credéndi*, *cap.* 1, docébant, superstitiósum essè áliquid crédere, nisi rátio suáserit. Hunc errórem excitásse vidétur Petrus Abäilárdus, qui, ut narrat S. Bernar, *epist.* 190: «Fidem «definit, æstimatiónem, quasi cuique in «ea sentíre, et loqui, quæ líbeat, lí- «ceat.» Ex hoc impúro fonte bibunt ímpii nostri ævi Novatóres, qui in his, quæ sunt fídei, séntiunt, et loquúntur, quemádmodùm ipsis líbet. Secúndùm hos, ut patet, última resolútio assensûs fídei únicè debet fíeri in humánum ratiocínium. Contra quos sit

I. CONCLÚSIO.

Ultima fídei nostræ resolútio nequit fíeri in humánum ratiocínium.

648. Prob. 1.° ex illo *epist.* 1.æ *ad Cor.*, *c.* 2, *v.* 4: ubi Páulus ait: «Et sermo meus, et prædicátio «mea, non in persuasibílibus humánæ sa- «piéntiæ verbîs, sed in ostensióne spíri- «tûs et virtútis: ut fides vestra non sit «in sapiéntia hóminum, sed in virtúte «Dei, quam nemo Príncipum hujus sæ- «culi cognóvit etc.:» Atqui, si última resolútio assénsûs fídei fíeri posset in humánum ratiocínium, fides nostra inniterétur in sapiéntia hóminum, et in virtúte, quam Príncipes hujus sæculi, id est Philósophi, cognóscere valérent: Ergo, última resolútio etc.

649. Prob. 2.° ex eódem Apóstolo, *epist.* 2.ª *ad Cor.*, *c.* 10, *v.* 5, docén-

te, fidéles tales esse futúros, ut in captívitátem rédigant «omnem intelléctum «in obséquium Christi:» Atqui, nulla esset captívitas intelléctûs in obséquium Christi, si fidéles tantùm crédere debérent illa, ad quæ credénda, ratióne naturâlî moveréntur, quod contíngeret, si última resolútio assénsûs fídei fíeret in humánum ratiocínium: Ergo, última resolútio assénsûs fídei, in humánum ratiocínium fíeri nequit.

650. Prob. 3.° ex SS. Patribus. Unum locò ómnium sufficiet addúcere S. Augustínum, qui *Serm.* 139, *de Verb. Dómini*, *cap.* 1, dissértè ait: «Fides debet præcédere intelléctum, ut «sit intelléctus fídei præmium. Prophé«ta enim (*Isáias*, *c.* 7 *v.* 9,) apertíssimè «dixit: Nisi credidéritis, non intelligé«tis.» Leg. ipse S. Aug. *epist.* 118, *c.* 5. Ergo, si fides debet præcédere intelléctum, última resolútio assénsûs fídei in humánum ratiocínium fíeri nequit.

651. Schólion. Ex dictis nemo inferat, fídem esse ratióni inimícam, ádeò ut non permíttat ratióne quoque examinári ea, quæ Fides dictat. Solùm áutem vult, quòd rátio naturâlis non sit dómina, sed ancílla, et pedíssequa; non præemíneat, et ímperet, sed súbdita sit, et obédiat; non cáuset, sed recípiat assénsum ad ea, quæ sunt Fídei. Fides, estò sit supra ratiónem, ratióni tamen non contrariátur, quia verum non contrariátur vero. (*Vid. Tom.* 1, hujus Óperis *num.* 30); hinc fit, quòd quámvis ea, quæ Fides dictat, non ví ratiónis, sed auctoritáte dicéntis credénda sint; pátitur tamen, ut per ratiónem ostendátur, eam ratióni naturáli non repugnáre; et sic arguméntô negatívô Fides ipsa confirmétur. Vid. D. Thom., 1.ª *Part.*, *quæst.* 1.ª, *art.* 5, *ad* 2.

In hoc negótio nonnúlli hallucinántur non distingüéntes inter ea, quæ sunt Fídei, et inter ea, quæ motíva credibilitátis appellántur. Hæc motíva rátio útique potest expéndere, et ponderáre, anté-quàm Fides habeátur, et quidem eò pertíngere, ut cognóscat revelátum esse evidénter credíbile; númquàm tamen rátio sibi súfficit, ut his, quæ sunt Fídei, asséntiat: Fides enim donum Dei est, ut inquit Apóstolus. Vid. *Tom.* 1, hujus Operis, *à num.* 35 *ad* 38.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

652. Obj. 1.° cum Abäilárdo: Eccli. *c.* 19, *v.* 4, légitur: «Qui credit citò, «levis corde est.» Ergo nihil crédere debémus, nisi priùs rátio in exámen revocáverit, ac detéxerit illud esse credéndum. Ita étiam árgüunt, qui pro Religióne amplecténda liberum ratiónis exámen ducunt esse necessárium.

Resp. Dist. antecéd. Qui citò credit alícui, qui falli, vel fállere potest, levis est corde, concéd.: qui citò credit ei, qui nec falli, nec fállere potest, levis est corde, neg. Sensus ergo litterális verbórum Ecclesiástici est, hómini, qui fállere potest et falli, non citò credéndum; sed prius explorándam qüalitátem persónæ quæ lóquitur: si áutem certò constet, ut juxta quæ díximus *Tom.* 1 hujus Operis, *num.* 36, constáre potest per motíva credibilitátis, Deum esse, qui lóquitur, ádeò abest, quòd levis sit corde qui citò ipsi credit, ut levis sit corde, ac imprúdens, qui citò ipsi non credit, cùm ómnium ánimis ínsitum sit, Deum nec falli, nec fállere posse.

653. Obj. 2.° B. Virgo non citò crédidit Ángelo sibi à Deo misso, ad mystérium Incarnatiónis revelándum, nam, ut habétur Luc., *c.* 1, *v.* 29 «Cogitábat, qüalis esset ista salutátio.»

Rursùs: *Epist.* 1 *ad Thessal.*, *c.* 5, *v.* 21, præcípitur: «Ómnia áutem pro-

«báte; quod bonum est, tenéte.» Et *Epist.* 1. *Joán.*, *c.* 4, *v.* 1: «Probáte «spíritus, si ex Deo sint.» Ergo, última resolútio Fídei nostræ fíeri debet in humánum ratiocínium.

Resp. ad primum: B. Vírginem prudénter quidem examinásse, qüalis esset illa salutátio; quia primò aspéctû dubitáre póterat, an qui loquebátur esset verus, aut ementítus Dei núntius: verùm státim ac cognóvit, verbum Ángeli esse verbum Dei, ábsque hæsitatióne, et ulteriórî exámine credens, inquit (*v.* 38): «Ecce Ancílla Dómini, fiat mihi «secúndùm verbum tuum.» Quaprópter, nec cítiùs, nec tárdiùs crédidit, quàm opórtuit. Et ídeò fides ejus ab Elisabéth commendátur Luc., *cap.* 1, *v.* 45; «Beáta, quæ credidísti.»

654. Ad álios áutem textus, qui objiciúntur, simíliter respondémus, non omni spirítui státim credéndum, sed probándos esse spíritus, si ex Deo sint; ast verò, quandò propónitur nobis áliquid credéndum, quod Ecclésia Cathólica tenet támquàm de fide credéndum, tunc jam certò constat esse à spíritu Dei revelátum. Vid. *Tom.* 1 hujus Óper., *à num.* 95, *usque ad* 114. Sed quandò áliqui sese Prophétas Dei vendicántes, áliquid ex parte Dei nobis núntiant præter tráditam ab Apóstolis doctrínam, et ab Ecclésia probátam, ut Novatóres fáciunt, ab his útique sunt exigénda suæ prætensæ divínæ missiónis indícia, et signa; nempè, vel mirácula, vel secretórum penetrátio, vel áliud signum índicans, eos ex spíritu Dei loqui; et de his loquebántur Páulus, et Joánnes in argumento citáti.

655. Lutheráni, et Calvinístæ ásserunt últimam resolutiónem fídei nostræ, tam quoad propositiónem credendórum, quàm quoad assénsum rebus támquàm de fide propósitis, in solam sacram Scriptúram fíeri debére. Contra quos sit

II. CONCLÚSIO.

Ultima fídei resolútio nequit fíeri in solam sacram Scriptúram.

656. Non diù morábimur in adducéndis hujúsce Conclusiónis arguméntis, cùm *Tom.* 1 huj. Óper., tum *num.* 18, tum *num.* 109, nonnúlla sint prælibáta, quæ præséntem Conclusiónem satis abúndè confírmant. Nihilóminùs, nè hoc in loco sua pro Tyrónibus desit probátio, addéndum dúcimus.

Prob. Concl. Resolútio última fídei debet fíeri in régulam certíssimam, infallíbilem, et de qua nemo possit dubitáre; si enim de régula fídei quis dubitáre posset, posset étiam dubitáre de fide: Atqui, qui conténdunt, últimam resolutiónem fídei in solam sacram Scriptúram esse faciéndam, non assignant régulam certíssimam, infallíbilem, et de qua nemo possit dubitáre: Ergo, etc. Prob. Min. Estò certum sit, sacram Scriptúram veré talem, esse verbum Dei; ipsa tamen Scriptúra non dicit, quinam libri sint verè Canónici, ac verum Dei verbum contíncant: Ergo, ex sacra Scriptúra solá certitúdinem habére non póssumus, quinam sint ejus libri, qui nos movére váleant ad assentiéndum fide divínâ. Ipsi Lutheráni, ac Calvinístæ hujus rei fidem fáciunt, expúngunt enim à verbo Dei libros Tobíæ, Judith, Sapiéntiæ, Ecclesiástici, ac Machabæórum. Imò ex libris Canónicis, quos recípiunt, nedum plures versus, sed étiam plura cápita explódunt: ut ex cap. 3, libri Daniélis, totum Cánticum trium puerórum: ejúsdem libri cápita 13 et 14 íntegra, continéntia histórias Susánnæ, Dracónis Beli, cárceris Daniélis, et

translatiónis Habacúc Prophétæ in lacum leónum, ut Daniéli cibum afférret. Ergo, ex sola sacra Scriptúra non potest certò, et omnî dubietáte sepósitâ, státui quodnam sit verbum Dei revelátum : Ergo, última Fídei resolútio nequit fíeri in solam sacram Scriptúram, ut conténdunt hærétici.

657. Quidam tamen Lutheráni conténdunt, régulam discerníndi reveláta et credénda à non revelátis, et non credéndis fide divínâ, movéntem ad assénsum, vel dissénsum, non esse Sacram Scriptúram, sed spíritum particulárem, et privátum, quem ipsi fingunt, et spíritum discretiónis vocant. Hunc spíritum privátum dicunt esse intérnum Spíritûs Sancti motum, ita cuílibet assisténtem, ut qui piò, et humilî corde ad Scriptúræ meditatiónem accédat, erráre non possit in discerníndo, quid sit, quid verò non sit credéndum. Ipsi rem sic éxplicant, dicéntes, Sacram Scriptúram esse Solem splendidíssimum, undequáque rádios diffundéntem, et seipsum manifestántem, ac ínsuper quémlibet hóminem privátum óculos suos piè ad ipsam converténtem, sufficiens lumen habére, ad ejus verum sensum penetrándum. Vid. *Tom.* 1 hujus Óperis, *pag.* 177. Secúndùm hos ergo, última Fídei resolútio fit in spíritum, quem ipsi vocant, privátum. Contra quos sit

III. CONCLÚSIO.

Commentítius est spíritus privátus, quem suppónunt hærétici, adeóque in ipsum nequit fieri última Fídei resolútio.

658. Prob. Concl. 1.° Præter ea, quæ in hanc rem scripsimus *Tom.* 1.° hujus Óperis, *num.* 110, sic argüimus: Si adésset spíritus privátus, quem conténdunt hærétici, id ex revelatióne constáret: Atqui, ex revelatióne non constat: Ergo, commentítius etc. Prob. Maj. Quæ ex sola Dei voluntáte provéniunt supra omne débitum creatúræ, nobis innotéscere non possunt nisi ex revelatióne, per quam Dei volúntas innotéscit: Atqui, si adésset spíritus privátus, quem dicunt hærétici, pendéret ex sola Dei voluntáte supra omne débitum creatúræ: Ergo, si adésset, ex revelatióne constáret. Atqui, ex revelatióne non constat: Prob. Min: peténdô ab ipsis Adversáriis, ut assígnent textum, vel locum, undè constet à Deo promíssum Spíritum Sanctum cuíque piè Scriptúras legénti, étiam sutóri indócto, gárrulæ muliérculæ, aliísque idiótis, eis spéciáliter assisténtem, nè errent in discerníndis iis, quæ fídei sunt. Próferant, dícimus, et tacébimus. Cùm áutem ullum nec próferant, nec proférre possint; commentítium esse hujúsmodi spíritum privátum, nobíscum sentíre debent.

Nos non prætérit, hæréticos áliquos congérere textus, in quibus ipsis vidétur, Deum hunc spíritum privátum promisísse. Verùm óppidò hallucinántur, ut vidére licet *Tom.* 1, hujus Óperis, *num.* 113, per totum.

659. Prob. 2.° Concl. Luc., *c.* 22, *v.* 32, Christus légitur dixísse ad Petrum: «Ego áutem rogávi pro te, ut «non defíciat fides tua: et tu aliquándò «convérsus confirma fratres tuos:» Ex quibus duplex efformámus arguméntum. Primum: Si Spíritus Sanctus cuílibet assisteret ad discerníndum ea, quæ sunt Fídei, et ad adhæréndum ipsis, Christus non rogásset pro Petro, et pro Petro solo, ut non defíceret Fides ejus: hoc síquidem donum secúndùm Adversários, jam erat Petro concéssum, nec concéssum ipsi soli, sed ómnibus, semel ac óculos suos ad Solem splendidíssimum

Scriptúræ, seu revelatiónis convertíssent: Ergo, cùm nec suspicári líceat, oratiónem Christi pro Petro fuísse supervacáneam; dicéndum, commentítium esse spíritum privátum, quem hærétici propúgnant. Secúndùm argumèntum. Christus injúnxit Petro: «et tu aliquán«dò convérsus confírma fratres tuos;» útique in Fide, ut patet ex contéxtu: Ergo, fratres Petri, seu álii à Petro, egébant in Fide confirmári: Atqui, non egüíssent confirmári in Fide, si unusquísque posset suô spíritû privátô discérnere sinè erróre ea, quæ sunt Fídei: Ergo, commentítius est hujúsmodi spíritus privátus ad discernéndum ea, quæ sunt Fídei.

660. Prob. 3.° Pósitô hôcce spíritû privátô, támquàm régulâ Fídei discretívâ credendórum à non credéndis; ampla aperítur via schismátibus, et hærésibus, et omnis præclúditur via pro iis extirpándis. Si enim unus affírmet, Scriptúram ita, et in hoc sensu loqui; alter affírmet oppósitum, et utérque dicat, se ita à Spíritu Sancto intériùs sibi assistènte accípere; nullus, ut patet, póterit eos à sua senténtia removére: nulla ergo erit via ad schismáta, et hæréses extingüéndas. Spíritus áutem Dei ducit ad unitátem Fídei; Ergo, Spíritus privátus hæreticórum, cùm ducat ad unitátem Fídei destruéndam, nequit esse spíritus Dei, adeóque commentítius est.

661. Prob. tandem Concl. Si darétur hic spíritus privátus, quem fingunt hærétici, Deus régeret Ecclésiam per spíritum intérnum. Id áutem est prorsùs aliénum à regímine Ecclèsiæ, quod Christus præscrípsit, máximè Joán., c. 21, ubi Petro ter dixit: «Pasce agnos, «pasce oves meas:» agni ergo, et oves, id est, omnes fidéles, extériùs pasci debent à Petro in doctrína, et Fide. Hoc áutem régimen extérius supervacáneum esset, si quílibet ex Christiánis, et quælibet ex ejus óvibus solô intérnô Spíritûs Sancti motû regerétur. Supervacáneum áutem dici nequit, régimen extérius Ecclésiæ à Christo Dômino institútum: Ergo, pótiùs dicéndum commentítium esse spíritum privátum, quem conténdunt hærétici.

Et revérà: forma regíminis Ecclésiæ non est ea, quam Sectárii confíngunt, sed quam descrípsit Páulus, *Epist. ad Ephes.*, *c.* 4, ubi póstquàm dixit, *v.* 4, quòd sumus «unum corpus, et unus «spíritus,» et *v.* 7, quòd «unicuíque «data est grátia secúndùm mensúram «donatiónis Christi;» explicans, quænam sit hæc mensúra, *v.* 11, 12 *et* 13, ait: «Et ipse *Deus*) dedit quosdam qui«dem Apóstolos, quosdam áutem Pro«phétas, álios vero Evangelístas, álios «áutem Pastóres, et Doctóres, ad con«summatiónem Sanctórum in opus minis«térii, in ædificatiónem córporis Christi: «donec occurrámus omnes in unitátem «Fídei, et agnitiónis Fídei Dei in virum «perféctum etc.» Hæc áutem, ut patet, conciliárinon possunt cum spíritu privá«to, quô solô regántur fidéles, ut bláterant hærétici: Ergo, hic spíritus eórum privátus, támquàm quid commentítium, est prorsùs irridéndus.

Quæstio prætéreà agitátur inter ipsos Doctóres Cathólicos, aliquibûs volénti-bûs, últimam resolutiónem fídei fieri in divínum testimónium, et in propositiónem Ecclésiæ: ita ut, hæc sit cáusa, saltèm partiális, influens in assénsum ad ea, quæ sunt fídei. Cùm communiòri tamen, et ut nobis vidétur, veriôrî senténtiâ, sit

IV. CONCLÚSIO.

Última resolútio fidei divínæ non fit, adhuc ut in cáusam partiálem, in propositiónem Ecclésiæ, sed únicè fit in divínum testimónium.

662. Probat. 1.° Conclús. Última resolútio assénsûs fídei divínæ ut in cáusam, debet únicè fíeri in id, quod est rátio formális movens ad assénsum ad ea, quæ sunt fídei: Atqui, ratio formális movens ad hujúsmodi assénsum, est únicè testimónium, et auctóritas divína, non áutem testimónium, sivè, auctóritas Ecclésiæ, adhuc partiáliter: Ergo, etc. Prob. min. Rátio formális credéndi est únicè prima Véritas in revelándo. Vid. sup. *num.* 643 *et* 644. Ergo, etc.

663. Prob. 2.° Conclús. Motívum formále credéndi ea, quæ sunt fídei, debet esse adæquátè increátum, et divínum, non mixtum ex increáto, et creáto; áliàs fides nostra non esset adæquátè divina, si crederémus non únicè propter veracitátem, et auctoritátem Dei, sed étiam propter veracitátem, et auctoritátem Ecclésiæ, quæ est creatúra: Atqui, si rátio formális credéndi constáret ex auctoritáte divínâ, et ex auctoritáte Ecclésiæ, jam rátio formális fídei esset mixta ex increáto, et creáto: Ergo, etc. Hinc S. Páulus, *epist.* 1.ª *ad Thessal.*, *cap.* 2, *v.* 13, inquit: «Grá«tias ágimus Deo, sinè intermissióne: «quóniam cùm accepissétis à nobis ver«bum auditûs Dei, accèpistis illud, non «ut verbum hóminum, sed (sicut est ve«rè) verbum Dei, qui operátur in vobis, «qui credidístis:» Ergo, solum verbum Dei est, quod operátur in nobis fidem, seu, quod movet nos ad credéndum. Ergo, etc.

664. Vim hujus argumènti quidam elúdere conténdunt dicéntes, quòd cùm testimónium Ecclésiæ gáudeat infallibilitáte ob assisténtiam infallíbilem Spíritûs Sancti, qui ei semper adest, ne in suis definitiónibus erret, testimónium Ecclésiæ habéndum est ut divínum; adeóque etsi dicátur in assénsum Fídei influére, non potest tamen dici Fidem adhuc partiáliter testimóniô creátô humánô inníti.

Verùm, missîs áliîs, quæ in médium afférre possémus; Adversários nobíscum sentíre cógimus hocce discúrsu. Ipsi dicunt, resolutiónem Fídei nostræ fíeri in auctoritátem Ecclésiæ, tantùm propter divínam assisténtiam Spíritûs Sancti illi promíssam, et concéssam: Ergo, étiam juxta ipsos última resolútio Fídei nostræ in divínam auctoritátem, seu testimónium fíeri debet.

Quod tandem in nostræ Conclusiónis confirmatiónem osténdimus hôc palmárî, et brevíssimô argumèntô. Ejúsdem speciéi est Fides nostra, ac Fides Prophetárum, ac Apostolórum: Ergo, última resolútio Fídei nostræ fíeri debet in id, in quod eórum Fides resolvebátur: Atqui, illórum Fides únicè resolvebátur in testimónium Dei, nullô áutem modô in propositiónem Ecclésiæ, quæ ipsis nihil proponébat, sed immediátè à Deo edocebántur: Ergo, última resolútio Fídei nostræ étiam únicè fit in testimónium divínum.

665. Magnóperè est adverténdum, quòd estô última resolútio nostræ Fídei fíeri non débeat in auctoritátem Ecclésiæ, támquàm in motívum formále, ob quod crédimus revelátis; áttamen auctóritas Ecclésiæ, ejúsque testimónium est signum certum, et infallíbile, quô judicáre póssumus, ac tenémur hoc, quod illa nobis propónit ut verbum Dei, revérà esse verbum Dei; ádeò ut, qui

discréderet Ecclésiæ tália proponénti, habéndus esset, testimóniò Christi, apud Matth., támquàm Éthnicus, et Publicánus. Vid. D. Aug., *lib.* 1 *contra Crescon.*, *c.* 33.

SOLVÚNTUR OBJECTIÓNES.

666. Obj. 1.° S. August., *lib. contra epist. Fundaménti*, *c.* 5, ajébat: «Ego Evangélio non créderem, nisi me «Ecclésiæ Cathólicæ commovéret auctó-«ritas:» Ergo, auctóritas Ecclésiæ est quæ movet ad credéndum: Ergo, última resolútio Fídei nostræ, in auctoritátem Ecclésiæ fieri debet.

Resp. Dist. Anteced. Secúndùm Augustínum, auctóritas Ecclésiæ movet ad credéndum, ut cáusans assénsum Fídei, neg.; ut signum certum, et infallíbile, quò judicámus esse verè revelátum, quod ipsa ut revelátum propónit, concéd. Profectò, Augustíni mens erat in relátis verbis, auctoritátem Ecclésiæ esse quidem conditiónem, sinè qua ipse non cognovísset certò Evangélium, quod sibi proponebátur, esse revéra Evangélium Christi: undè auctóritas Ecclésiæ erat Augustíno, sicut et nobis, signum ex quo certi réddimur, illud esse verè Evangélium Christi, quod ut tale Ecclésia propónit. Id hoc sensibilî exémplò osténdimus. Ex sigíllo, quò diplóma áliquod Régium obsignátur, cognóscimus, diplóma esse Régium: sic páriter cognóscimus, mandátum áliquod esse Régium, ex eo quòd illud ad nos voce Minístri Regis pérvenit: et tamen nec propter sigíllum, nec propter Minístrum, sed únicè propter Régiam auctoritátem diplómati, vel Régio Edícto parémus.

667. Obj 2.° Illud undè íncipit res, dícitur esse princípium, et fundaméntum, in quod res illa últimò resólvitur: Atqui, Fides nostra íncipit ab Ecclésiæ doctrína, et prædicatióne: Ergo, ipsa est fundaméntum, et princípium, in quod Fides nostra est resolvénda. Undè Ecclésia ab Apóstolo, *epist.* 1.ª *ad Timoth.*, *cap.* 3, *v.* 15, vocátur: «Colúmna, et firmaméntum veritá-«tis.»

Resp. Dist. Maj. Illud, undè íncipit res primò, per se, et ex natúra rei, dícitur princípium, et fundaméntum, in quod illa res últimò resólvitur, conc.; illud, undè íncipit res tantùm ex conditióne subjécti, dícitur princípium, et fundaméntum, in quod res illa últimò resólvitur, neg.; explicátur solútio. Quòd Fides nostra incípiat à propositióne Ecclésiæ, non est per se, et ex natúra fídei; nam Prophétæ, et Apóstoli fidem habúerunt de revelátis, ábsque ulla Ecclésiæ propositióne; quòd áutem in nobis Fides sit ex propositióne Ecclésiæ, id évenit ex conditióne nostra; cùm enim nobis immediátè revelátio non fiat, sicut facta fuit Prophétis, et Apóstolis, ut certò sciámus quid sit, quid verò non sit, revelátum à Deo, ad testimónium Ecclésiæ, quod scímus esse infallíbile, confúgere debémus.

CAPUT II.

DE HÁBITU FÍDEI, AC DE IPSÍUS CONDITIÓNIBUS.

§ I.

De definitióne Fidei.

668. Célebris est illa Fídei definítio ab Apóstolo trádita in *epist. ad Hebr., cap.* 11: «Est áutem Fides sperandá-«rum substántia rerum, arguméntum «non apparéntium.» In hac Paulína definitióne, nonnúlla occúrrunt, quæ explicatióne egent. È vestígio annotámus cum D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 4, *art.* 1. Quòd «si quis rectè consíderet óm-«nia ex quibus Fides potest definíri, in «prædicta descriptióne tangúntur, licèt «verba non ordinéntur sub forma defi-«nitiónis.» Et quidem, secúndùm eúmdem D. Thomam in Comment. super prædicta verba Apóstoli, Fides dícitur «Substántia, id est, fácere in nobis «substáre res sperándas..... quasi per «suam proprietátem præsentialiter fa-«cit, quòd id, quod créditur futúrum in «re, spe áliquò modò jam habeátur:» ut nempè nihilóminùs certíssimus de rebus per Fidem créditis, ac si illa própriis óculis ut præséntia cernerémus. Hæc expositio, ut testátur Estius in Comment., est étiam S. Joán. Chrysóstomi, quem Theodorétus aliique benè multi secúti sunt.

Est áutem Fides, secúndùm Apóstolum, substántia rerum sperandárum, ut D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 4, *art.* 1, expónit, «quia scilicèt prima inchoátio «rerum sperandárum in nobis est per «assénsum Fídei, quæ virtúte cóntinet «omnes res sperándas. In hoc enim spe-«rámus beatificári, quòd vidébimus apér-«tâ visióne veritátem, cui per Fidem «ad hærémus.» Notándum tamen, Apóstolum in hac sua definitióne solùm rerum sperandárum expréssam mentiónem fácere, támquàm partis principalióris; non tamen utália exclúdat, quæ sub objécto Fídei comprehenduntur, uti præséntia, et prætérita, quæ utíque speráre nequímus, prout et mala, quæ non spei, sed timóris sunt objéctum, ut Inférnus etc.

Subdit áutem Apóstolus, Fidem esse *arguméntum*, et ut ibídem expónit S. Thom. «súmitur arguméntum pro «argumenti effectu. Per arguméntum «enim intellectus indúcitur ad inhæ-«réndum alícui vero: unde ipsa firma «adhæsio intellectûs ad veritátem Fídei «non apparéntem vocátur hic argumén-«tum,» undè patet, quòd Fides juxta Apóstolum est arguméntum non apparéntium. «Si quis ergo, (*ut ibid. ait «D. Thom.*) in formam definitiónis, hu-«jusmodi verba (*Apóstoli*) redúcere ve-«lit, potest dícere, quòd Fides est há-«bitus mentis, quò inchoátur vita ætér-«na, in nobis fáciens intellectum assen-«tíre non apparéntibus.» Sunt áutem

Theólogi, qui Fidem sic definiunt: «Virtus à Deo nobis infúsa, qua líberò, «et piò voluntátis affectû iis firmiter «assentímur, quæ nobis à Deo revelàta «sunt, propter ipsíus Dei revelántis auc«toritátem.» Hæc tamen quoad substántiam cum Apóstoli definitióne cóincidit, undè D. Thom. ibid. «Omnes áu«tem áliæ definitiónes, quæcúmque de «Fide dantur, explicatiónes sunt hujus, «quam Apóstolus ponit.»

§ II.

De conditiónibus, quas Fides divina necessáriò requírit.

669. Præsuppósitâ præcípuâ Fídei dote, nempè, infallíbilî certitúdine, quâ ab omni, vel mínimâ falsitátis umbrâ vindicári póstulat, prout et ipsum Dei testimónium, cui Fides innítitur; áliam Fídei conditiónem, nempè obscuritátem explanándam aggrédimur. Undè sit

I. CONCLÚSIO.

Objéctum Fidei est necessáriò obscúrum, seu inévidens.

670. Prob. 1.° Conclus. Apóstolus, *epist. ad Hebr., cap.* 11, *v.* 1, ait: quòd Fides est *argumèntum non apparéntium*. Undè Augustínus, *Tract.* 40, *in Joán.*: «Fides est crédere quod non «vides.» Ergo, etc.

671. Prob. 2.° Conclus. ratióne theológicâ inníxâ doctrínæ D. Thomæ, 2.ª 2.æ *quæst.* 1, *art.* 4. Illa dicúntur vidéri, quæ per se ipsa movent intellectum, vel sensum, ad suî cognitiónem, ut sunt, respéctû intellectûs, prima princípia, quemádmodùm, «totum est majus sua parte; impossíbi«le est idem simul esse, et non esse «etc.» et conclusiónes ex primis princípiis evidénter dedúctæ, quemádmodùm foret; «pes est pars córporis humáni:» Ergo, «totum corpus humánum est ma«jus pede:» sic similiter, verum est, Petrum esse hóminem: Ergo, falsum est, ipsum esse bélluam, impossíbile est enim, quòd simul sit, et non sit homo. Páriter respéctû sensûs, illa dicúntur vidéri, quæ per se movent sensum, ut Sol, Luna, Stellæ, Terra etc. Atqui, objéctum fídei non potest per se movére intelléctum, aut sensum, ad suî cognitiónem, cùm non sit instar primórum principiórum, quæ ex ipsis términis innotéscunt; neque ad instar conclusiónum, quæ ex princípiis evidéntibus per evidéntem consequéntiam deducúntur; neque est áliquid sensíbile, quod sénsibûs percipiátur. Ergo, objéctum Fídei est necessáriò obscúrum, seu inévidens.

672. Animadverténdum tamen, obscuritátem objécti Fídei non pertinére ad ratiónem formálem *sub qua*, seu, non esse id, vî cujûs Fides asséntit objécto; sed esse tantùm conditiónem sinè qua Fides locum non habéret. Rátio quippe formális *sub qua* Fides asséntit objécto, est motívum, et rátio assentiéndi rebus, quæ credúntur: Atqui, motívum, et rátio cur assentiámus rebus Fidei, est prima Véritas in dicéndo, ut diximus *num.* 643, non áutem obscúritas objécti; non enim crédimus e. c. Deum esse Trinum, quia non vidémus; sed quia Deus, qui verax est, revelávit: sicut non crédimus, Romam exístere, quia non vidémus; sed quia áliquis fide dignus id nobis asseverávit: Ergo, obscúritas objécti Fídei non pértinet ad ejus ratiónem formálem *sub qua*, sed est tantùm conditio, sinè qua Fides locum non habéret. Restat ítaque quòd obscú-

ritas, seu inevidéntia requirátur ad objéctum Fídei, sicut approximátio ignis, ad comburéndum; apprehénsio finis, ad movéndum voluntátem etc.; quæ non sunt nisi conditiónes necessárió requisítæ ad prædícta.

673. Corollárium. Actus visiónis Dei, neque actus sciéntiæ evidéntis, neque actus opiniónis de eádem re, nullátenùs conciliári possunt in eódem intelléctu cum actu Fídei; duo prióres quia impórtant objéctum clarè visum, et Fides objéctum obscúrum: tértius verò, nempè actus opiniónis, quia non impórtat certitúdinem, quam tamen secum affert actus Fídei, quia innítitur testímonio divíno.

674. Teste D. Thomâ, 2.ª 2.æ *quæst.* 2, *art.* 1, *ad* 3: «Intelléctus «credéntis determinátur ad unum, non «per ratiónem, sed per voluntátem, et «ídeò assénsus hic accípitur pro actu «intelléctûs, secúndùm quòd à voluntáte determinátur ad unum.» Id ergo, quod ex parte voluntátis requíritur ad inclinándum intelléctum, ut asséntiat his, quæ sunt Fídei, est ália ex conditiónibus, quæ necessárió requirúntur ad Fidem: pro quo elucidándo, sit

II. CONCLÚSIO.

Ad eliciéndum actum Fídei divínæ necessárió requíritur pia affléctio, seu pia mótio voluntátis, intelléctum ad assénsum inclinántis.

675. Prob. Concl. Apóstolus *ad Rom.*, *c.* 10, *v.* 10, inquit: «Corde créditur «ad justítiam,» ac si díceret, créditur voluntáte movénte intelléctum ad credéndum; ut supra præfáta Apóstoli verba, *lect.* 2, expónit S. Thomas. Quod et August., *Tract.* 26 *in Joán.*, sentit, inquiens: «Intráre quisquis Eccléesiam potest, nolens; accédere ad al«táre potest, nolens: sed crédere non «potest, nisi volens.» Hæc tamen mótio voluntátis inclinántis intelléctum ad credéndum debet esse *pia*, id est ab auxílio grátiæ, alióquin non foret supernaturális; et inítium salútis esset à nobis, quod damnátum est in Semi-Pelagiánis. Undè Concílium Arausicánum II, *Can.* 5, definít contra ipsos «credulitátis afféctus esse grátiæ donum;» et Trident., *Sess.* 6, *Can.* 6, quòd peccatóres «divínâ grátiâ excitáti, et adjúti..... «líberè movéntur in Deum, credéntes «etc.» Ista tamen pia mótio non est amor charitátis, ut quidam Neotérici conténdunt, alióquin peccátor non posset elícere actum Fídei, quod est damnátum ab Alexandro VIII, in hac propositióne: «Quandò in magnis peccatóri«bus déficit amor, déficit étiam Fides; «et etiámsi videántur crédere, non est «Fides divína, sed humána.» Item est damnátum in Quesnéllo, propositióne 51: «Fides non operátur nisi per cha«ritátem:» et propositióne 52: «Fides «non est ábsque amóre, et fidúciâ.» Pia ergo mótio voluntátis intelléctum ad Fídei assénsum inclinántis est quædam complacéntia, seu afféctus, non erga bonitátem divínam in se, quod ad amórem charitátis requíritur, sed erga summam Dei veracitátem, vî cujûs complacéntiæ, seu afféctûs, volúntas determinat intelléctum ad assentiéndum, et quidem tantâ firmitáte, quæ súperet omnem firmitátem ortam ex quovis actu humánô scientíficô, vel experimentálî. Ergo, ad actum Fídei divínæ necessárió requíritur pia afféctio, seu pia mótio voluntátis inclinántis intelléctum ad assénsum Fídei.

CAPUT III.

DE ÁCTIBUS FÍDEI.

676. Duplex distínguitur, et est actus Fídei: unus intérnus, quô assentímur certò, et firmiter ob Dei auctoritátem veritátibus obscúris ab ipso revelátis; et hic actus dícitur *crédere*. Alter Fídei actus est extérnus, quô scílicet exhibémus áliquod signum interióris assénsûs; et hic actus dícitur *conféssio*. Utrúmque hujúsmodi actum Fídei compléxus est Apóstolus, *epist. ad Rom. c.* 10, *v.* 10, ínquiens: «Corde crédi«tur ad justítiam: ore áutem conféssio «fit ad salútem.» De utróque actu nonnúlla delibábimus, quæ in Tyrónum notítiam devenire, máximè consentáneum dúcimus. Undè sit

§ I.

Actu intérno Fídei, qui crédere *appellátur.*

677. Hic actus, ut docet S. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 2, *art.* 2, convenién̄ter distínguitur in hoc, quod est *crédere Deum*, *crédere Deo*, *et crédere in Deum*: non quod per ista tria designéntur divérsi actus Fídei, sed unus tantùm, et idem actus, habens tamen divérsas relatiónes ad Fídei objéctum. Vel enim réspicit objéctum materiále, quod principáliter, et primáriò, ut díximus *num.* 645, est Deus, et sic dícitur: *crédere Deum;* comprehendéndò sic étiam omne revelátum à Deo, cùm ómnia hujúsmodi spectent ad objéctum materiále, et adæquátum Fídei, ut eódem *num.* 645, osténdimus: Vel actus Fídei réspicit ratiónem formálem, seu médium propter quod veritátibus Fídei assentímus, et sic dícitur *crédere Deo;* quia, ut *num.* 641 díximus, rátio formális, propter quam homo rebus revelátis assénsum præbet, est Véritas prima in dicéndo: Vel demúm actus Fídei ita réspicit objéctum, ut homo tendat, ac se móveat in illud támquàm in últimum finem, ex impúlsu voluntátis divínitùs motæ, et sic dícimur *crédere in Deum:* juxta illud Augustíni, *Tractat.* 29, *in Joán.:* «Quid est ergo «crédere in eum? Credéndò amáre, cre«déndò dilígere, credéndò in eum ire, et «ejus membris incorporári.» De hoc ergo actu, qui dícitur *crédere*, inquírimus an sit necessárius ad salútem. Pro quo sit

I. CONCLÚSIO.

Fides divína supernaturális est necessária necessitáte médii ad salútem.

678. Priúsquàm Conclusiónis veritátem evincámus, prænotáre opórtet, áliquid dici necessárium dupliciter, nempè *necessitáte médii*, *et necessitáte præcép-*

ti. Illud dícitur necessárium necessitáte médii ad salútem, sinè quo etiámsi inculpabíliter omissô, salus obtinéri nequit, sive id provéniat ex natúra rei, sive ex institutióne divínâ, ut est Baptísmus in re pro párvulis; pœniténtia pro peccatóribus adúltis; grátia pro ómnibus tum adúltis, tum párvulis. Necessárium áutem necessitáte præcépti ad salútem nuncupátur illud, quod, quámvis non sit médium absolútè necessárium ad eam obtinéndam, est tamen præcéptum, quòd apponátur, et ídeò est necessáriò observándum, ita ut ejus omíssio voluntária sit peccátum, quod quidem salútem ímpedit: sic necessária est Commúnio in Páschate, Conféssio annuális, etc. His pósitis

679. Prob. Conclus. 1.° Apóstolus, *epist. ad Hebr.*, *c.* 11, *v.* 6, ínquit: «Sinè «Fide áutem, impossíbile est placére «Deo.» Atqui, id sinè quo impossíbile est placére Deo, necessárium est necessitáte médii ad salútem. Ergo, fides divína supernaturális est necessária necessitáte médii ad salútem.

Item, Marc., *c.* 16, *v.* 16, Dóminus légitur dixisse: «Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui verò non cre«díderit, condemnábitur.» Super quæ verba sic discúrrimus. Fides, et Baptísma sunt quidem necessária ad salútem, sed respéctû adultórum áliter, et áliter. Nam Baptísma si citrà culpam non potest ab ipsis in re récipi, non est impediméntum salútis, tunc enim ipsis súfficit votum baptísmi; ast verò crédere est ipsis absolútè necessárium, id quod præseferunt hæc Christi verba: «qui verò non-cre«díderit, condemnábitur.» Ergo, crédere est necessárium necessitáte médii ad salútem. Sed præstat audíre D. Bernárdum, *Tract. de Baptísmo, cap.* 2, præfáta Christi verba explicántem, ac animadverténtem, quòd Christus «Cáutè «et vigilánter non repetíerit: Qui verò «baptizátus non fúerit: sed tantùm: Qui «verò non crediderit, condemnábitur: «nimírùm, ínnuens, solam intérdùm fi«dem suffícere ad salútem, et sinè ipsa «suffícere nihil. Quaprópter etsi marty«rium vicem baptísmi posse implére «concéditur, non planè hoc facit pœna; «sed ipsa fides. Nam ábsque ipsa quid est «martyrium nisi pœna? Ergo, juxta Bernárdum, fides est necessária necessitáte médii ad salútem.

680. Prob. 2.° Conclus. *Epist. ad Rom.*, *cap* 1.°, *v.* 17, légitur: «Justus «áutem ex fide vivit:» ib., *cap.* 3, *v.* 28: «Arbitrámur enim justificári hó«minem per fidem:» ibid., *cap.* 10, *v.* 10: «Corde enim créditur ad justítiam,» *Epist. ad Ephes.*, *cap.* 2, *v.* 8: «Grá«tiâ enim estis salváti per fidem, et hoc «non ex vobis, Dei enim donum est.» Ergo, fides est necessária ad salútem. Hanc áutem esse necessitátem médii, eruimus ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 6, *cap.* 7, ubi docens Sacraméntum baptísmi esse Sacraméntum fídei, subdit: «Sinè qua nulli úmquàm cóntigit justi«ficátio.» Et *cap.* 8, inquit: «Fides est «humánæ salútis inítium, fundaméntum, «et radix omnis justificatiónis; sinè qua «impossíbile est placére Deo, et ad filió«rum ejus consórtium pervenire.» Ergo sicut inítium est necessárium necessitáte médii ad compleméntum; fundaméntum ad ædifícium; ac radix ad árborem; ita et fides est necessária necessitáte médii ad salútem.

681. Opórtet non præteríre, quòd supernaturále in subjécta matéria intélligi potest, vel ex parte rei quæ créditur, ut e. c. quòd Deus sit trinus, et unus: vel ex parte médii, ut cùm quis assentítur alícui veritáti, quia Deus revelávit vel ex parte auxílii, quod nobis ad credéndum donátur, ut cùm divínò auxílio

adjúti crédimus sive naturáles, sive supernaturáles veritátes. Fides ergo, quam dícimus necessáriam necessitáte médii ad salútem, débet esse supernaturális, non solùm objectivè, quia scílicèt rem supernaturálem attíngat; sed étiam intrínsecè et entitativè, id est, quòd princípia actûs, quò crédimus, supernaturália sint, vidélicet, quòd et médium propter quod assentímur alícui veritáti revelátæ, et auxílium, quô adjúti talem actum elícimus, sint supernaturália. Sic olìm státuit Ecclésia contra Pelagiános, et Semi-Pelagiános, et novíssimè Concílium Tridentínum, *Sess.* 6, *Can.* 3, definiens: «Si quís díxerit, sinè præve-«niénte Spíritûs Sancti inspiratióne, at-«que ejus adjutóriô, hóminem crédere... «posse sicut opórtet, ut ei justificatiónis «grátia conferátur; anathéma sit.» Ergo, princípia actûs, quò crédimus, ut opórtet ad salútem, debent esse supernaturália entitativè; Fides enim, quæ tantùm objectivè supernaturális dici potest, ut contíngit in hæréticis, unum vel álterum Fidei artículum retinéntibus, nequit dici quòd sit ex Spíritûs Sancti inspiratióne.

682. Prob. tandem Conclúsio ratióne theológicâ D. Thom. doctrínæ innixâ 2.ª 2.æ *quæst.* 2.ª *art.* 3. Creatúra rationális, cujûs compléta salus in Dei visióne consístit, nequit ad illam pervenire, nisi priùs ut discípula edoceátur à Deo Doctóre, juxta illud *Joán.*, *c.* 6, *v.* 45: «Omnis, qui audívit à Patre, et dí-«dicit, venit ad me.» Omnis áutem sic addíscens, debet crédere Deo magístro suo eum docénti, priúsquàm ad perféctam cognitiónem pervéniat: Ergo, ut homo ad perféctam Dei cognitiónem, seu visiónem pervéniat, necésse est, quòd priùs credat Deo per revelatiónem docénti: et cùm in hoc sita sit Fides, ut Deo revelánti credátur, Fides necessária est, et quidem necessitáte médii ad salútem.

683. Petes: quænam Fides sit necessária necessitáte médii ad salútem: an scílicèt sufficiat Fides habituális, an ultériùs requirátur, quòd eliciátur actus Fídei?

Huic quæsíto sub distinctióne respondémus. Si sermo sit de párvulis, Fides habituális súfficit; si verò de adúltis, præter fidem habituálem est ipsis necessárium necessitáte médii, quòd actum fídei elíciant ad salútem obtinéndam. Primum constat, párvuli enim néquëunt elícere actum fídei; Ergo, si iste foret eis necessárius, ut salútem obtinérent, nullus eórum, quámvis forent baptizáti, salvus fíeret, nec fieri posset, quod est contra fidem. Advértimus tamen, quòd párvulis, dum baptizántur, applicátur fides Ecclésiæ; cùm enim baptismus sit sacraméntum fídei, ut válidè, et fructuósè conferátur, Redemptóris fidem indispensabíliter requírit, juxta illud *Marc.*, *cap.* 16, *v.* 16: «Qui credíde-«rit, et baptizátus fúerit, salvus erit.» Ergo, in eo, à quo nequit actus fídei élici, ut sunt párvuli, requíritur fides Ecclésiæ, quæ defícere non potest. Hæc áutem Ecclésiæ fides applicátur párvulis eâ voluntáte, quâ is, qui baptízat, vult verum baptísma conférre párvulo: hôc enim ipsô pia Mater Ecclésia áccipit illum támquam suum, credit pro illo; ejúsque fide mérita Christi párvulo applicántur: et sacraméntum remissívum peccáti originális simul cum grátia justificánte ei confértur.

De adúltis áutem dícimus, quòd ipsis ad salútem ætérnam consequéndam necessárium est necessitáte médii elícere actum fídei supernaturális, ita ut fides tantùm habituális eis non sufficiat. Nam Christus Dóminus, *Marc.*, *cap.* 16, *v.* 16, expréssè docet: *Qui verò non cre-*

diderit, *condemnábitur*. Hæc áutem verba, ut considerânti patet, actum credéndi indígitant; adeóque adúltos, non párvulos afficiunt, cúm párvuli áctum credéndi néquëant elícere. Deínde; de lege à Deo statútâ, adúltus debet cónsequi glóriam per modum corónæ ex justítia reddéndæ, adeóque requíritur indispensabíliter, ut in illam per méritum ingrediátur: sed méritum præmii supernaturális non est sinè influxu actûs charitátis; influxus áutem actûs charitátis, non est sinè actu fídei: Ergo, adúltis ad salútem ætérnam consequéndam est necessárium necessitáte médii elícere actum fídei.

684. Actus Fídei, qui dícitur *crédere*, duplex distínguitur: nam áliquid potest credi explícitè, vel solùm implícitè. Crédere áliquid explícitè, est illud crédere sub própriis, et particulâribus términis, sub quibus propónitur. Sic credit explícitè Mystérium Incarnatiónis, qui credit Fílium Dei assumpsísse natúram humánam, et Christum esse Deum, et hóminem: simíliter, credit explícitè Mystérium SS. Trinitátis, qui credit Patrem, et Fílium, et Spíritum Sanctum, esse unum Deum, et tres Persónas. Crédere áutem áliquid implícitè, est crédere illud ut conténtum in álio, velut princípiò universáli: sic qui ex ánimo credit totum id, quod Ecclésia credit, implícitè credit septem esse Sacraménta, existéntiam Purgatórii, Inférni, et cætera ómnia, quæ Ecclésia credit. His prænotátis, sit

II. CONCLÚSIO.

Post peccátum, étiam ante promulgátum Evangélium, fuit omni témpore necessária necessitáte médii áliqua Fides Incarnatiónis Christi.

685. Prob. 1.° ex Apóstolo, *epist. ad Galat.*, *c.* 2, ajénte: «Non justificá«tur homo ex opéribus Legis, nisi per «Fidem Jesu Christi:» et ex S. Petro, *Act. Apost.*, *c.* 4, dicénte: «Non est «in áliquo álio salus. Nec enim áliud «nomen est sub Cœlo datum homínibus, «in quo opórteat nos salvos fíeri.» Ergo, post peccátum nullus úmquàm pótuit salvus fíeri, nisi per fidem Jesu Christi. Ergo, áliqua Fides Incarnatiónis, post peccátum, semper fuit necessária necessitáte médii ad salútem.

Prob. 2.° Sicut necessária est Redémptio Christi, ita et Fides illíus, per Fidem enim in Christum nobis ejus Redémptio applicátur, juxta illud *Epist. ad Rom.*, *c.* 3: «Justítia Dei per Fidem «Jesu Christi in omnes, et super om«nes:» Atqui, Redémptio Christi, pro quóvis témpore post peccátum, est, et fuit ómnibus necessária necessitáte médii ad salútem, juxta illud *epist. ad Rom.*, *c.* 5: «Sicut per unius delíctum «in omnes hómines in condemnatiónem, «sic per unius justítiam in omnes hó«mines in justificatiónem vitæ:» Ergo, post peccátum fuit omni témpore, étiam ante promulgátum Evangélium, necessária necessitáte médii ad salútem áliqua Incarnatiónis Fides.

—

III. CONCLÚSIO.

Ante Evangélium sufficiénter promulgátum, Fides implícita Incarnatiónis commúniter fuit sufficiens ad salútem : post Evangélium áutem sufficiénter promulgátum , est necessária necessitáte médii Fides explícita.

686. Díximus quoad primam partem Conclusiónis, ante Evangélium sufficiénter promulgátum, Fidem implícitam Incarnatiónis fuísse *commúniter* sufficiéntem ad salútem; indigitántes, minóribus, et commúni pópulo implícitè crédere suffecísse. Quantùm ad Majóres áutem vidétur, quòd tenebántur habére Fidem áliquò modò explícitam Incarnatiónis; quia, cùm offérrent Sacrifícia Christi præfiguratíva, et légerent commúni pópulo, atque ipsi explicárent Prophetías de Christo ventúro, vidétur quòd magis explícitè, quàm pópulus utrorúmque significátum cognóscere debérent; licèt hæc eórum Fides explícita non esset ita distíncta, sicut nunc est, post peráctum Mystérium. Hæc compléxus est D. Thom., *in* 3 *Sentent.*, *dist.* 25, *quæst.* 2, *art.* 2, *q.* 2, inquiens: «Post peccátum, ante Christum, Majó-«res habébant Fidem Redemptóris ex-«plícitè, minóres implícitè.» Ilís præ-míssis

687. Prob. 1.ª pars Conclusiónis hîs D. Thomæ verbîs, 2.ª 2.æ *quæst.* 2, *art.* 7, *ad* 3: «Si qui tamen salváti «fuérunt, quibus revelátio (*explícita*) «non fuit facta, non fuérunt salváti «ábsque Fide Mediatóris: quia etsi non «habuérunt Fidem explícitam, habué-«runt tamen Fidem implícitam in Di-«vína Providéntia (*útique supernaturá-«li*), credéntes, Deum esse liberatórem «hóminum, secúndùm modos sibi pláci-«tos, et secúndùm quòd alíquibus ve-«ritátem cognoscéntibus Spíritus reve-«lásset, secúndùm illud Job. cap. 35, «v. 11: Qui docet nos super juménta «terræ.»

Indè tamen mínimè inferéndum, quòd nulli Gentílium facta fúerit revelátio, ut enim ibid. ait S. Thomas; «Multis «Gentílium facta fuit revelátio de Chris-«to, ut patet per ea, quæ prædixérunt. «Nam Job. cap. 19, v. 25, dícitur: «Scio, quòd Redémptor meus vivit. Si-«bylla étiam prænuntiávit quædam de «Christo, ut Augustínus dicit lib. 13, «cont. Faust., cap. 15. Invenítur étiam «in históriis Romanórum, quòd témpo-«re Constantíni Augústi, et Matris ejus, «invéntum fuit quoddam sepúlchrum, in «quo jacébat homo áuream láminam ha-«bens in péctore, in qua scríptum erat: «Christus nascétur ex Vírgine, et ego «credo in eum. O Sol, sub Irénæ, et «Constantíni tempóribus iterùm me vi-«débis.» (Vid. Baron. ad an. Christi 780). Ergo, etc.

688. Prob. 2.º eádem prima Conclus. pars. Apóstolus, *epist. ad Galat.*, *cap.* 3, dicit: «Priùs áutem quàm ve-«níret fides, sub Lege custodiebámur «conclúsi in eámdem fidem, quæ reve-«lánda erat:» et *epist. ad Ephes.*, *cap.* 3, lóquens de mystério Incarnatiónis ait: «Quòd áliis generatiónibus non est «ágnitum fíliis hóminum, sícuti nunc «revelátum est sanctis Apóstolis ejus, «et Prophétis in spíritu:» et *epist. ad Coloss.*, *cap.* 1.º: «Quod abscóndi-«tum fuit à sæculis, et generatiónibus, «nunc áutem manifestátum est Sanctis «ejus.» Ergo, secúndùm Apóstolum, Incarnátio Christi, ante Evangélium non fuit ita explícitè reveláta, prout nunc est: Ergo, fidéles illíus témporis salú-tem póterant commúniter cónsequi so-

là fide implícitâ Incarnatiónis. Undè juxta eúmdem Apóstolum, *epist.* 1.ª *ad Cor.*, *cap.* 10 : «Ómnia in figúra con-«tingébant illis.»

Quam propugnámus senténtiam, tenuére et Augustínus *lib.* 19 *contra Fáustum*, et *epist.* 89, et álibi; et Chrysóstomus, *Homil.* 37 *in Matth.*; et Bernárdus, *epist.* 77, *ad Hugónem Victorínum*; alíque Patres.

689. Prob. 2.ª pars Conclus. Christus, *Joán.*, *cap.* 3, légitur díxisse: «Sicut Móyses exaltávit serpéntem in «desérto, ita exaltári opórtet Fílium «hóminis, ut omnis, qui credit in ipsum, «non péreat, sed hábeat vitam ætér-«nam:» Atqui, aspéctus serpéntis ex institutióne Dei erat médium necessárium necessitáte médii ad sanitátem corporálem: Ergo, et fides in Christum est hôc modô necessária ad salútem spirituálem. Christum áutem in suis prædíctis verbis intendísse loqui de fide explícitâ, patet ex his, quæ ibídem subdit: «Qui credit in eum, non judicá-«tur: qui áutem non credit, jam judi-«cátus est, quia non credit in nómine «Unigéniti Fílii Dei.» *Tò nómine* desígnat persónam: *tò Unigéniti Fílii Dei*, distínguit eam à cæteris persónis: Ergo, lóquitur de Fide explícita in Christum, et quidem necessáriâ necessitáte médii, quia qui non credit in ipsum jam judicátus est.

Id quod confírmant hæc ália Christi verba, *Joán.*, *cap.* 14: «Créditis ín «Deum, et in me crédite:» Ergo, parem éxigit Fidem de seípso, ac de Deo: Atqui, Fides explícita de Deo, est necessária necessitáte médii ad salútem: Ergo, post Evangélium sufficiénter promulgátum, est ómnibus necessária necessitáte médii, Fides explícita Incarnatiónis Christi.

Hinc Tridentínum, *Sess.* 6, *c.* 6, agens de dispositióne ad justificatiónem, et de iis, quæ ad illam obtinéndam sunt credenda, inquit: «Disponúntur... cre-«déntes... illud in primis, à Deo justi-«tificári ímpium per grátiam ejus, per «Redemptiónem, quæ est in Christo Je-«su.» Porrò, si sit necessárium *in primis*, hoc crédere de Redemptióne per Christum: Ergo, nihil est magis ad salútem necessárium, quàm hujúsmodi Fides explícita de Redemptióne, quæ est per Christum; Ergo, et inter prima credénda explícitè, Incarnátio Christi reponénda est: Ergo, hujúsmodi Fides est præ cæteris ad salútem necessária necessitáte médii. Vid. S. Bernard., *epist.* 77, *ad Hug.* S. August., *lib. de Correp. et Grat.*, *c.* 7. S. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 2, *art.* 7, et in 3, *Dist.* 25, *quæst.* 2, *art.* 2, *q.* 2.

IV. CONCLÚSIO.

Post Evangélium sufficiénter promulgátum, Fides explícita Mystérii SS.æ Trinitátis est ómnibus necessária necessitáte médii ad salútem.

690. Prob. Concl. verbîs D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 2, *art.* 8: «Mystérium «Incarnatiónis Christi explícitè credi «non potest sinè Fide Trinitátis: quia «in Mystério Incarnatiónis Christi hoc «continétur, quòd Fílius Dei carnem as-«súmpserit, quòd per grátiam Spíritûs «Sancti mundum renováverit, et ítemùm, «quòd de Spíritu Sancto concéptus fúe-«rit. Et ídeò eódem modô, quô Mysté-«rium Incarnatiónis Christi ante Chris-«tum fuit explícitè créditum à Majóri-«bus, implícitè áutem, et quási obum-«brátè à Minóribus; ita étiam et Mys-«térium Trinitátis. Et ídeò étiam post «tempus grátiæ divulgátæ tenéntur om-«nes ad explícitè credéndum Mystérium

«Trinitátis, et omnes, qui renascúntur «in Christo, hoc adipiscúntur per invo- «catiónem Trinitátis, secúndùm illud «Matth., ult. 19. Eúntes docéte omnes «Gentes, baptizántes eos in nómine Pa- «tris, et Fílii, et Spíritûs Sancti.» Ita áutem omnes tenéntur crédere explícitè Mystérium Incarnatiónis Christi, ut hæc Fides sit, post promulgátum Evangélium, ómnibus necessária necessitáte médii ad salútem, ut osténdimus Conclusióne præcedénti; Ergo, et idem de Mystério SS. Trinitátis asseréndum.

Animadverténdum dúcimus, his non obstáre Apóstolum, *epist. ad Hebr.*, *cap.* 11, *v.* 6, ajéntem: «Crédere opór- «tet accedéntem ad Deum, quia est, «et inquiréntibus se remunerátor sit.» Quæ, ut patet, credi possunt ábsque fide explícita tum Incarnatiónis, tum Trinitátis: ut enim S. Thom. *ibid. ad* 1, ait: «Illa duo explícitè crédere «de Deo, omni témpore, et quoad om- «nes, necessárium fuit; non tamen est «sufficiens omni témpore, et quoad «omnes.»

Hinc némini dubitáre licet, quòd étiam de necessitáte médii, et explícitè, credéndum sit, Deum esse, et Remuneratórem esse boni, et justum Víndicem mali.

691. Præter ea, quæ nunc Fidéles tenéntur ex necessitáte médii crédere explícitè, tenéntur ex præcépto obligánte sub peccáto mortáli, crédere explícitè saltem quoad substántiam, præcipuásque circumstántias, 1.° Omnes Artículos in Symbolo Apostolórum conténtos: 2.° Omnia Decálogi, et Ecclésiæ præcépta: 3.° Oratiónem Domínicam: 4.° Sacraménta, quæ cuílibet sunt necessária, vidélicet, Baptísmum, Eucharístiam, et Pœniténtiam; cæterórum enim Sacramentórum súfficit habére fidem implícitam, cùm fides eórum explícita sit tantùm necessária illis, qui ea suscípiunt.

Rátio primæ partis est, quia Apóstoli ex præcépto Christi tenebántur illos Artículos docére explícitè, juxta illud Marc. ult. *Prædicáte Evangélium omni creatúræ:* et ídeò Apóstoli suum symbolum edidérunt, ántequàm prædicáre incíperent: Ergo, inest fidélibus ómnibus obligátio illos Artículos credéndi explícitè, inútile námque foret præcéptum explícitè instruéndi, si non foret obligátio explícitè credéndi.

Rátio secúndæ partis est, quia quílibet fidélis tenétur præcépta Decálogi, et Ecclésiæ serváre: Ergo, quílibet tenétur et illa scíre, et crédere explícitè, hôc enim prætermíssô, illa servári non possent.

Rátio tertiæ partis pétitur, primò ex necessitáte cognoscéndi ea, quæ à Deo pétere debémus; hæc áutem in Oratióne Domínica continéntur; secúndò pétitur ex commúni sensu Theologórum, et fidélium, qui vix pro christiáno habérent, qui hanc nesciret Oratiónem. Vid. August., *Serm.* 265.

Rátio quartæ partis est, quia Sacraménta ritè suscípere nequit, qui ea, et dispositiónes ad illa requisítas ignórat.

Díximus *saltem quoad substántiam, ac præcípuas circumstántias*, quia, ut vidére licet apud D. Thomam, 2.ª 2.æ *q.* 2, *art.* 7, subtíles considerationes circa prædícta tenéntur áliqui magis, vel minùs explícitè scire, ac crédere, secúndùm quòd státui, et offício uníuscujúsque cómpetit: magis Pastóres, Doctóres, Prædicatóres, Confessárii, qui áliis instruéndis sunt deputáti, quàm Fidéles de pópulo.

CAPUT IV.

DE PRÆCÉPTO ACTÚS FÍDEI EXTÉRNI.

692. Duplex datur præcéptum de actu fídei extérno: áliud negatívum, scílicet, non negándi fidem; áliud verò positívum, vidélicet, confiténdi fidem. Pro quibus elucidándis, sit

I. CONCLÚSIO.

In nullo úmquàm casu, étiam vitándæ mortis cáusâ, licet fidem corde reténtam, ore, vel factô negáre, falsámque extériùs profitéri, seu simuláre.

693. Hæc conclúsio est contra Helcesaítas, qui, teste Euseb., *lib.* 6, *Hist.*, *cap.* 31, docébant, Fidem in persecutiónibus posse ore negári, modò corde servarétur. Item est advérsùs Priscilianístas, teste August. *lib. contra mendácium*, *cap.* 170, apud quos erat vulgátum hocce ímpium effátum:

Jura, perjúra, secrétum pródere noli

Est étiam contra Libertínos hujus témporis, indifferentísmum in Religiónis negótio profiténtes: ac contra nonnúllos Pseudo-Políticos opinántes, lícitum esse cujúsvis Religiónis ritus exercére, modò vera Fides firma máneat in corde. Advérsùs quos omnes

Prob. 1.° Conclús. Matth., *c.* 10, *v.* 33, Christus légitur dixísse: «Qui áu«tem negáverit me coràm homínibus, «negábo et ego eum coràm Patre meo, «qui in Cœlis est.» Et Luc., *c.* 9, *v.* 26: «Qui me erubúerit, et meos ser«mónes: hunc Fílius hóminis erubéscet, «cùm vénerit in Majestáte sua.» Quibus adjúnginus funéstum Petri exémplum, quem gráviter peccásse, cùm Jesum præ timóre negávit, nemo est qui dúbitet, de quo tamen certum est, intériùs in corde Fidem retinuísse. Ergo, in nullo úmquàm casu etc.

694. Prob. 2.° Negáre Fidem, est dícere, Deum revelásse falsum, vel fídei dógmata non revelásse: Atqui, utrúmque est mendácium Deo gráviter injuriósum: Ergo, númquàm lícitum est negáre Fidem.

695. Prob. 3.° Ex constánti Ecclésiæ praxi, quâ semper gravíssimî críminis hábiti sunt rei, quotquot à Religióne, étiam solùm extériùs, defecérunt. Hinc, illi *Libellátici*, qui témpore persecutiónis Fidem extériùs ejurántes, libéllos à Magistrátibus obtinébant, quibûs ejurátæ Christiánæ Religiónis testimónium ipsis tradebátur, duris, diuturnísque pœniténtiis subjécti fuére. Profectò tanta Ecclésiæ sevéritas in ipsos non fuísset, si gravem non incurríssent culpam, Religiónem solùm extrínsecùs abnegándô. Vidéri possunt Cánones 1, 2, 3, 4 et 5 Ancyr.

Accédit auctóritas Innocéntii XI, qui hanc propositiónem confíxit: «Si à Po-

«testâte pública quis interrogétur, Fi-«dem ingénuè confitéri, ut Deo, et Fídei «gloriósum, cónsulo; tacére, ut pecca-«minósum per se non damno.» Item, Benedíctus XIV, in sua Constitutióne 1, August., an. 1754, vétuit, Christiánis in Turcárum ditióne degéntibus, Turcárum nómina ad tegéndam Religiónem Christiánam impónere, injúnctâ pœnâ privatiónis Sacramentórum in vita, et sepultúræ Ecclesiásticæ post mortem. Ergo, in nullo úmquàm casu, licet Fidem corde reténtam, ore, vel factô negáre, falsámque extériùs profitéri, seu simuláre.

696. Dícimus *ore, vel factô*, quia, ut vidére licet apud D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 111, *art.* 1, utrúmque est mendácium, cum hac sola differéntia, quòd mendácium *factô* dicátur simulátio. Díximus item *vel falsam simuláre, seu extériùs profitéri;* quia falsam Fidem, seu falsam Religiónem simuláre, et extériùs profitéri, perindè est ac veram negáre; qui enim se verbô dicit, aut factô éxhibet Calvinístam, se negat Cathólicum. Id apprímè intelligébat Eleázarus, *lib.* 2 *Machab.*, *cap.* 6, qui recussávit carnes, «quibùs vesci ei licébat, ut simu-«larétur manducásse, sicut Rex imperá-«verat, de sacrifícii cárnibus, ut hôc «factô à morte liberarétur.» Nec fíngere licet, id fuísse indébitum heróicæ virtútis actum, non áutem stricti juris obligatiónem; nam satis luculénter idem Eleázarus declarávit, se ad id præstándum, fuísse divínâ lege adstrictum; vers. enim 26 subdit: «Nam etsi in præsén-«ti témpore supplíciîs hóminum erípiar, «sed manus Omnipoténtis nec vivus, nec «defúnctus effúgiam.»

Conclúdimus cum Augustíno, qui *lib.* 6, *de Civit. Dei*, *cap.* 10, póstquàm erudítè osténdit, Sénecam extérnè quidem idóla venerátum, intérnè áutem execrátum fuísse, ita ob hanc simulatiónem ipsum objúrgat: «Colébat, quod «reprehendébat; agébat quod argüébat; «quod culpabat, adorábat... eò damna-«bíliùs, quô illa, quæ mendáciter agé-«bat, sic ágeret, ut eum pópulus verá-«citer ágere existimáret.» Hæc, ut patet, possunt eódem, imò et potiórî jure redárgüi in eos, qui extériùs símulant falsam Religiónem.

697. Schólion. Advértimus tamen contra Tertulliánum, non esse per se illícitum fúgere in persecutióne; quia non est ibi negátio fídei, quin pótiùs quædam ejus proféssio; per hoc enim testátur fúgiens, se esse fidélem, et nè fidem in torméntis perdat, se Pátriam, bona, paréntes, ac amícos derelínquere. Id licére, nedum verbô dócuit Christus, dicens *Matth.*, *cap.* 10 «Cùm perse-«quéntur vos in civitáte ista, fúgite in «áliam;» sed et factô confirmávit, fúgiens Judæos volénteseum lapidáre. Cujùs exémplum imitáti sunt S. Páulus in sporta demíssus (*epist.* 2 *ad Cor.*, *cap.* 11); S. Petrus edúctus è cárcere ab Angelo: S. Athanásius, et plures álii Sancti. Idem dícimus de solutióne mulctæ impósitæ Cathólicis à Rege hærético. Díximus hæc *per se* licére; quia per áccidens posset esse illícitum fúgere; ut si Pastor esset necessárius óvibus, fúgere non posset, etiámsi ei mors imminéret; nam *Bonus Pastor ánimam ponit pro óvibus suis.* Etiam è convérsò, posset esse per áccidens obligátio fugiéndi, puta, si vita fugiéntis esset bono commúni necessária.

II. CONCLÚSIO.

Tenétur fidélis aliquándò fidem suam extériùs confitéri.

698. Prob. 1.° Conclus. Christus, *Matth., cap.* 10, dicit: «Qui me con-«féssus fúerit coràm homínibus, confi-«tébor et ego eum coràm Patre meo.» Et Apóstolus, *epist. ad Rom., cap.* 10: «Corde créditur ad justítiam, Ore áutem «confessio fit ad salútem.» Ergo, extérior fídei confessio est aliquándò necessária ad salútem.

699. Prob. 2.° Conclus. Augustínus, *lib. de Fide, et Symbolo, cap.* 10, ait: «A præsénti sæculo malígno salvi fieri «non póssumus, nisi et nos ad salútem «proximórum niténtes, étiam ore profi-«teámur fidem, quam corde gestámus.»

700. Prob. 3.° Conclus. Illud cadit sub præcépto, quod est necessárium ad conservándam Ecclésiæ propagatiónem, ac unitátem: Atqui, confessio extérior fídei est ad hujúsmodi necessária: Ergo, cadit sub præcépto. Prob. min. Si fides, quæ corde géritur, ad aliórum áures voce aliquándò non transmitterétur; unus non posset ab álio díscere, nec álius álium fidem docére, quò sublátò, tota visíbilis Ecclésiæ fábrica subverterétur. Ut enim ait Páulus, *epist. ad Rom., c.* 10. *v.* 14: «Quómodò credent ei, quem non audiérunt? Quómodò áutem áudient «sinè prædicánte?» Ergo, extérior confessio Fídei est necessária ad propagatiónem, et unitátem Ecclésiæ conservándam. Ergo, cadit sub præcépto.

701. Schólion. In hujus doctrínæ dilucidatiónem, dícimus cum D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 3, *art.* 2: «Quòd ea, «quæ sunt necessária ad salútem, cadunt «sub præcépto divínæ legis. Confessio «áutem Fidei, cùm sit quoddam affir-«matívum, non potest cádere nisi sub «præcépto affirmatívo. Undè eódem mo-«dò est de necessáriis ad salútem, quò «modò potest cádere sub præcépto affir-«matívo divínæ legis. Præcépta áutem «affirmatíva non óbligant ad semper, etsi «semper óbligent; óbligant áutem pro lo-«co et témpore, secúndùm álias circums-«tántias débitas, secúndùm quas opór-«tet actum humánum limitári ad hoc «quòd sit actus virtútis. Sic ergo, confi-«téri Fidem, non semper, neque in quó-«libet loco, est de necessitáte salútis; «sed in áliquo loco et témpore, quandò «scílicèt per omissiónem hujus confessió-«nis subtraherétur honor débitus Deo, «et étiam utílitas próximis impendénda; (*intéllige non purè negativè, sed privatívé, id est, quándò ex omissióne hujus confessiónis sequerétur ignominia Deo, vel periculum divínæ inhonoratiónis, aut próximi utílitas negligerétur*) puta, si áliquis interrogátus de «Fide tacéret, et ex hoc crederétur, vel «quòd non habéret Fidem, vel quòd Fi-«des non esset vera, vel álii per ejus ta-«citurnitátem averteréntur à Fide. In «hujúsmodi enim cásibus confessio Fí-«dei est de necessitáte salútis.»

Hucúsque de præcépto divíno Fidem confiténdi. Ex præcépto áutem Ecclesiásticò expréssò in Concílio Tridentíno, *Sess.* 24, *c.* 12 *de Refor.*, et in Bulla S. Pii V *Sacrosancta*, tenéntur professiónem Fídei édere omnes promovéndi ad Benefícia curam animárum habéntia, et ad Canonicátus, aut Dignitátes Cathedráles. Item Doctóres, et Professóres in Académiis.

CAPUT V.

DE VÍTIIS FÍDEI OPPÓSITIS.

702. Fídei oppónitur Infidélitas ; Confessióni Fídei oppónitur Blasphémia. De utróque vítio ea delibábimus, quæ pro Tyrónum notítia, nobis vidéntur sat esse.

§ I.

De Infidelitáte.

703. Infidélitas in commúni est caréntia Fídei. Hæc potest esse vel negatíva, vel privatíva, vel contrária. Infidélitas negatíva est caréntia Fídei in eo, qui vel nihil audívit de Fide; vel non audívit sufficiénter. Privatíva est, caréntia Fídei in eo, qui de Fide audívit sufficiénter, et non vult ei assentíri, ábsque eo tamen quòd contrárium ásserat. Contrária est caréntia Fídei in eo, qui sufficiénter de Fide instrúctus, non solùm detréctat illam amplécti, sed étiam contrárium ásserit, et errórem positívum contra Fidem sústinet.

704. Si Infidélitas attendátur secúndùm errórem in divérsis, quæ pértinent ad Fidem, spécies Infidelitátis sunt quidem plures, sed indeterminátæ quoad número, possunt enim erróres in infinítum multiplicári. Si verò Infidélitas attendátur secúndùm comparatiónem ad Fidem, sunt tres Infidelitátis spécies, nempè, Paganísmus, Judáismus, et Hæresis : quia peccátum Infidelitátis consístit in reniténdo Fídei; tripliciter áutem quis potest reníti Fídei : vel enim áliquis renítitur Fídei, quam número quàm profétsus est se suscípere ut veram; et hæc est Infidélitas Paganórum: vel áliquis renítitur Fídei, quam támquàm veram profétsus est in figúra; et hæc est Infidélitas Judæórum: vel tandem áliquis renítitur Fídei, quam támquàm veram profétsus est post veritátem per Christum, ejúsque Apóstolos manifestátam; et hæc est Infidélitas Hæreticórum.

Ad Paganísnum pértinent Athéi, Deístæ, et Mahometáni, si número quàm baptizáti fúerint, et fidem fúerint profétssi. Apostasía non vidétur distíngui ab hæresi, nisi secúndùm magis, et minùs; quia Apóstata déserit totam fidem, quam profétssus est; hæréticus áutem partem tantùm, intéllige, *objectivè*, nam *subjectivè*, qui discrédit vel unum artículum fídei, fidem amíttit circa omnes artículos, quos enim retinére vidétur, non rétinet propter Dei testimónium, sinè quo fides nequit subsístere, nam negándò vel únicum fídei artículum, ómnium étiam aliórum ratiónem formálem, sub qua credi debent, negat, scílicèt Dei infinítam veracitátem.

Inter Infidelitátis spécies méritò non annumerátur Infidélitas negatíva, quia hæc non est peccátum, prout contra

Bajum definiérunt S. Pius V, et Gregórius XIII.

705. Atténtô jure natúræ, peccat primò, qui fide semel susceptâ dísputat támquàm dúbitans de fide, quia dúbius in fide est infidélis, ut habétur C. *Dúbius*, extra de hæréticis : secúndò peccat, qui dísputat cum scándalo infirmórum, quorum scílicèt fides ex disputatióne magìs qüassátur, quàm firmétur : tértiò, qui non est satis doctus ad arguménta infidélium solvénda.

Atténtô jure Ecclesiásticò, prohíbitum est sub pœna Excommunicatiónis ómnibus Láicis disputáre de Fide, sive públicè, sive privatim. Ita Cap. *Quicúmque* de hæret. in 6, ubi Alexánder IV, ait : «Inhibémus, ne cuíquam «Láicæ persónæ líceat públicè, vel pri«vátim de Fide Cathólica disputáre. Qui «verò contrà fécerit, Excommunicatióni «innodétur.»

Circa hujúsmodi decrétum plura occúrrunt observánda. Primò observándum est, per tale decrétum non solùm disputatiónem cum Infidélibus prohibéri, sed omnem disputatiónem de Fide Cathólica. Secúndò, per *Láicos*, non intélligi illiterátos, ut quidam volunt, sed eos, qui commúniter intelligúntur Láici, scílicèt, qui non sunt Clérici, vel Deo consecráti ; ut habétur 12, *q.* 1, undè quámvis Religiósi Convérsi dicántur Láici, ad distinctiónem córum, qui sacris Ordínibus initiántur, non sunt Láici simpliciter, sed Ecclesiásticæ persónæ, Cap. *Non dúbium* de Sentent. Excom. et Cap. *Quisquis* 17, *q.* 4. Quapróptter, quámvis illis non cómpetat, sicut nec Moniálibus, disputáre de Fide, propter insufficiéntiam ; præfátô tamen Decrétô nec illi, nec istæ ligántur. Tertiò, pœnam excommunicatiónis in præfáto Decréto expréssam, non esse latæ, sed feréndæ senténtiæ, ut notat Glossa in idem caput, et ipsa ejus verba índicant. Quartò, cùm odiósa, et pœnália non sint extendénda, sed pótiùs restringénda, Tò *disputáre* est accipiéndum formáliter ; non verò materiáliter, vidélicet, cùm fit honóris vel exercítii causâ ; sic vidémus quotídie, in públicis disputatiónibus Láicos árgüere, et respondére in matériis Fidei. Tunc enim se habent véluti Mílites agéntes quod ajunt *Simuláchrum :* qui sese dívidunt in duas turmas simulántes se ad ínvicem inimícas, adeóque spécie tenùs in ínvicem pugnántes.

Notándum dúcimus cum Cajetáno, quòd in casu necessitátis, vel magnæ utilitátis, uti foret si hærétici pervérterent fidéles, et non adéssent Ecclesiástici, qui Fídei partes defénderent, tunc licéret per Epikiam Láico docto dísputáre.

706. Petes : An Infidéles vî possint cogi ad Fidem amplecténdam ? Cui quæsito sub hac distinctióne respondémus : esse quosdam Infidéles, qui núnquàm Fidem suscepérunt ; quosdam verò, qui eam aliquándò suscepérunt. Quoad primos ergo dícimus cum D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 10, *art.* 8, quòd «tales nul«lò modò sunt ad Fidem compelléndi, «ut ipsi credant : quia crédere voluntá«tis est : sunt tamen compelléndi à fi«délibus, si adsit facúltas, ut Fidem non «impédiant, vel blasphémiîs, vel malîs «persuasiónibùs, vel étiam apértîs per«secutiónibùs. Et propter hoc fidéles «Christi frequénter contra infidéles bel«lum movent, non quidem ut eos ad «credéndum cogant, quia si eos vicís«sent, et captívos habérent, in córum «libertáte relínquerent an crédere vel«lent ; sed propter hoc, ut eos com«péllant, ne Fidem Christi impé«diant.»

Proféctò : Ecclésia, quæ fidus est In-

térpres voluntátis Christi, próhibet, ne Infidéles, qui númquàm Fidem suscepére, vi ad Fidem compellántur. Sic, Concílium Tolet. IV, occasióne Regis Sisebúti, qui Judæos ad Baptísmum compúlerat, zelum ejus láudans, sed factum ímprobans, státuit *Can.* 57 : De «Judæis præcipit Sancta Synodus némini «deínceps vim inferre... Non vî, sed lí«beri arbítrii facultáte, ut convertántur, «suadéndi sunt, non pótiùs impellén«di.» Et Innocéntius III, *c. Majóres*, de Baptísmo, expónens præfátum cánonem, inquit : «Est Religióni Christiánæ con«trárium, ut semper invítus, et pénitùs «contradícens, ad servándam Christia«nitátem áliquis compellátur.» Et Cœlestínus III, cap. *Sicut Judæi* tit. *de Judæis*, inquit : «Statúimus, ut nullus «invítos vel noléntes Judæos ad Baptís«mum veníre compéllat.»

707. Quoad secúndam partem quæsíti, respondémus cum D. Thom. ibid. ; eos infidéles, qui Fidem áliquándò suscepérunt, ut Hæréticos, et Apóstatas, posse compélli ut ímpleant quod promisérunt, et servent quod semel suscepérunt. In Jure, cap. *Contra Christiános* de Hæret. in 6, cap. *Majores* de Baptísmo, et cap. *de Judæis*, D. 45, desumptô ex Conc. Tolet. IV, decernitur, ad Fídei Christiánæ observántiam cogéndos esse étiam illos, qui metû Baptísmum suscepérunt ; et eos, qui in infántia baptizáti sunt, quámvis númquàm próprio actû profêssi fúerint. Quod et definívit Concílium Tridentínum, *Sess.* 7, *can.* 14, hîs verbîs : «Si quis díxe«rit, hujúsmodi párvulos baptizátos, «cùm adoléverint, interrogándos esse, «an ratum habére velint, quod Patríni «eórum nómine, dum baptizaréntur, «pollíciti sunt ; et ubi se nolle respón«derint, suo esse arbítrio relinquéndos ; «nec aliâ intérim pœnâ ad Christiánam «vitam cogéndos, nisi ut ab Eucharís«tia, aliorúmque Sacramentórum per«ceptióne arceántur, donec resipíscant ; «anathéma sit.» Ex quibus sic argüimus ; si qui metû, vel in infántia Fidem suscepérunt, possunt vî ad Fidem servándam cogi ; nullus erit ex his, qui aliquándò Fidem suscepére, qui néquëat per vim compélli, ut ímpleat, quod promísit, et servet, quod semel suscépit. Sententiam contrárium, quam aliquándò ténuit Augustínus, revocávit *epist. ad Vincéntium* 48, ínquiens : «Hæc «prímitùs mea sententia erat, néminem «ad unitátem Fídei esse cogéndum, «verbô esse agéndum, disputatióne pug«nándum, ratióne vincéndum, ne fictos «Cathólicos haberémus, quos apértos «hæréticos noverámus. Sed hæc opínio «mea, non contradicéntium verbîs, sed «demonstrántium superabátur exémplis. «Nam primò opponebátur Cívitas mea, «quæ cùm tota esset in parte Donáti, «ad unitátem Cathólicam timóre legum «Imperiálium convérsa est..... Harum «legum terror, quibûs promulgándis «Reges sérviunt Dómino, in timóre ita «prófuit, ut nunc multi dicant ; Grá«tias Dómino, qui víncula nostra dirú«pit.»

708. Neque huic adversátur sententiæ, quòd Pater Famílias, *Matth.*, *c.* 13, servis suis ab eo quæréntibus, «Vis, «imus, et collígimus ea (*zizánia*)» respónderit : «Non ; ne forté colligéntes «zizánia, eradicétis simul cum eis et «tríticum :» nam ut ait S. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 10, *art.* 8, *ad* 1 : «Satis «osténditur, sicut Augustínus dicit con«tra epist. Parmeniáni, lib. 3, c. 11, «cùm metus iste non subest, id est, «quándò ita cujúsque crimen notum est «ómnibus, et execrábile appáret, ut «nullus prorsùs, vel non tales hábeat «defensóres, per quos possit schísma

«contíngere, non dórmiat sevéritas dis-«ciplínæ »

Ex his benè perpénsis appáret, hanc nostram sententiam mínimè labefactáre illud commúne prolóquium ex August. desúmptum : *crédere voluntátis est:* nam ut ait D. Thom., *ibid., ad* 3 : «Sicut vovére est voluntátis, réddere «áutem necessitátis; ita accípere Fidem «est voluntátis, sed tenére eam accép-«tam est necessitátis. Et ídeò, hærétici «sunt compelléndi ut Fidem téneant.» Non ergo cogúntur hærétici, neque co-gi potuérunt, ut Fidem, Fideíve Sacra-méntum, seu Baptísmum accípiant; sed cogúntur tantùm ut Fidem retíneant, quam tenebántur non desérere, et ut ímpleant quod semel in Baptísmo pro-féssi sunt, seípsos enim obligavérunt ad ea retinénda; quâ tamen compulsió-ne, non hoc ágitur ut invíti credant, sed ut vexatióne dante intelléctum, ex no-léntibus fiant voléntes.

709. Hæresis, quam supra num. 704 díximus, esse infidelitátis spéciem, est vox Græca electiónem impórtans, quia hæréticus próprió judició éligit credéndum, quod vult. Huic affínis est vox, *Secta*, dicta à sectándo speciálem opiniónem. Id quámvis sumi possit in bonam partem, usû tamen Scriptúræ, Patrum, et Theologórum in malam par-tem accípitur.

Hæresis est *error pértinax*, adeóque voluntárius, «manifestè in matéria Fídei «contrárius Fídei in eo, qui Fidem «Christi in veritáte proféssus est.» Vid. D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 11, *art.* 1.

Dícitur *error contrárius Fídei;* quia Hæresis est vítium Fídei oppósitum. Dí-citur *manifestè contrárius Fídei;* quia si quis tenéret áliquid Fídei quidem contrárium, de quo certum, et mani-féstum non foret, quòd illi contrárium esset, non foret próprié loquéndô Hæ-réticus : illud áutem est certò, et mani-féstè de Fide, quod est maniféstè, et certò à Deo revelátum, et ab Ecclésia propósitum, ut tale. Dícitur *error in eo, qui Fidem Christi in veritáte proféssus est*, ut à Paganismo, et Judáismo dis-tinguátur. Dícitur *error pértinax*, et hæc partícula majórî índiget explicatió-ne, eò quia est próprius hæréseos cha-rácter. Pertinácia ígitur in subjécta matéria, est obstináta adhæsio própriæ sententiæ contra Fidem sufficiénter ma-nifestátam, ita ut áliquis contradícat Fídei, non ex ignorántia, sed ex motió-ne malæ voluntátis, seu præcisè, quia vult; ita ut de illo dici possit, quod de pertinácibus in áliis matériis dici solet : *stat pro ratióne voluntas.* Hujúsmodi pertináciam ad Hæresim requíri, patet ex eo quòd sicut ad Fidem, ut díximus num. 675, requíritur pia mótio voluntá-tis intelléctum inclínans ad assentién-dum certò veritáti obscúrè revelátæ; ita ad Hæresim, quæ Fídei oppónitur, re-quíritur prava affféctio voluntátis ad dis-sentiéndum pertináciter veritáti revelá-tæ. Id constat ex Jure, ex cap. *Dixit;* et ex cap. *Qui in Ecclésia;* causâ 24, q. 3; et ex Clement. *Ex gravi*, L. 5. *De usúris*, ubi non agnoscúntur pro Hæréticis, nisi qui fúerint pertináces in áliquo Fídei artículo negándô : et Concílium Later. sub Innocéntio III ex-cúsat ab Hæresi Abbátem Jóachim eò quòd pértinax non fúerit. Undè Augus-tínus, *lib. 4 contra Donat., cap.* 16 *de errânte circa Fidem*, dicit : «Istum «nondùm Hæréticum dice, nisi mani-«festátæ sibi Doctrínæ Cathólicæ Fídei «resístere malúerit, et illud, quod te-«nébat, elégerit.» Et *lib.* 3 *de Anima, cap. ult.* : «Ista si pertináciter síngula «defendántur, tot Hæreses fácere pos-«sunt, quot opiniónes numeréntur.»

Hinc in provérbium transiit istud ejúsdem S. Doctóris dictum : «Erráre póte«ro, Hæréticus non ero ;» defectû scílicêt pertináciæ. Idem docet S. Thomas, *quæst.* 8 *de Malo;* et in *caput* 11, *Epist.* 1.ª *ad Cor.*, *lect.* 4. Notándum, quòd ad pertináciam non requirátur diutúrnitas témporis, neque quòd quis sit plúriès canónicè mónitus ; sed súfficit voluntárius dissénsus Fídei per Ecclésiam sufficiénter propósitæ, quod quidem potest habéri in instánti.

710. Hæresis dividitur in materiálem, et formálem. Formális est, quam definívimus, et hucúsque explicúimus. Materiális est, error hóminis baptizáti contra veritátem Fídei ex ignorántia, et sinè pertinácia.

Iterùm, dividitur hæresis in intérnam tantùm, extérnam tantùm, et in intérnam et extérnam simul. Intérna tantùm est error voluntárius et pértinax, modò supra dictô, contra Fidem in sola mente sistens, et nullô signô exteriôrî manifestátus. Extérna tantùm est, cùm quis ore, vel factô negat Fidem corde reténtam. Intérna, et extérna simul est, quæ mente concépta, verbô vel signô extériùs manifestátur, etiámsi nemo aósit ; modò sit tale signum, ut si quis adésset, intellígeret artículum Fídei negári. Hæc hæresis, occúlta *per ácciděns* nuncupátur.

Apostasía à Fide, est desértio totíus Fídei ; et per hoc distínguitur ab Hæresi, quæ est desértio Fídei quoad partem tantùm. Qui plura circa dicta in hoc Parágrapho desíderet, áđeat D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 10, 11 *et* 12.

§ II.

De Blasphémia.

711. Sicut Infidélitas oppónitur Fídei ; ita et Blasphémia confessióni Fídei adversátur. Blasphémia definíri potest : «Cordis, vel oris locútio, quâ per mo«dum convícii dícitur áliquid dérogans «excellántiæ divínæ Bonitátis :» brévius: «Contumeliósa contra Deum locútio.» Explicántur primæ definitiónis verba. Dícitur *cordis, vel oris locútio ;* quia et ore, et corde lóquimur, et Dæmones qui mente tantùm loquúntur, blasphémant. Dícitur *per modum convícii ;* per quod blasphémia distínguitur ab infidelitáte símplici, quæ in assénsu contra fidem consístit ; ad blasphémiam áutem non requíritur assénsus contra Fidem, sed súfficit quòd de Deo dicátur áliquid per modum convícii. Hic sédulò notándum, quòd ad blasphémiam non requíritur explícita, et expréssa inténtio Deum conviciándi, et inhonorándi ; sed súfficit virtuális et implícita, quátenùs per verba, aut per modum ea pronuntiándi, juxta commúnem apprehensiónem Deus dehonorátur, et contémnitur. Dicitur *dérogans excellántiæ divínæ Bonitátis:* et hoc fit, non solùm quándò diréctè contra Deum áliquid contumeliósè dícitur ; sed étiam cùm, ita dicitur contra Sanctos et res sacras, tamen cum áliqua habitúdine saltem virtuáli ad Deum; ut enim ait D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 13, *art.* 1, *ad* 2: «Sicut Deus in Sanc«tis suis laudátur, in quantùm laudán«tur ópera, quæ Deus in Sanctis éfficit; «ita et blasphémia, quæ fit in Sanctos, «ex consequénti in Deum redúndat.» Si áutem áliquis contra res sacras, et Sanctos, secúndùm se contumeliósè loquerétur, non esset próprie blasphémia, sed

vítium irreligiositátis Dulíæ oppósitum.

712. Blasphémia divíditur in hæreticálem, et non hæreticálem. Hæreticális est, quæ ásserit áliquid contrárium Fídei, aut negat áliquid ad Fidem pértinens. Non hæreticális est, quæ licet nihil contra fidem apértè contíneat, ea tamen quæ sunt Fídei, contemptibíliter, et contumeliósè, quasi essent vituperabília, profert. Divíditur secúndò blasphémia in eam, quæ est secúndùm errórem intelléctùs tantùm, non adjúnctâ detestatióne, seu ódiô voluntátis, ut dum Calvinísta dicit: *Deus est cáusa peccáti:* et in eam, quæ est ex sola detestatióne voluntátis, seu, ódiô in Deum, àbsque erróre, saltem explícitô, intelléctùs, ut qui profert contumeliósè caput, aut sánguinem Christi; et in eam, quæ simul est secúndùm errórem intelléctùs, et malítiam voluntátis, seu Dei ódium: et hæc est perfécta Blasphémia.

CAPUT VI.

DE SPE.

713. Spes sumpta pro virtúte theológica, de qua loqui modo aggrédimur, defíniri potest: «Virtus à Deo infúsa, «quâ ab infiníta ipsíus misericórdiâ, et «omnipoténtiâ, bona nobis præparáta «expectámus.» In hac definitióne tria concludúntur, scílicèt, objéctum nostræ Spei, charactéres, et fundaméntum.

714. Circa objéctum Spei commúniter considerátæ sermónem instítuens D. Thomas, 1.ª 2.æ *q.* 40, *art.* 1.°, inquit, quòd «quátuor conditiónes attendúntur. Primò quidem quòd sit bonum; «non enim própriè loquéndò est Spes ni«si de bono; et per hoc differt Spes à «Timóre, qui est de malo. Secúndò, ut «sit futúrum; non enim spes est de «præsénti jam hábitò; et per hoc dif«fert Spes à Gáudio, quod est de bono «præsénti. Tértiò requíritur, quòd sit «áliquid árduum cum difficultáte adipis«cíbile; non enim áliquis dícitur áli«quid speráre minimum, quod statim «est in sua potestáte, ut hábeat; et per «hoc differt Spes à desidério, vel cupi«ditáte, quæ est de bono futúro absolú«tè, undè pértinet ad concupiscíbile, «Spes áutem ad irascíbile. Quártò, quòd «illud árduum sit possíbile adipísci; «non enim áliquis sperat id, quod om«nínò adipísci non potest; et secúndùm «hoc differt Spes à Desperatióne.»

Hæc in alláta Spei theológicæ definitióne comprehendúntur, nam quæ sperámus á Deo, sunt quidem bona, et futúra, et nobis quidem árdua, adéptù tamen possibília; undè Apóstolus ajébat: *Spe salvi facti sumus.*

715. De objécto Spei actúri, triplex esse prænotámus; objéctum *Materiále; Formále quod; et Formále quo:* vide quæ in hanc rem díximus num. 641.

Objéctum materiále Spei adæquátum, et extensívum, est ætérna Beatitúdo, et ómnia ad eam conducéntia, quia hæc ómnia cadunt sub objécto *quo*, seu sub ratióne formáli ejus, quæ est Omnipoténtia Dei auxílians. Beatitúdo tamen comparáta ad réliqua, quæ sperámus, est objéctum primárium, et principále, quia est id, quod principáliter sperátur, cætera áutem ratióne illíus sperántur. Cùm áutem Beatitúdo distinguátur in formálem, nempè in actum quô Deum conséquimur, seu possidémus; et in objectívam, quæ est ipse Deus; dícimus, quòd objéctum formále *quod* Spei, non est Beatitúdo formális, seu consecútio Dei, sed est Beatitúdo objectíva, scílicèt, ipse Deus, ut cónnotans tamen consecutiónem suî, ita ut Dei consecútio non sit objéctum formále *quod* Spei, sed tantum ejus condítio. Spes enim est virtus Theológica; Ergo, in objécto ejus primário, seu *formáli quod*, nihil reperíri potest quod non sit Deus: Ergo, etc.

Íterùm idem est objéctum quod primáriò sperámus, ac illud in quo primáriò quiescémus in Pátria, sicut idem est locus in quem tendit lapis per suum motum naturálem, ac ille in quo post suum motum naturálem quiéscit: Atqui, id, in quo primáriò quiéscet appetítus noster in Pátria, erit solus Deus, quia ipse solus est infinítum bonum potens nostrum appetítum satiáre, undè Psalmísta «Satiábor cùm apparúerit glória tua:» Ergo, objéctum primárium, seu *formále quod* Spei; etc. Ergo, consecútio Dei non est objéctum *formále quod* Spei, sed tantum ejus condítio.

Objéctum *formále quo* Spei est Omnipoténtia divína auxílians, id est, præbens, aut ófferens auxília ad Beatitúdinem obtinéndam. Id constat ex his D. Thom. verbis, 2.ª 2.æ *quæst.* 17, *art.* 6. «Spes, et Fides fáciunt hóminem in«hærére Deo sicut cuídam princípio, ex «quo áliqua nobis provéniunt. De Deo «áutem próvenit nobis et cognítio veri«tátis, et adéptio perféctæ bonitátis. Fi«des ergo facit, hóminem Deo inhærére «in quantùm est nobis princípium cog«noscéndi veritátem: crédimus enim, «ea vera esse, quæ nobis à Deo dicún«tur. Spes áutem facit Deo inhærére, «prout est in nobis princípium perféctæ «bonitátis, in quántùm scílicèt per Spem «divíno auxílio innítimur ad Beatitúdi«nem obtinéndam.» Ex quibus sic argüimus: sicut Fides inhæret Deo, ut princípio revelánti veritátem; ita Spes ipsi innítitur ut princípio auxiliánti ad Beatitúdinem obtinéndam: Atqui, Deus ut revélans, est objéctum *formále quô* Fídei, seu rátio formális *qua* credéndi, ut osténdimus num. 643. Ergo, Deus ut auxílians, est objéctum formále *quo* Spei, seu rátio formális *qua*, sperándi.

716. Hinc fluit, fundaménta Spei nostræ esse Dei omnipoténtiam, et misericórdiam; undè David in psalm. 13, ajébat Dómino: «Ego áutem in miseri«córdia tua sperávi.» Sunt item infiníta Salvatóris nostri Jesu Christi mérita, Sanctórum quoque, qui sunt in Cœlis, ac imprímis B. Maríæ Vírginis, Dei Genitrícis intercéssio, aliaque hujus géneris, præcipuè áutem Dei grátia efficax, ex qua ómnia nostra bona soboléscunt. Præstat audíre D. Thomam, 2.ª 2.æ *quæst.* 17, *art.* 4, inquiéntem: «Spes «duo réspicit, scílicèt bonum quod ob«tinére inténdit, et auxílium, per quod «illud bonum obtinétur. Bonum áutem, «quod áliquis sperat obtinéndum, habet «ratiónem cáusæ finális: auxílium áu«tem, per quod áliquis sperat illud bo«num obtinére, habet ratiónem cáusæ «efficiéntis... Spes réspicit beatitúdinem «ætérnam, sicut finem últimum; divínum

«áutem auxílium, sicut primam cáusam «inducéntem ad beatitúdinem.» Post hæc áutem lóquens D. Thomas ibid. de auxíliis hóminum, vel Sanctórum, qui in Cœlis sunt, vel vivéntium in terris, docet, posse nos de his aliquómodó speráre, «sicut de agénte secundário, et instrumentálî, per quod áliquis adjuvátur ad quæcúmque bona «consequénda, in beatitúdinem ordináta. Et hôc modò, ad Sanctos con«vértimur et ab homínibus étiam áliqua «pétimus.»

717. Ex his inférre licet, charactéres Spei esse potíssimùm, desidérium, et fidúciam. Desidérium quidem; neque enim potest áliquis ea speráre, quæ nullò modò nec amat, nec concupíscit. Hâc de causâ Christus dicébat, *Matth.*, *cap.* 5, *v.* 6: «Beáti, qui esúriunt, et sítiunt «justítiam, quóniam ipsi saturabúntur.» Quæ verba ita commentátur S. Augustínus in *psalm.* 64, *num.* 8: «Ut indè «satiéris, cùm pervéneris, hoc te opórtet «esuríre, et sitíre, cùm peregrináris.» Fidúcia verò, quâ obtentúros nos ea bona, quæ cúpimus, certò confidámus: *Certò* ínquimus, non quidem certitúdine Fídei, quemádmodùm áliqui inter Protestántes sómniant; sed certitúdine Spei, quæ divínæ misericórdiæ, et omnipoténtiæ innítitur. Hæc tamen fidúcia non exclúdit salutárem illum timórem, qui nobis in sacris Lítteris sæpíssimè inculcátur, juxta illud *epist. ad Philipp.*, *cap.* 2, *v.* 12: «Cùm metu, et tremóre ves«tram salútem operámini.» Quod étiam exémplò suò nos docuit idem Apóstolus, *epist.* 1.ª *ad Cor.*, *cap.* 9, *v.* 27, ínquiens: «Ne fortè cùm áliis prædicáverim, ipse réprobus efficiar.» Quæ verba ita pulchrè commentátur S. Aug. apud S. Thomam in hunc locum Apóstoli Páuli: «Suô timóre nos térruit Após«tolus. Quid enim fáciet Agnus, ubi «Aries trémit? Quid fáciet infírmus, ubi «timet fórtior?»

718. Hic timor est médius inter Spem, et Desperatiónem. Timor áutem commúniter loquéndô est quádruplex, vidélicet, mundánus, servílis, filiális, et initiális. Contíngit quandóque, quòd homo propter malum, quod timet, recédat à Deo; et hic est timor mundánus: quandóque è contrà, propter malum, quod timet, convértitur ad Deum; hoc áutem malum est duplex, vidélicet pœnæ, et culpæ: si ergo áliquis convertátur ad Deum propter timórem pœnæ, est timor servílis, quia servórum est timére pœnam: si áutem convertátur ad Deum propter timórem culpæ, timor filiális appellátur, nam filiórum est timére offénsam Patris: si verò convertátur ad Deum, tum propter timórem pœnæ, tum propter timórem culpæ, timor initiális nuncupátur, qui est médius inter timórem servílem, et filiálem.

Ac curátè notándum est, quòd timor servílis considerári potest secúndùm suam substántiam, et secúndùm ejus, ut ajunt, servilitátem. Timor servílis secúndùm substántiam, nihil áliud est, quàm timor pœnæ: præcísè áutem timére pœnam, quæ est quoddam malum, bonum est: Christus ipse ad hunc timórem nos hortátur ínquiens: «Timéte «eum, qui potest et corpus, et ánimam «pérdere in gehénnam.» Servílitas áutem timóris est, cùm pœna annéxa culpæ timétur ut summum, et principále malum, ita ut, si non esset pœna, committerétur culpa: hæc servílitas est mala, quia inordinátum est plùs timére minùs malum, quàm majus; pœna áutem est minùs malum, quàm culpa.

De timóre, tum servíli, tum filiáli, ait D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 19, *art.* 10, *ad* 2: «Timor pœnæ est, qui di-

«minúitur, crescénte Spe; sed eâ cres-«cénte crescit timor filiális, quia quán-«tò áliquis cértiùs expéctat alicújus bo-«ni consecutiónem per auxílium alté-«rius, tantò magis verétur eum offén-«dere, vel ab eo separári.»

Timor servílis non rémanet in Pátria, quia Beáti sunt de suæ beatitúdinis perpetuitáte secúri. Timor filiális secúndùm áliquid rémanet, et secúndùm áliquid non rémanet in Pátria, quia timor filiális duos habet actus, scílicèt, Deum reveréri, et quantùm ad hunc actum manet: undè Psalmísta, *psalm.* 18, *v.* 10, ajébat: «Timor Dómini sanctus, «pérmanens in sæculùm sæculi;» habet et timére separatiónem à Deo, et quantùm ad hunc actum non manet in Pátria, quia ut díximus, Beáti sunt secúri de Beatitúdinis perpetuitáte.

719. Duo vítia Spei opponúntur; vidélicet, Desperátio, per defléctum; et Præsúmptio, per excéssum. Desperátio est ánimi despónsio, seu motus voluntátis, quò quis réfugit Beatitúdinem adípisci per média ordinária à Deo stabilíta. Præsúmptio est, temerária expectátio Beatitúdinis, mediórumve ad illam obtinéndam. Est áutem expectátio temerária, seu inconsúlta, et infundáta, ex dúplici cápite, scílicet, vel inniténdò nímiùm própriîs víribùs, vel inniténdò inordinátè divínæ misericórdiæ, et poténtiæ. Inniténdò nímiùm própriîs víribûs; ut cùm quis confídit cónsequi própriîs víribûs, siné Dei auxílio, Beatitúdinem, aliúdve bonum supernaturále: Inniténdò inordinátè Dei misericórdiæ et poténtiæ; quátenùs expéctat à Deo beatitúdinem, vel áliud bonum supernaturále eò modò, quò non est possíbile, secúndùm legem à Deo constitútam, et nobis notam, illa obtinéri; ut si quis spérat se véniam peccatórum à Deo consecutúrum siné pœniténtia, vel Glóriam siné méritis etc. Hæc dícitur nímia confidéntia de Dei bonitáte, et misericórdia: nímia, ínquimus, non ex parte Dei, quasi quis posset nímiùm speráre à Deo; sed nímia ex parte nostra, quátenùs sperámus id, quod secúndùm legem à Deo statútam, non est possíbile cónsequi modò, quò Præsúmptio inténdit.

720. Nonnúlli olim Pseudo-Mystici fuére, qui falsâ devotiónis, et sanctitátis larvâ decépti, in eo perfectiónis ápicem constituére, ut omnem spem cœléstis præmii abjícerent, solíusque charitátis puræ, ut ipsi ajébant, motivò operaréntur. Non semel hic error fuit in scenam à Quietístis revocátus, potíssimùm áutem à Michaéle Molínos, qui ómnium Pseudo-Mysticórum fæces collégit. Sed quantùm ad rem nostram spectat, duo erant præcípui illíus erróres: primus; desidérium felicitátis nostræ, atque ætérnæ mercédis expectatiónem puritáti, et perfectióni divíni amóris offícere: secúndus; ánimum propterèa perfectiónis cúpidum, tum ad ætérna supplícia, tum ad beátam felicitátem, oportére, se gérere indifferéntem. Et quámquàm hanc Molínos doctrínam ab Apostólica Sede damnátam boni omnes execrabántur, quidam tamen spirituális vitæ desidérió capti, non satis à Molínos doctrínâ recédere visi sunt, etsi ab impuríssimis ejus móribus longè abéssent. Inter hos numeréntur illústris quædam Matróna de Guyón pietáti majórem in modum dédita, quæ nonnúllis Opúsculis à se éditis, non páucos, præcípuè sequióris sexûs, asséclas invénit; et quod vix credíbile est, in suî admiratiónem traxit celebérrimum étiam Fenelónium, qui póstea Archiepíscopus fuit Cameracénsis. Sed cum póste a Bossuétus Lítteras quásdam Pastoráles de *Statíbus oratiónis* edidísset, Fenelónius contra

eas librum, cui títulus : *L'Explication des máximes des Saints*, públici juris fecit. Hic liber quasi clássicum crudi, et diutúrni belli fuit inter insígnia duo Gallicánæ Ecclésiæ lúmina, Bossuétum, scílicet et Fenelónium : cùmque contentiónes quotídie acerbióres fierent, Apostólicæ Sedis judícium implorátum fuit. Innocéntius XII re quàm diligentíssimè perpénsâ, an. 1699, die 12 Mártii, decretórium emísit oráculum, quô Fenelónii liber damnátus est, «quia ex ejus lec-«tióne, et usu, fidéles sensím in erróres ab «Ecclésia Cathólica jam damnátos indú-«cí possent ;» et ínsuper tres supra vigínti propositiónes ex eódem libro extráctæ, «ut temeráriæ, scandalósæ, «malè sonántes, piárum áurium offen-«sívæ, in praxi perniciósæ, atque étiam «erróneæ,» proscríptæ sunt. Fasces humíllimè submísit Fenelónius, et coràm frequénti multitúdine Pontifíciam Bullam ex suggéstu in Ecclésia legit die 9 April., an. 1699, suúmque librum, ac erróres in eo conténtos, *simpliciter, et absolútè* damnávit : isque fuit diutúrnæ, et impléxæ controvérsiæ finis.

Undè, hunc de Spe Tractátum conclúdimus asseréntes, quantacúmque perfectióne donátos óptimè se gérere, tum desideránte, tum peténtes, tum sperántes cœléstem Beatitúdinem : id quod Régius Vates præstábat, dum *Psalm.* 26 ajébat : «Unam pétii à Dómino, hanc «requíram, ut inhábitem in domo Dó-«mini ómnibus diébus vitæ meæ ;» quæ verba expéndens S. August., *Tract. in Joán.*, inquit : «Quidam suspírans amá-«tor in Psalmis dicit : Unam pétii à «Dómino, hanc requíram..... Quid est «hoc, quod requírit ? ut inhábitem, in-«quit, in domo Dómini per omnes dies «vitæ meæ..... Ut contémpler, inquit, «declaratiónem Dómini..... Tália nobis «præmia promíssa sunt, Fratres mei, «tale áliquid amáte, tali Regno suspirá-«te, et talem Pátriam desideráte.» Tandem ipse Dóminus Regnum cœléste desideráre, pétere, ac speráre dócuit, cùm dixit, sic orábitis : *Advéniat Regnum tuum.* Profectò, præcéptum Spei passìm in Scriptúra occúrrit. *Psalm.* 4 : «Spe-«ráte in Dómino,» et *epist.* 1.ª *S. Petri, cap.* 1, *v.* 13 : «Speráte in eam, «quæ offértur vobis, grátiam etc.» Necessários áutem esse actus Spei ad justificatiónem consequéndam, líquet ex Concil. Trident., *Sess.* 6, *cap.* 6, ajénte : «Disponúntur áutem (*peccatóres*) ad «ipsam justítiam, dum excitáti à divína «grátia, et adjúti..... à divínæ justítiæ «timóre, quô utíliter concutiúntur, ad «considerándam Dei misericórdiam se «converténdô, in Spem erigúntur, fi-«déntes Deum sibi propter Christum «propítium fore, illúmque támquàm «omnis justítiæ fontem dilígere incí-«piunt, etc.» Vid. et *can.* 3.ᵐ *ejusd. Sess.*

Quandò verò óbliget præcéptum Spei, vid. Moralístas, præcípuè Cóncinam, *Theol. Christ.* lib. 1 in Decal., Dissert. 3.ª

CAPUT VII.

DE CHARITÁTE.

721. Sicut Fides Deum réspicit sub ratióne Veritátis primæ ; et Spes sub ratióne Auxiliántis ; ita Cháritas réspicit ipsum sub ratióne summæ Bonitátis : undè per Charitátem Deum, ut in se summum Bonum, dilígimus. Ex quo patet discrímen inter Spem, et Charitátem. Estò enim Spes áliquem Dei amórem inclúdat; hic tamen non est amor Dei, saltem próximè, ut est bonus in se, sed ut bonitátem suam nobis commúnicat : per Charitátem verò Deum dilígimus ut in se bonum, non attendéndò utilitátem nostram ex sua bonitáte proveniéntem, et propterèa per Charitátem Deum dilígere dícimur amóre amicitiæ.

722. Et quòd revérà Cháritas sit amor amicítiæ, ex eo constat, quòd Charitáti ómnia convéniunt, quæ ad veram amicítiam necessáriò requíruntur. Quæ quidem síngula percurréndò, sub brévimus osténdimus. Primò ergo ad veram amicítiam requíritur, quòd diligátur amícus propter se ipsum, seu, ut amíco bonum velímus ; quò amor amicítiæ ab amóre concupiscéntiæ secérnitur. Ut enim ait S. Thomas, 2.ª 2.æ *q.* 23, *art.* 1 : «Si rebus amátis non bonum ve«límus, sed ipsum eárum bonum nobis «velímus, sicut dícimur amáre vinum, «aut équum, aut áliquid hujúsmodi; non «est amor amicítiæ, sed cujúsdam con«cupiscéntiæ : ridículum enim est díce«re, quód áliquis habet amicítiam ad vi«num, vel ad équum :» Atqui, per Charitátem dilígimus Deum propter se ; ex charitáte enim eum dilígimus, ut præcéptum est, ex toto corde, ex tota ánima, ex tota mente, et super ómnia, ómnia et étiam nos ipsos ad eum referéndô : Ergo, in primis, Cháritas Deum propter seípsum díligit.

Secúndò, amicítia requírit, ut inter amántem, et amátum amor sit mútuus ; undè D. Thom. ibid. ait : «Sed nec be«nevoléntia súfficit ad ratiónem amicí«tiæ, sed requíritur quædam mútua «amátio, quia amícus est amíco amí«cus :» et in hoc amor amicítiæ díffert ab amóre símplicis benevoléntiæ; potest enim quis velle bonum alícui, quin iste velit bonum benévolo : Atqui, Cháritas est amor mútuus inter Deum, et creatúram, per charitátem enim dilígimus Deum, quí étiam nos díligit, undè *Proverb.*, *cap.* 8, *v.* 17 : «Ego diligéntes «me díligo;» et *Cant.*, *c.* 2, *v.* 16 : «Diléctus meus mihi, et ego illi ;» et *Joán.*, *c.* 14, *v.* 21 : «Qui áutem díligit «me, diligétur à Patre meo, et Ego dí«ligam eum : etc.» Ergo, Cháritas est amor mútuus inter Deum et creatúram.

Tértiò, requíritur ut hic amor mútuus in áliqua communicatióne fundétur, ut ibid. obsérvat S. Thom. Atqui, Cháritas fundátur in communicatióne, quâ Deus commúnicat seípsum nobis, in præsénti per grátiam, et in futúro per Glóriam, quòd mirè expréssit S. Thom. in Prosa Venerábilis Sacraménti, dicens :

Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

Hanc áutem communicatiónem habéri ratióne charitátis, expréssit ipse Christus, *Joán.*, *c.* 14, *v.* 23, ínquiens : «Si «quis díligit me, sermónem meum ser«vábit, et Pater meus díliget eum et ad «eum veniémus, et mansiónem apud «eum faciémus.» Ergo, amor mútuus, qui est inter Deum et creatúram per charitátem in áliqua communicatióne fundátur. Ergo, cùm cháritas comprehéndat conditiónes ad amicítiam requisítas, est vera amicítia.

723. His non obstat, quòd juxta præcéptum Dómini apud Matthæum, ex charitáte teneámur dilígere inimícos, qui tamen nos non rédamant, neque in áliquo nobíscum communícant; ut enim S. Thom. *ibid.*, *ad* 2, obsérvat, «ami«cítia se exténdit ad áliquem duplicíter. «Unô modô respéctû sui ipsíus, et sic «amicítia númquàm est nisi ad amí«cum ipsíus. Aliô modô se exténdit ad «áliquem respéctû altérius persónæ, si«cut si áliquis habet amicítiam ad áli«quem hóminem, ratióne ejus díligit «omnes ad illum hóminem pertinéntes, «sive fílios, sive servos, sive qualiter«cúmque ei attinéntes ; et tanta potest «esse diléctio amici, quòd propter amí«cum aménturhi, qui ad ipsum pérti«nent, etiámsi nos offéndant, vel ódiant: «et hoc modô amicítia charitátis se ex«téndit étiam ad inimícos, quos dilígi«mus ex charitáte in órdine ad Deum, «ad quem principáliter habétur amicítia «charitátis.» Undè patet, quòd cùm dícitur, amórem amicítiæ debére esse mútuum inter amántem, et amátum, ac in áliqua communicatióne inter utrumque fundátum, intélligi debet quantùm ad eos, cum quibus principáliter, et ratióne sui est amicítia, ut idem S. Thomas docet in 3 *Dist.* 27, *quæst.* 2, *art.* 1, *ad* 8.

724. Si áliquis nobis objécerit ad ratiónem amicítiæ requíri, quòd amícus propter seípsum diligátur, et non propter amántem ; Deum áutem non amáre hómines propter ipsos, sed propter semetípsum, juxta illud Proverbiórum, *c.* 16, *v.* 4: «Univérsa propter seme«típsum operátus est Dóminus» adeóque Deum non dilígere hómines amóre charitátis : respondémus, quòd cùm dícitur ad ratiónem amicítiæ requíri quòd amícus diligátur propter seípsum, et non propter amántem, sensus est, quòd amans amóre prosequátur amátum, eique cónferat benefícia, non propter suam, sed propter amáti utilitátem : non est áutem sensus, quòd bonum, quod amans vult amíco, sit rátio, cur amans illum amet, illíque cónferat benefícia; quin è contrà, tantò generósior, et perféctior est amicítia, quantò amátus nihil in se amábile habens, ex sola voluntáte gratúita amántis dilígitur, ejúsque benefíciîs cumulátur. Sic ergo Deus díligit creatúras ex sola sua bonitáte, eísque sua bona commúnicat, non propter suam divínam utilitátem, scríptum est enim psalm. 15 : *Bonórum nostrórum non índiget Dóminus;* sed ut creatúris benè sit in ipso, támquàm in Summo Bono, et támquàm últimô fine omnis creatúræ.

725. Ex his patet, nullam implicántiam secum invólvere, quòd per charitátem diligámus próximum et propter se, et propter Deum; nam dícimur dilígere próximum propter se, quátenùs cum dilígimus non propter nostram, aut altérius, sed propter própriam ipsíus próximi utilitátem : dícimur áutem dilígere próximum propter Deum, quátenùs Deus est últimus finis, ad quem omnis

nostra diléctio, sicut et cætera ómnia, debent ordinári.

726. De objécto charitátis sermónem instituéntes, dícimus, Deum esse rem amátam per charitátem, undè est ejus objéctum materiále, primárium tamen et principále; per charitátem enim principáliter intellígimus dilectiónem Dei, juxta illud: «Díliges Dóminum Deum «tuum; hoc est primum, et máximum «mandátum.» Dícimus páriter, tum nostrum próximum esse diligéndum ex charitáte, adeóque ad ejus objéctum materiále pertinére, sed secundárium: utrúmque constat ex eódem *Matth.*, *c.* 22: «Díliges próximum tuum sicut te «ipsum;» hoc est secúndum mandátum.

Cùm áutem Deus sit objéctum principále, et primárium charitátis, est id ratióne cujûs cætera diligúntur, et ipsum propter se, adeóque est étiam objéctum *formále quod* charitátis.

Objéctum áutem *formále quo* charitátis, seu rátio formális motíva, est bónitas increáta sicut est in se, et propter se amábilis, lúmine supernaturálî cognoscíbilis. Id collígitur ex Scriptúra, quæ Dei bonitátem propónit nobis ut motívum amóris; sic *Psalm.* 105 *et* 106, *v.* 1: «Confitémini Dómino, quó«niam bonus;» *Psalm.* 134, *v.* 3: «Laudáte Dóminum, quia bonus Dómi«nus etc.» Deindè suádet rátio: motívum amóris non est nisi áliquid sub ratióne boni; cháritas áutem est amor: Ergo, motívum charitátis est áliquid bonum, et cùm cháritas sit amor Dei, bónitas divína est rátio formális motíva ipsíus charitátis; et quidem, non prout hæc bónitas divína nobis áliqua confert bona, sic enim est objéctum Spei; sed prout est in se, et propter se amábilis, seu digna, quæ amétur, quin ejus amor ad áliud referátur. Díximus: «lúmine «supernaturálî cognoscíbilis,» quia dilígere Deum propter ejus bonitátem naturálî lúmine cognoscíbilem, est amor tantúm naturális; cháritas áutem est amor supernaturális; ádeò ut *epist.* 1, *ad Cor.*, *c.* 13, *v.* 13, dicátur esse major fide, et spe, quæ abs dúbiò sunt virtútes supernaturáles.

727. Ex his infértur, quòd cùm Deus sit rátio formális motíva charitátis, éadem est spécies charitátis, quâ dilígitur Deus, et quâ dilígitur próximus. Hinc S. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 25, *art.* 1, ait: «Necésse est quòd idem spécie sit «actus, qui fertur in ratiónem objécti, «et qui fertur in objéctum sub tali ratió«ne; sicut étiam est éadem spécie vísio, «quâ vidétur lumen, et quâ vidétur co«lor secúndùm lúminis ratiónem. Rátio «áutem diligéndi próximum Deus est: «hoc enim debémus in próximo dilígere, «ut in Deo sit. Undè maniféstum est, «quòd idem spécie actus est quò dilígi«tur Deus, et quò dilígitur próximus. Et propter hoc hábitus charitátis non solùm se exténdit ad dilectiónem Dei, sed «étiam ad dilectiónem próximi.»

Nómine próximi ex charitate diligéndi intellígitur illa sola creatúra, quæ nobíscum commúnicat in natúra intellectuáli, et nobíscum potest habére communicatiónem in beatitúdine ætérna. Nec indè quis arbitrétur nos Augustíno adversári, qui *lib. de Doctr. Christ.*, *c.* 23 *et* 26, ponit corpus esse étiam ex charitáte diligéndum, cùm tamen ipsum nec sit natúræ intellectuális, nec Deò frui possit. Nam, ut ait D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 25, *art.* 5: «Póssumus «eò (*córpore*) uti ad servítium Dei, se«cúndùm illud Rom., c. 6, v. 13. Ex«hibéte..... membra vestra arma justí«tiæ Deo. Et ídeò ex dilectióne chari«tátis, quâ dilígimus Deum, debémus «étiam corpus nostrum dilígere.» Et

ibid. ad 2, ait idem S. Doctor: «Quòd «quamvis corpus nostrum Deô frui non «possit cognoscéndô, et amándô ipsum; «tamen per ópera, quæ per corpus ági- «mus, ad perféctam Dei fruitiónem pós- «sumus veníre. Undè ex fruitióne áni- «mæ redúndat quædam beatitúdo ad «corpus, scílicet sanitátis, et incorrup- «tiónis vigor, ut August. dicit in epist. «ad Diosc. 118. Et ídeò quia corpus «áliquô modô est párticeps beatitúdinis, «potest dilectióne charitátis amári.» Sic ergo patet, corpus posse, et debére ex charitáte díligi, secúndùm quòd communicatiónem habet cum natúra intellectuáli, et cum beatitúdine ætérna.

728. Cháritas viæ augéri potest, et quidem sinè término. Sic est definítum in Concil. Viennénsi, Clementína *Ad nostrum, Tit. de Hæréticis*, ubi Clemens V cum Concílio damnávit errórem Begúardórum, et Begúinarum docéntium, ut refértur in eádem Clementína; «Quòd homo in vita præsénti tan- «tum, et talem perfectiónis gradum «potest acquírere, quòd reddátur pœ- «nitùs impeccábilis, et ámpliùs in grá- «tia proficere non valébit.» Et méritò quidém præfátus error damnátus fuit, contrariátur enim Scriptúris, quæ hóminem étiam justum hortántur semper prógredi, et créscere in perfectióne, Sic Apóstolus, *epist. ad Philipp., c.* 1, *v.* 9: «Et hoc oro, ut cháritas vestra ma- «gis, ac magis abúndet;» quod quidem Apóstolus non díceret, si grátiæ in hac vita posset esse términus. *Proverb., c.* 4, *v.* 18: «Justórum áutem sémita, quási «lux spléndens procédit, et crescit us- «que ad perféctum diem;» id est, usque ad diem pátriæ: Ergo, quámdiù in hac vita sumus, cháritas augéri potest. *Apocalyp., c.* 22, *v.* 14: «Qui justus «est, justificétur adhuc, et Sanctus sanc- «tificétur adhuc.» *Eccli., c.* 18, *v.* 22: «Ne vereáris usque ad mortem justifi- «cári.» Ex his duóbus testimóniis, Concil. Tridentínum, *Sess.* 6, *c.* 10, hæc habet: «Hoc verò justítiæ increméntum «petit Sancta Ecclésia, cùm orat: Da «nobis, Dómine, Fídei, Spei, et Chari- «tátis augméntum.» Ecclésia áutem hoc orat usque ad finem vitæ; ergo, usque ad finem vitæ potest augéri cháritas. Eámdem veritátem docuére SS. Ecclésiæ PP. ita ut S. Bernárdus, *epist.* 91, díxerit: «Aut ascéndas, necésse est, «aut descéndas: si atténtes stáre, ruas «necésse est. Mínimè pro certo est bo- «nus, qui mélior esse non vult: et ubi «íncipit nolle fieri mélior, ibi étiam dé- «sinit esse bonus.»

Neque tamen indè séquitur, ut quidam objíciunt, charitátem viæ ita posse augéri, ut pervéniat ad charitátem Pátriæ, cùm unum finítum possit per contínuum augméntum, ad quantitatem altérius finíti pervenire; ut enim ait S. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 24, *art.* 7, *ad* 3: «Rátio illa procédit in his, quæ ha- «bent quantitátem ejúsdem ratiónis; non «áutem in his, quæ habent divérsam ra- «tiónem quantitátis; sicut línea, quan- «tumcúmque crescat, non attíngit «quantitátem superficiéi. Non est áu- «tem, eadem rátio quantitátis charitátis «viæ, quæ séquitur cognitiónem fídei, «et charitátis Pátriæ, quæ séquitur «vísiónem apértam. Undè non séquitur «rátio.» Quod de charitáte Christi quæri posset, in sequénti Tomo de ea agéntes, explanábimus.

729. Sédulò tamen adverténdum, cum D. Thom, 2.ª 2.æ *quæst.* 24, *art.* 6, non quólibet actû charitátis, actû augéri charitátem; quólibet tamen actû charitátis dispónitur subjéctum ad charitátis augméntum, «in quantùm ex «uno actu charitátis homo rédditur «prómptior íterùm ad agéndum secún-

«dùm charitátem: et habilitáte cres-«cénte, homo prorúmpit in actum fer-«ventiórem dilectiónis, quô conétur ad «charitátis proféctum. Et tunc cháritas «augétur in actu.» Ita D. Thom. In quorum majórem dilucidatiónem áddimus ex eódem S. Doctóre in 1 *Dist.* 17, *quæst.* 2, *art.* 3: «Sciéndum est «ígitur, quòd actus, qui præcédit cha-«ritátem, quandóque unus solus dispó-«nit últimâ dispositióne, ut infundátur «cháritas..... quandóque áutem unus «actus non dispónit, nisi dispositióne «remótâ, et séquens actus magis dispó-«nit, et sic deínceps secúndùm quòd ex «multis bonis áctibus pervenítur ad úl-«timam dispositiónem, in quantùm ac-«tus séquens agit in virtúte ómnium «præcedéntium: ut patet in guttis ca-«vántibus lápidem, quòd non quælibet «áufert áliquid de lápide, sed omnes «præcedéntes dispónunt, et una última «agens in virtúte ómnium præcedéntium, «in quantùm scilicèt ínvenit matériam «dispósitam per præcedéntes, complet «cavatiónem.» Hinc illud tritum:

Gutta cavat lápidem, non vi, sed sæpè cadéndo:
Sic stúdens fit doctus, non vi, sed sæpè studéndo.

Hæc annotáre dúximus opportúnum, eò quòd actus charitátis dispónit quidem ad augméntum hábitûs charitátis, non tamen semper dispositióne próximâ, sed solùm remótâ; et tunc illi non correspóndet actuále augméntum charitátis, quod tamen habétur, accedénte actu ferventiórî, in quo remíssus præcédens inclúditur; quemádmodùm dispositiónes antecedéntes includúntur in última, quátenùs invéniens matériam per illas dispósitam, virtúte eárum complet actum, et formam indúcit.

730. Hábitus charitátis à nobis viatóribus amítti quidem potest; non tamen dimínui diréctè, sed indirécte tantùm. Prima pars est contra Calvínum, qui véterum hæreticórum errórem in hac parte renovávit. Eam definívit Concil. Trident., *Sess.* 6, *cap.* 12, 13 *et* 14, et *Can.* 23 *ibid.* ínquiens: «Si quis «hóminem semel justificátum díxerit, «ámpliùs peccáre non posse, neque grá-«tiam amíttere, atque ádeò eum, qui lá-«bitur, et peccat, númquàm verè fuís-«se justificátum..... anathéma sit.» Id constat páriter ex Scriptúris. Ezechiel. enim *cap.* 18, *v.* 26, légitur: «Cùm «avérterit se justus à justítia sua, et fé-«cerit iniquitátem, moriétur in eis.» *Epist. ad Galat.*, *cap.* 5: «Evacuáti es-«tis à Christo, qui in lege justificámini, «à grátia excidístis:» *Epist. ad Rom.*, *cap.* 11: «In fide stas, noli altum sápe-«re, sed time:» *Epist.* 1.ª *ad Cor.*, *cap.* 9: «Castígo corpus meum, et in servitú-«tem rédigo, ne fortè cùm áliis prædi-«cáverim, ipse réprobus effíciar.» Ergo, hábitus charitátis à nobis viatóribus amítti potest. Cujûs veritátis testes sunt Adam, David, S. Petrus, etc. qui licèt justi, peccándò, à justítia, et charitáte excidérunt. Item, infántes accípiunt per baptísmum grátiam, et charitátem: quis áutem dicat, eos omnes, cùm adoléverint, númquàm à grátia, et charitáte excídere? Vid. D. Thom., 2.ª 2.æ *q.* 24, *art.* 11.

731. Hábitus charitátis quamvis amítti possit, non tamen potest dimínui diréctè, ita nimírùm, quòd áliqui tantùm gradus ejus tollántur à subjécto, nam hæc diminútio fieri debéret, vel per peccátum mortále, vel veniále in quod incíderet habens charitátem; per néutrum áutem fieri potest hæc diminútio: non quidem per peccátum mortále, quod nedùm exclúdit à subjécto áliquos gradus charitátis, sed totam ipsam charitátem: neque fieri potest per peccá-

tum veniále, si enim unum peccátum veniále áliquem gradum charitátis detráheret; sequerétur, hanc posse per peccáta veniália totáliter corrúmpi; cùm enim gradus charitátis finíti sint, et omne finítum per contínuam detractiónem finitárum pártium tandem evanéscat; tot possent peccáta veniália multiplicári, ut tandem últimi gradus charitátis tolleréntur, et sic ipsa esse desíneret in subjécto. Charitátem áutem posse per peccátum veniále déstrui est absúrdum, cùm in confésso sit apud omnes, charitátem nonnisi per peccátum mortále amítti. Vid. D. Thom. 2.ª 2.æ *quæst.* 24, *art.* 10: cum quo tamen ibid. conclúdimus: «potest tamen «indirécte dici diminútio charitátis dis«pósitio ad corrumptiónem ipsíus: quæ «fit vel per peccáta veniália, vel étiam «per cessatiónem ab exercítio óperum «charitátis.»

732. Nedùm tenémur ex præcépto dilígere Deum, nos, et próximum, sed et tenémur órdinem serváre in hæc objécta diligéndò: Cant. enim, *c.* 2, *v.* 14, légitur: «ordinávit (*nempè divínus «Spónsus*) in me charitátem.» Undè S. August., *lib.* 1 *de Doctr. Christ.*, *c.* 27, ait: «Ille áutem justè, et sanctè «vivit, qui rerum ínteger æstimátor est; «ipse est áutem, qui ordinátam dilec«tiónem habet: ne aut díligat, quod «non est diligéndum; aut non díligat, «quod est diligéndum; aut ámpliùs dí«ligat, quod minùs est diligéndum; aut «æquè díligat, quod vel minùs, vel ám«pliùs, diligéndum est; aut minùs, vel «ámpliùs, quod æquè diligéndum est.» Vid. D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 26, *art.* 1, et *quæst.* 44, *art.* 8.

733. Ordo áutem, qui est in charitáte servándus, debet esse, nedùm ex parte afféctûs, sed étiam ex parte óperis, ita ut non semel teneámur ex parte óperis plùs fácere pro eo, quod ex parte afféctûs est à nobis minùs diligíbile; imitántes órdinem, quem Pastor Evangélicus, *Matth.*, *cap.* 18, et *Luc.*, *cap.* 15, circa oves sibi concréditas servávit. Qui quámvis absolútè órdine dilectiónis quoad afféctum præférret nonagínta novem oves, quàm unam; in ea tamen circumstántia, quâ una eárum errávit, plùs hanc unam ópere diléxit, quàm cæteras; dum dimíssîs nonagínta novem in desérto, únicè de centésima, quæ erráverat, sollícitus, ad eam reducéndam, ac si nullam áliam habéret, totum se dedit. Undè Bernárdus, *Serm.* 50 *in Cantic.*, ait: «In benè affécta «mente non dúbium, quin dilectióni hó«minis Dei diléctio præponátur, et in «homínibus ipsis perfectióres infirmió«ribus, cœlum terræ, et ætérnitas témpori, ánima carni. Áttamen in benè «ordináta actióne sæpè, aut étiam sem«per, ordo oppósitus invenítur. Nam et «circa próximi curam, et plùs urgémur, «et plúriès occupámur, et infirmióribus «frátribus diligentiórî sedulitáte assísti«mus, et paci terræ magis, quàm cœli «glóriæ jure humanitátis, et ipsâ neces«sitáte inténdimus..... nam et vera in «hoc est cháritas, ut qui índigent ám«pliùs, accípiant priùs etc.»

734. Deus super ómnia diligéndus est *appretiativè*. Dícimus *appretiativè*, nam sic Deum amáre debémus, ut pluris eum diligámus, quàm quidvis áliud, et non pro ullo álio velímus ab eo divélli. Hoc certò constat ex illis Christi verbis, *Luc.*, *cap.* 14, *v.* 26: «Si quis «venit ad me, et non odit (*comparativè «scilicet, id est, non minùs amat*) Pa«trem suum, et Matrem, et Uxórem, «et Fílios, et Fratres, et Soróres, ad«hùc áutem et ánimam suam (*id est, se «ipsum, ac vitam suam*) non potest «meus esse discípulus.» Quæ verba ex-

plicávit ipsémet Christus, *Matth.*, *cap.* 10, *v.* 37, ínquiens: «Qui amat Pa-«trem, aut Matrem plùs quàm Me, non «est Mê dignus. Et qui amat Fílium, «aut Fíliam super Me, non est Mê dig-«nus:» id est, qui Patrem, aut Matrem, Fílium, aut Fíliam mihi in amóre præposúerit; aut ut illis pláceat, vel eórum utilitátibus desérviat, Me postposúerit; non est Mê, et regnô meô dignus.

735. Loquéntes áutem de amóre, quô se hómines tenéntur prósequi, dícimus, hóminem tenéri ex charitáte seípsum magis, quàm próximum dilígere. Ita S. Thomas, 2.ª 2.æ *q.* 26, *art.* 4, et probat primò ex illo *Levit.*, *cap.* 19, *v.* 18: «Díliges amícum tuum, sicut te «ipsum:» vel ut ait Christus, *Matth.*, *cap.* 22, *v.* 39: «Díliges próximum «tuum, sicut te ipsum.» His verbîs, ut líquet, diléctio hóminis ad seípsum propónitur támquàm exémplar dilectiónis, quæ ad álterum habéri debet: exémplar áutem pótius est, quàm exemplátum: Ergo, homo magis debet ex charitáte dilígere seípsum, quàm próximum. Hinc August., *lib.* 1 *de Civit. Dei cap.* 20, inquit: «régulam diligéndi próximum «à semetípso diléctor accépit;» et *lib. de vera Relig.*, *c.* 46: «Ea áutem est «régula dilectiónis, ut quæ sibi vult «bona provenire, et illi velit; et quæ «accídere sibi mala non vult, et illi no-«lit.»

Quod et probámus hac D. Thomæ ratióne, 2.ª 2.æ *quæst.* 26, *art.* 4. Homo díligit Deum, ut princípium boni, super quô fundátur diléctio charitátis; díligit áutem seípsum ex charitáte secúndùm ratiónem, quæ est párticeps prædicti boni; díligit áutem próximum ex charitáte, ut sibi sócium in tali bono: Atqui, est pótior rátio diligéndi, participáre in se bonum divínum, quàm sócium habére in eo participándô, sicut pótior est únitas, quàm únio: Ergo, homo magis debet ex charitáte dilígere se ipsum, quàm próximum.

736. Ordo áutem servándus in dilectióne proximórum hic est: melióres sunt magis objectívè diligéndi appretiatívè, quàm nobis conjunctióres minùs boni. Melióribus enim secúndùm eórum præséntem justítiæ, seu virtútis státum, debémus velle majórem beatitúdinis participatiónem, quàm nobis conjunctióribus minùs bonis; quiá ad charitátem pértinet, ut velit justítiam Dei servári, secúndùm quam plùs beatitúdinis melióribus est reddéndum.

Nobis áutem secúndùm carnem conjunctióres, non est contra, sed secúndùm charitátem, quòd per se loquéndô, eos inténsiùs, seu majóri conátû diligámus, quàm melióres extráneos. Inténsitas enim eórum, qui post Deum diligéndi sunt, sumi debet per comparatiónem ad diligéntem; nam estò actus hábeat spéciem ex objécto, ex virtúte tamen agéntis habet modum suæ intensitátis, ut patet in motu, qui habet spéciem ex término ad quem dirígitur, sed intensiónem velocitátis habet ex dispositióne móbilis, et virtúte movéntis: Ergo, inténsio motûs dilectiónis ad álios sumi debet ex majóri propensióne diligéntis ad illos; hæc áutem propénsio fórtior est ad nobis conjunctióres secúndùm carnem, quàm ad extráneos, licèt melióres: Ergo, per se loquéndô etc.

Quamvis teneámur omnes diligere ex charitáte, speciáliter tamen, Scriptúra nobis comméndat dilectiónem Conjunctórum. Nam Apóstolus, *epist.* 1 *ad Tim.*, *cap.* 5, ait: «Si quis suórum, «et máximè domesticórum, curam non «habet, fidem negávit, et est infidélî «detérior.» Hæc áutem cúra, quam speciáliter habére debémus erga conjúnctos pótiùs quàm erga extráneos, árgüit

non esse contra, sed juxta charitátem, quòd majóri conátû, per se loquéndô, conjunctióres diligámus, quàm extráneos.

Díximus *per se loquéndô;* quia per áccidens, potest contíngere, quòd extránei, sint inténsiùs, seu majóri conátû diligéndi, quàm conjunctióres secúndùm carnem, ut contíngeret e. c. si persóna extránea esset absolútè bono commúni necessária, ad quod non ita essent necessárii nobis conjúncti secúndùm carnem. Nam bonum commúne bono privâto est præferéndum, non tantùm línguâ, séd ópere, et veritáte.

Animadvértere opórtet, quòd quamvis Deus dignus sit qui amétur amóre perfectíssimô, et intensiórî, quàm quælibet creatúra, si tamen in actu quò Deum dilígimus, non reperítur ista major inténsio ex infirmitáte natúræ, non illícò dicéndum, quòd contra charitátem peccémus, quia Deus in isto státu nostræ infirmitátis, ubi ad sensibília vicinióra, et notióra nostræ natúræ sensibili magis propendémus, majórem illam intensiónem à nobis non éxigit: nam cháritas étiam mínima súfficit ad meréndum vitam ætérnam, et se exténdit ad ómnia, quæ sunt ex charitáte diligénda, áliàs non esset vera cháritas. In charitáte áutem remíssa nullus est intensiónis gradus, si enim áliquis foret, jam non esset cháritas remíssa, sed inténsa. Ergo, ad charitátem veram nullus requíritur intensiónis gradus. Requireréetur áutem áliquis, si intensiónis gradus cáderet sub præcépto; Ergo, gradus intensiónis charitátis non cadit sub præcépto. Súfficit ergo ut Deum appretiatívè super ómnia diligámus, ita ut, ita erga Ipsum simus affécti, ut paráti simus ómnia pérdere et pati, pótiùs quàm ipsum desérere.

737. Várii sunt conjunctiónis modi. Álii enim conjungúntur secúndùm carnem, ut Paréntes, et Consanguínëi: álii secúndùm societátem políticam, ut Concíves, et Commilitónes, tum inter se, tum cum suis Magistrátibus, et Dúcibus: álii secúndùm ratiónem obséquii, sive spirituális, sive temporális. Iîs præ óculis hábitîs,

Dícimus, inter diversímodè conjúnctos, qui sunt conjúncti secúndùm carnem, per se loquéndô, sunt inténsiùs, seu majórî conátû diligéndi *in his, quæ pértinent ad natúram*, quàm álii conjúncti. Díximus, *in his, quæ pértinent ad natúram*, quia in his, quæ pértinent ad álias conjunctiónes, sunt inténsiùs, seu majóri conátu diligéndi, qui secúndùm illas conjungúntur; intéllige tamen extra necessitátem. Undè in re béllica magìs obedítur Duci, quàm Patri. Comparándô tamen dilectiónem dilectióni, conjunctiónem conjunctióni, carnális conjúnctio est cæteris præferénda. Hæc constant ex eo quòd, inténsio dilectiónis procédit ex conjunctióne dilécti ad diligéntem, juxta, quæ díximus *num.* 736; conjúnctio áutem carnális orígînis est prior, et immobílior, et est secúndùm id, quod pértinet ad substántiam; áliæ áutem conjunctiónes sunt superveniéntes.

738. Ordo áutem personárum, quas præférre debémus in offíciis charitátis, hic est, juxta S. Alphónsum Maríam de Liguório, *Hom. Apost., Tract. 4, cap. 2, num.* 15: in extréma necessitáte vitæ, ómnibus præferendi sunt Paréntes, cùm enim ab ipsis nos vitam accepérimus, justum est, ut cæteris nos eos præferámus. Sed in gravi necessitáte 1.° succurréndum est Cónjugi; 2.° Fíliis; 3.° Paréntibus, sed Patri præ Matre; 4.° Frátribus; 5.° Consanguínëis; 6.° Domésticis. Sed de his Moralæ.

739. Nedûm conjúnctos, verùm et à nobis aliénos, vidélicet inimícos, tenémur ex charitáte dilígere; non tamen quà inimícos, sic enim esset dilígere peccátum, sed quà hómines; dilectióne útique communî, non speciálî, per se loquéndô. Idque hîsce moméntîs evíncimus. *Matth.*, *cap.* 15, ipse Dóminus légitur dixísse: *Dilígite inimícos vestros:* et, ut probet Christus, esse id ómnibus præcéptum, addit: *Ut sitis fílii Patris vestri, qui in cœlis est.* Est áutem ómnibus necessárium ad salútem esse fílios Patris Cœléstis: Ergo, inimíci sunt ex charitáte diligéndi.

Item: in Oratióne Dominica, *Matth.*, *c.* 6, juxta præscríptum Dómini pétimus, ut Deus dimíttat nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris: Ergo, præcéptum est dimíttere inimícis, áliàs non dimittétur nobis: undè ibid. Christus ait: «Si non di-«miséritis homínibus, nec Pater vester «dimíttet vobis peccáta vestra.»

Tértiò: præcéptum est, ut próximum diligámus: Atqui, inimícus est próximus, rátio enim próximi consístit in eo, quòd quis sit factus ad imáginem Dei, et váleat esse ætérnæ beatitúdinis párticeps, quæ duo útique in inimícis concúrrunt. Ergo, inimíci etc.

Díximus: «dilectióne útique communî, non speciálî, per se loquéndô:» quia, ut observat S. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 25, *art.* 8: «Potest áccipi di-«léctio inimicórum quantùm ad natú-«ram, sed in universáli; et sic diléctio «inimicórum est de necessitáte chari-«tátis; ut scílicèt áliquis díligens Deum, «et próximum, ab illa generalitáte di-«lectiónis próximi inimícos suos non «exclúdat.» Item, «potest considerári «diléctio inimicórum in speciáli, ut scí-«licèt, áliquis in speciáli moveátur mo-«tû dilectiónis ad inimícum: et istud «non est de necessitáte charitátis abso-«lútè: quia nec étiam movéri motû di-«lectiónis in speciáli ad quóslibet hó-«mines singuláriter, est de necessitáte «charitátis, quia hoc esset impossíbile. «Est tamen de necessitáte charitátis se-«cúndùm præparatiónem ánimi, ut scí-«licet, homo hábeat ánimum parátum «ad hoc, quòd in singulári inimícum «dilígeret, si necéssitas occúrreret.» Hâc observatióne præmissâ, intêlligi debet August. *in Enchirid.*, *c.* 73, dum ait: «Perfectórum esse dilígere inimí-«cos:» nam Augustínus lóquitur de speciáli dilectione, quâ quis actû afficitur erga inimícum, ut S. Thom., ibid. expónit.

740. Fide certum est, licére áliquò sensû Deo servíre, sive illum diligéndô, sive ália virtútum ópera exercéndô, propter retributiónem; definítum est enim in Concílio Tridentíno, *Sess.* 6, *cap.* 11, *et Can.* 31, hîs verbîs: «Si «quis díxerit, justificátum peccáre, dum «intúitû ætérnæ mercédis benè operá-«tur; anathêma sit.» Constat aliúndè ex Scriptúra, plúribus in locis: David, *psalm.* 118, absque ambágibus dicit: «Inclinávi cor meum ad faciéndas justi-«ficatiónes tuas in ætérnum, propter «retributiónem.» Apóstolus, *epist. ad Hebr.*, *c.* 11, refert, Ábraham, et Móysen bona egísse intúitû mercédis ætérnæ; de Ábraham enim in terra promissiónis commoránte ex obediéntia, ait: «Támquàm in aliéna demorátus sit; «quia expectábat fundaménta habéntem «Civitátem, cujûs ártifex, et cónditor «Deus:» ac de Móyse inquit: Quòd «magis elégerit afflígi cum pópulo Dei, «quàm temporális peccáti habére jucun-«ditátem, quia aspiciébat in remunera-«tiónem:» *Matth.*, *c.* 19, Apóstolîs dicéntibûs: «Ecce nos relíquimus ómnia, «et secúti sumus te; quid ergo erit no-

«bis?» Respóndit Christus promíttens illis ampliórem, quàm áliis mercédem: «Sedébitis et vos super sedes duódecim, «judicántes duódecim Tribus Israël:» ípsemet Christus, *Matth.*, *c.* 5 suos íncitat discípulos ad passiónum toleántiam intúitu mercédis, ínquiens: «Gaudéte, «et exultáte, quia merces vestra copiósa «est in Cœlis.» Ergo, licet áliquo sensu propter retributiónem servíre Deo, sive illum diligéndò, siveália ópera virtútum exercéndò. Quod et passím ásserunt SS. PP., Cypriánus, *epist.* 16; Chrysóstomus, *Homil.* 63, *in Matth.*; Ambrósius, *lib.* 5, *in cap.* 6, *Luc.*; Hieron., *lib.* 1, *contra Jovin.*, *c.* 13; *August.*, *in Psalm.* 134, *Tract.*, 54 *in Joán.*, et álibi: et Ecclésia, quæ in Offício Mártyrum cantat: «Tradidérunt «córpora sua propter Deum ad supplí«cia, ut hærédes fierent in Domo Dó«mini.»

Díximus, «licére áliquo sensu servíre «Deo propter retributiónem:» nam ut éxplicat S. Thom. *in* 3, *D.* 29, *art.* 4: Non licet dilígere Deum propter retributiónem, ponéndò últimum finem in retributióne, tunc enim Deus ordinarétur ad retributiónem támquàm in finem, quod profectò non licet, cùm Deus non possit ordinári ad áliud támquàm in finem últimum, cùm ipse sit essentiáliter últimus ómnium finis, ad quem ómnia debent ordinári. Præterquàm quòd, si retribútio diligerétur támquàm últimus finis, retribútio diligerétur plùs quàm Deus; finis enim plùs amátur, quàm ea, quæ sunt ad finem, nihil ántem potest licitè plùs quàm Deus díligi; sed Deus est super ómnia diligéndus, ut osténdimus *num.* 734. Sic ergo, licet propter retributiónem ætérnam servíre Deo, sive ipsum diligéndò, sive ópera virtútum propter ipsum exercéndò, ita ut retribútio sit finis dilectiónis, et bonórum ópe-

rum, non últimus, sed ultériùs ordinábilis ad Deum, sic enim póssumus servíre Deo propter retributiónem ætérnam, támquàm finem bonórum óperum, sed non últimum: Ergo, Deo servímus propter retributiónem, ita quod hæc retribútio ultériùs ad Deum ordinétur; ádeò ut intendámus Deum vidére, ut eum secúriùs, et intènsiùs diligámus, atque in ætérnum laudémus, et glorificémus; sic affécti, ut si nulla esset beatitúdo speránda, nihilóminùs illum diligerémus, illíque nostra exhiberémus obséquia.

641. Quámvis tum amici, tum inimíci, sint ex cháritate diligéndi, tamen secúndùm communiórem, ac probabiliórem sententiam. diléctio amíci secúndùm se, et cæteris páribus, est absolútè mélior, et magis meritória, quàm diléctio inimíci. Hæc vidétur exprèssa D. Thomæ sententia, nam 2.ª 2.æ *q.* 27, artículum séptimum sic conclúdit: «Di«léctio amicórum, secúndùm se conside«ráta, est fervéntior, et mélior, quàm «diléctio inimicórum:» Et in *Disput. Q. unic. de charitáte*, *art.* 8, *ad* 17, inquit: «Si considerémus istos duos actus «(*dilectiónis amicórum, et inimicórum*) «absolútè mélius est dilígere amícum, «quàm inimícum.» Et méritò quidem: nam illud est absolútè méliùs, cujùs oppósitum est pejus; Atqui, pejus est absolútè odísse amícum, quàm inimícum, ut apprehéndit sensus commúnis: et méritò, nam in dilectióne amíci major relúcet rátio débiti: Ergo, pejus est absolútè odísse amícum, quàm inimícum. Ergo, ex oppósito, méliùs est dilígere amícum, quàm inimícum.

Nec obstat, quòd diléctio amicórum videátur mercédem non meréri, juxta illud Christi, *Matth.*, *c.* 5: «Si dilígi«tis eos, qui vos díligunt, quam mercé«dem habétis?» et tamen diléctio inimi-

córum merétur mercédem, juxta illud ipsíus Christi, ibid: «Dilígite inímicos «vestros... ut sitis fílii Patris vestri,» nam ut ait D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 27 *art.* 7, *ad* 1: «Verbum Dómini est per «se intelligéndum. Tunc enim diléctio «amicórum apud Deum mercédem non «habet, quandò propter hoc solùm aman«tur, quia amíci: et hoc vidétur accídere, «quandò sic amántur amíci, quód ini«míci non diligúntur. Est tamen meri«tória amicórum diléctio, si propter «Deum diligántur, et non solùm quia «amíci sunt.»

742. Pro corónide hujus matériæ, valdè opportúnum dúcimus in médium afférre hæc D. Thom. verba, 2.ª 2.æ *quæst.* 27 *art.* 7: «Cùm ergo quæritúr «quid sit mélius, vel magis meritórium, «utrùm dilígere amícum, vel inímicum, «dupliciter istæ dilectiónes comparári «possunt: unò modò ex parte próximi, «qui dilígitur, álio modò, ex parte ra«tiónis, propter quam dilígitur.

«Primò quídem modò, diléctio amíci «præéminet dilectióni inimici: quia amí«cus, et mélior est, et magis conjunc«tus, undè est matéria magis conve«niens dilectiónis: et propter hoc actus «dilectiónis super hanc matériam trán«siens, mélior est: undè ejus oppósi«tum est detérius, pejus enim est odíre «amícum, quàm inimícum.

«Secúndò áutem modò, diléctio inimí«ci præéminet propter duo. Primò qui«dem, quia dilectiónis amíci potest esse «ália rátio, (*suádens, et facilitans*) quàm «Deus; sed dilectiónis inimíci solus «Deus est rátio. Secúndò, quia præsup«pósitò quòd utérque propter Deum «(*intéllige, únicè*) diligátur, fórtior os«ténditur esse Dei diléctio, quæ ánimum «hóminis ad remotióra exténdit, scíli«cet, usque ad dilectiónem inimicórum, «sicut virtus ignis tantò osténditur esse «fórtior, quantò ad remotióra diffúndit «suum calórem. Tantò ergo osténditur «divína diléctio esse fórtior, quantò «propter ipsam difficilióra implémus, si«cut et virtus ignis tantò est fórtior, «quantò combúrere potest matériam «minùs combustíbilem.»

«Sed sicut idem ignis in propinquió«ra fórtiùs agit, quàm in remotióra; ita «étiam cháritas fervéntiùs díligit con«júnctos, quàm remótos: et quantùm «ad hoc, diléctio amicórum secúndùm «se consideráta est fervéntior, et mé«lior, quàm diléctio inimicórum.»

743. Efféctus actûs charitátis, álii sunt intérni; álii extérni. Intérni sunt tres, vidélicet, *Gáudium*, quod est quædam delectátio de Deo: *Pax*, quæ non solùm dicit uniónem voluntátum in divérsis, sed étiam concórdiam ómnium appetítuum, qui sunt in eódem subjécto, et hæc *Pax* orítur ex charitáte, quæ éfficit, ut appetítus nostri, tam supérior, quàm inférior, inter se conséntiant, quátenùs Deo subjiciúntur: *Misericórdia*, quæ generáliter sumpta, et prout étiam reperítur in Deo, est volúntas, seu affféctus aliénam miseriam sublevándi.

Tres item sunt efféctus charitátis extérni. Primus, *Beneficéntia*, quæ impórtat benefácere álii secúndùm ratiónem boni in commúni, in charitáte enim inclúditur benevoléntia, quà quis vult bonum álteri: Atqui, volúntas est effectíva eórum, quæ vult, si facúltas adsit ea efficiéndi: Ergo, benefácere álteri conséquitur ex charitáte, támquàm ejus efféctus. Secúndus charitátis efféctus extérnus est *eleemósyna*. Tértius, correctio fratérna. Verùm, in his non immorámur, quia eórum sufficiéntem notítiam sibi Tyrónes póterunt comparáre, cùm stúdio Theológiæ Morális vacábunt.

744. Vítia charitáti oppósita sunt, juxta D. Thomam, 2.ª 2.æ *à q.* 34 *ad* 43 : *Ódium* Dei, et próximi, quod oppónitur ipsi dilectióni : *Acédia*, quæ oppónitur gáudio de bono divíno : *Invídia*, quæ oppónitur gáudio de bono próximi : *Discórdia*, quæ oppónitur efféctui charitátis, qui est pax. *Contentio*, quæ oppónitur paci, quantùm ad locutiónem : *Schisma*, *Bellum*, *Rixa et Seditio*, quæ opponúntur paci, quantùm ad opus ; et *Scándalum*, quod oppónitur charitáti, quantùm ad beneficéntiam.

Ódium Dei est ómnium peccatórum gravíssimum, cùm rátio culpæ consístat in voluntária aversióne à Deo ; hæc áutem avérsio est pótior, et major in ódio Dei, quàm in áliis peccátis, quia in ódio Dei diréctè, et per se inténditur talis avérsio ; in áliis áutem peccátis indiréctè tantùm, et per áliud : sic e. c. qui fornicátur, non inténdit diréctè, et per se, avérti à Deo, sed inténdit inordinátam delectatiónem, cui avérsio à Deo est annéxa. Hinc infértur, ódium Dei formále, et expréssum, esse speciále peccátum in Confessióne expriméndum ; secùs ódium Dei, quòd in áliis peccátis importátur.

Ódium próximi est ex génere suo peccátum lethále, quia diréctè contrariátur charitáti, quæ est vita ánimæ ; charitáte áutem tenémur dilígere próximum secúndùm id, quod habet à Deo, id est, secúndùm natúram, et grátiam. Ergo, ódio habére próximum est ex génere suo peccátum mortále. Potest tamen esse veniále, non solùm ex indeliberatióne actûs, sed étiam ex levitáte matériæ.

Acédia theológicè sumpta, ést tædium, séu tristítia de bono spirituáli. Si sit de bono spirituáli in commúni, non est speciále vítium, sed circumstántia omnis vítii, omne enim vítium réfugit bonum spirituále virtútis oppósitæ : sed est speciále peccátum, quátenùs est tædium de bono divíno ad nos pertinénte, apprehénsô ut malô própriô, ut si quis tristétur de mediis nobis propósitis ad Dei amicítiam, et beatitúdinem obtinéndam ; ut sunt Sacraménta, divína præcépta, carnis mortificatiónes, alíaque bona ópera ad beatitúdinem conducéntia. Vid. D. Thom., 2.ª 2.æ *q.* 36.

Invídia, est tristítia de bono aliéno, ut malô própriô æstimatô, vidélicet, ut diminutívô própriæ excelléntiæ. Est peccátum charitáti oppósitum, quia dolet de bono próximi, de quo tamen secúndùm charitátem gaudére debet. Vid. D. Thom. 2.ª 2.æ *q.* 36.

Discórdia prout oppónitur charitáti, est disséntio voluntátum circa bonum divínum, vel humánum, in quod tenémur ex charitáte consentíre, quia si non ex charitáte, sed ex ália virtúte tenémur in illud consentíre, non erít contra charitátem, sed contra illam áliam virtútem ; sic dissentíre à voluntáte Superióris præcipiéntis, est contra obediéntiam ; dissentíre à voluntáte Creditóris débitum exigéntis, est contra justítiam etc. Dupliciter contíngit Discórdia, per se, et per áccidens ; per se, quandò quis sciénter, et ex intentióne disséntit à bono divíno, et próximi, in quod debet ex charitáte consentíre ; et sic est peccátum mortále ex génere propter contrarietátem ad charitátem. Per áccidens est discórdia, quandò inténtio aliquórum est ad bonum, quod pértinet ad honórem Dei, vel utilitátem próximi, sed unus æstimat hoc vel illud esse bonum, álius áutem contráriam opiniónem habet ; et talis discórdia, quæ pótiùs est judiciórum, quàm voluntátum, non est peccátum, nec charitáti repúgnat, nisi sit cum erróre culpábili circa ea, quæ sunt de necessitáte salútis, vel pertinácia indé-

bitè adhibeátur. Vid. D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 37, *art.* 1.

Conténtio generáliter sumpta, est pugna verbórum; sicut enim díscórdia impórtat contrarietátem voluntátum, ita Conténtio impórtat contrarietátem verbórum. Speciáliter áutem Conténtio, proùt hìc súmitur, definítur ab Ambrósio: «Impugnátio veritátis cùm confi«déntia clamóris;» intéllige veritátem, quam quis novit, aut potest, ac debet nóscere, ut patet in hæréticis: intéllige étiam impugnatiónem veritátis ex ánimo, non exercítii, aut exáminis causâ. Vid. D. Thom. 2.ª 2.æ *q.* 38.

Schisma græcè, latinè *Scissio*, ex usu recépto apud Scriptóres Ecclesiásticos súmitur pro speciáli peccáto, quod definítur: «Voluntária separátio suî ip«síus ab Ecclésiæ unitáte.» Únitas áutem Ecclésiæ in duóbus potíssimùm attenditur, scílicèt, in connexióne, seu communicatióne membrórum Ecclésiæ ad ínvicem, et in órdine ómnium membrórum ad unum Caput, sive invisíbile, quod est ipse Christus; sive visibile, quod est Románus Póntifex, vicem gerens Christi. Undè tríplici modò potest quis fíeri Schismáticus: 1.º se separándò à Cápite: 2.º à membris; 3.º à Cápite, et membrîs simul. Schísma áliud est purum, quod solùm charitáti, et paci oppónitur, ut in his, qui credunt unam Sanctam Ecclésiam sub visíbili Cápite, Románò Pontífice, et credunt quidquid Ecclésia Romána credit; ex superbia tamen nolunt Papæ subésse, et obedíre; vel réliquis Ecclésiæ membris uníti esse. Áliud Schísma datur secum ferens hæresim, ut in his, qui ab obediéntia Papæ se séparant, quia ejus potestátem non credunt. Hinc, quamvis omnes hærétici sint schismátici, non verò omnes schismátici sunt hærétici, nam schísma absolútè potest esse ab hæresi sejúnctum. Áttamen vix, aut nè vix quidem, vérum Schísma reápsè sinè áliqua hæresi reperîtur, vel quod saltem in hæresim tandem non erúmpat. Vid. D. Thom. 2.ª 2.æ *q.* 39.

Bellum definíri potest: «Congréssio «vî, et armîs inter duos exércitus con«trários.» Bellum ergo díffert à Duéllo, cùm hoc non sit nisi *congréssio unius contra unum*. Bellum númquàm esse lícitum dogmátizárunt olim Manichæi, teste Augustíno *lib.* 22 *contra Faustum*, *cap.* 74: ac deíndè Wiclefístæ, teste Valdénsi. Luthérus existimávit pugnáre contra Turcas esse Deo contradícere, volénti per illos nostra peccáta punire. Erásmus conténdit, omne bellum esse Christiánis interdíctum. Verùm hos omnes à vero aberrásse constat ex eo quòd belláre non est per se malum.

Nam ex Scriptúra constat, quòd in antíqua Lege, Deus sæpè jussit, aut probávit bellum, ut Éxod., *c.* 17; Num., *c.* 21 *et* 25; Deuter., *c.* 7; 1 Reg., *c.* 15; 2, Reg., *c.* 8; Josué, *c.* 1, 6, 8, 10 et álibi sæpè. In Lege nova páriter Luc., *c.* 3. Milítibûs quæréntibûs quid fácerent, ut fúgerent ventúram iram, quam Joánnes Baptísta peccatóribus intentábat, non jussit S. Præcúrsor milítiam desérere, sed eâ benè uti, ínquiens: «Néminem concu«tiátis, neque calúmniam faciátis, et «conténti estóte stipéndiîs vestrîs.» quibûs verbîs ápprobat bellum, ut enim August., *epist.* 5, *ad Marcelínum*, inquit: «Si Christiána discíplina omni«nò bella culpáret, hoc pótiùs milítibus «consílium salútis peténtibus in Evan«gélio dicerétur, ut abjícerent arma, se«que milítiæ omninò subtráherent; «dictum est áutem eis; néminem con«cutiátis, estóte conténti stipéndiîs ves«trîs: quibus próprium stipéndium præ-

NOVITIATE LIBRARY

«cépit, militáre non prohíbuit.» Et proféctò: Christus, *Matth.*, *c.* 8, laudávit fidem Centuriónis, qui habébat sub se mílites; cui tamen Dóminus non jussit milítiam desérere. *Act. Apost.*, *c.* 10, Cornélius, Centúrio cohórtis, quæ dícitur Itálica, laudátur, ut vir religiósus, ac timens Deum. Apóstolus, *Epist. ad Hebr.*, *c.* 11, láudat Gedeónem, Barác, Samsónem, aliósque, qui «per «Fidem vicérunt Regna, fortes facti «sunt in bello, castra vertérunt exteró«rum:» Ergo, belláre non est per se malum. Quod et docent SS. PP. Ambros., *lib.* 1 *de Officiis*, *c.* 40; August. tum loc. cit., tum *epist.* 50, *ad Bonifac. Cómitem*; Greg., *lib.* 1 *epist.* 72; Bernárdus, *Serm. ad milites Templi*, *c.* 3. Accédit praxis Ecclésiæ, quæ in plúribus Concíliis decrévit bellum pro Terræ Sanctæ recuperatióne.

745. Notándum tamen, quòd ut bellum lícitè gerátur, tres concúrrere debent conditiónes, vidélicet, legítima auctóritas indicéndi bellum; justa cáusa, et recta inténtio. Auctóritas requísita ad indicéndum bellum debet esse supréma, quia persónæ privátæ possunt jus suum prósequi apud Superiórem; ergo ad nullum privátum pértinet movére bellum; bellum enim, nequit lícitè movéri, nisi quandò non súppetit ália via jus suum prosequéndi. Iterùm, multitúdinem convocáre, sinè quo bellum geri nequit, non est alicújus privátæ persónæ, sed tantùm suprémæ potestátis, quæ regit multitúdinem: Ergo, ad hoc, quòd bellum lícitè gerátur, requíritur in primis auctóritas supréma ad indicéndum bellum.

Requíritur páriter, quòd cáusa indicéndi bellum sit justa; et hæc generáliter loquéndò, non est, nisi una, vidélicet, injúria illáta, et non resarcíta. Non enim Princeps, majórem, imò nec tantam habet auctoritátem in extráneos, quàm in suos: Atqui, non potest in suos animadvértere gládiò, nisi irrogáverint, et non resarcíerint áliquam injúriam, est enim vindex in iram, non ómnibus, sed ei, qui malum agit, juxta Apost., *epist. ad Rom.*, *c.* 13: Ergo, Princeps nequit in álium bellum movére, nisi propter injúriam illátam, et non resarcítam. Hinc August., *quæst.* 10, *super Jósue*: «justa bella solent definíri, quæ «ulcisciscúntur injúrias, si gens, vel cí«vitas plecténda est, quæ vel vindicáre «negléxerit quod à suis ímprobè factum «est, vel réddere quod per injúriam «ablátum est.»

Hinc inferéndum, perniciosíssimè erráse, et erráre, qui existimárunt, aut exístimant, amplificatiónem Impérii; aut glóriam, et nóminis celebritátem; aut, ut vulgò dícitur, jus conveniéntiæ, esse justas cáusas indicéndi bellum: «Hoc «quid áliud, quàm grande latrocínium «nominándum?» inquit Augustínus, *lib.* 4 *de Civit.*, *cap.* 6.

Non abs re erit hìc animadvértere cum claris. Sylvio, oportére, quòd injúria illáta, ut sit cáusa justa belli, sit gravis, aut saltèm talis, quæ nisi comprimátur, sensim augénda est, et in valdè gravem abitúra. Iterùm adverténdum, quòd ex bello non sint secutúra majóra damna in República, quàm sint ea, quæ per injuriam illáta fuére. Si enim majóra mala videántur secutúra, non licéret bellum inférre; quia unus Princeps, vel una Respública debet postpónere damnum suum minus, majóri damno Reipúblicæ. Ut cáusa belli sit justa, requíritur étiam, quod satisfáctio injúriæ illátæ, áliter, quàm bellò néquëat óbtinéri: ídeò non státim post accéptam injúriam movéndum est bellum; sed tentándæ sunt priùs áliæ satisfactiónis viæ. Si enim Princeps, qui injúriam

irrogávit, parátus sit satisfácere, malefactóres puníre, abláta restitúere etc ; injústum erit bellum, quod ei movébitur.

Tandem, ut bellum sit justum, illa debet esse militántium inténtio, ut non libídine vindíctæ, sed amóre justítiæ, et salútis Reipúblicæ, bella gerant. Ut enim ait Augustínus, *epist.* 205 : «Bellum «géritur, ut pax acquirátur :» et *lib.* 22, *contra Faust.*, *cap.* 74 : «Nocéndi «cupíditas, ulciscéndi crudélitas, impa«cátus, et implacábilis ánimus, féritas «rebellándi, libído dominándi, et si qua «sunt simília; hæc sunt, quæ in bellis «jure culpántur.»

Cæterùm, magna est inter supériùs dictas conditiónes in bello requisítas, differéntia. Nam si prima, nimírùm auctóritas; vel secúnda, scílicet, justa cáusa desit; peccátur contra justítiam, adeóque faciénda est restitútio damnórum, quæ per hujúsmodi bellum fúerint illáta. Si áutem sola desit tértia, vidélicet, recta inténtio; tantùm contra charitátem peccátur, et consequénter nulla est áliquid restituéndi obligátio.

746. *Rixa* est bellum quoddam privátum, in quo rixántes, in ira se percútere nitúntur. In eo, qui injúste invádit, est ex génere peccátum mortále. In eo, qui se defendit, potest esse sinè peccáto, si nempè id fáciat solò ánimò injúriam repelléndi, et cum moderatióne débitâ.

Seditio est tumúltus pártium ejúsdem multitúdinis ad pugnam se parántium. Est speciále peccátum, quia oppónitur speciáli bono, nempè unitáti, et paci civíli multitúdinis. Distínguitur á bello, et rixâ, in duóbus : 1.° quia bellum, et rixa impórtant mútuam impugnatiónem in actu ; seditio áutem dícitur, étiamsi impugnátio non sit in actu, sed tantùm sit præparátio ad illam : 2.° quia bellum est próprie contra hostes extráneos, et rixa est unius contra unum, vel paucórum contra páucos; sedítio áutem est inter unius multitúdinis, puta, unius civitátis, vel Provinciæ, vel Regni íncolas inter se dissentiéntes, vel ómnium advérsùs Príncipem suum.

Duéllum, prout súmitur in Jure, et in órdine ad Censúras Ecclesiásticas, commúniter definítur : «Periculósa duórum «pugna ex condicto iníta cum designatió«ne témporis, et loci.» Duplex distínguitur duéllum, unum solémne, seu públicum, quandó scílicet quædam cæremóniæ adhibéntur, ut eléctio Patrinórum, assúmptio téstium, lítteræ provocatóriæ, seu libélli citatórii etc. ; áliud est simplex, quandò nempè istæ cæremóniæ non adhibéntur.

Duéllum privátâ auctoritáte núnquàm est lícitum, tum quia omnis vindícta priváta est illícita ; tum quia per præcéptum, *Non occides*, non solúm prohibétur occísio, sed étiam perículum próximum occidéndi, ut contíngit in áliis præcéptis, quæ nedùm transgressiónem próhibent, sed étiam próximum perículum transgrediéndi; tum quia tam Eccléśia, quàm Príncipes Christiáni duéllum sub gravíssimis pœnis próhibent. Sic, Concílium Trident., *Sess.* 25, *de Ref.*, *c.* 19, póstquàm dixerit : «Detes«tábilis duellórum usus, fabricánte Diá«bolò introdúctus, ut cruéntâ córporum «morte, animárum étiam perníciem lu«crétur, ex Christiáno Orbe pénitùs ex«terminétur ;» gravíssimas pœnas decérnit contra Duellántes, et quóvis modò duéllo coöperántes, quas Gregórius XIII, Constit. *Ad tollendam*, datâ an. 1582, et Clemens VIII, in Constit. *Illius vices*, datâ an. 1592, confirmárunt, innovárunt, et ad duélla priváta, seu simplícia extendérunt, ut tollerétur eórum tergiversátio qui existimábant, Concílium Trident. quia méminit Patrinórum, locútum fuísse tantùm de duéllis solémnibus.

Duéllum áutem auctoritáte públicâ potest aliquándò esse lícitum, sed rarò, ut vidétur contíngere, si is, qui justè bellum gerit, se hosti víribûs inferiórem séntiat, et esset constrictum aut ad confligéndum, et succumbéndum, aut ad duellándum; tunc vidétur posse acceptáre, et offérre duéllum, quia bonum commúne propter quod justè bellum gerit, eô meliórì modò quò potest, defèndit, ac minus perículum éligit: et in pari casu vidétur David contra Góliath pugnásse. Similiter, si Princeps, atténtîs belli incómmodîs, bonórum detriméntîs, multórum, et signátim innocéntium, nécibûs etc. utílius réputet Reipúblicæ controvérsiam duéllò, pótiùs, quàm bellò dirímere; tunc enim á plúribus reputátur duéllum lícitum ex parte ejus, qui bellum justum gerit, modò tamen in duéllo non fiat victória magís dúbia, quàm in bello. Etsi tamen in his aliísque forsan simílibûs cásibûs duéllum auctoritáte públicâ sit justum; id tamen rarò contíngit.

Scándalum rectè definítur: «Dictum, «vel factum minùs rectum, id est, áli«quem habens defèctum rectitúdinis, «præbens álteri occasiónem ruínæ spiri«tuális.» Notándum, necessárium non esse, quôd quis, ut peccátum incúrrat scándali, expréssè inténdat altérius peccátum; sed súfficit, quòd dicat, vel fáciat id, ex quo, attentîs circumstántîis, natum est sequi peccátum altérius. Hinc inferéndum, à peccáto scándali non excusári mulíeres, quæ hábitû immodéstô, ac inverecúndô in públicum procédunt, etsi expréssè álios in peccátum indúcere non inténdant. Adverténdum tamen, non omne peccátum coràm áliis commíssum semper, habére scándali malítiam, sed solùm eam habet, quandò prævidétur, aut prævidéri potest, ac debet, perículum, nè álii, coràm quibus commíttitur peccátum, per illud ad peccándum inducántur.

Duplex est scándalum; unum actívum, (quod definívimus); áliud passívum, quod est ruína spirituális próximi, occasióne dicti, vel facti altérius evéniens. Actívum est ítertùm duplex: unum per se; áliud per áccidens. Actívum per se, est quandò quis expréssè inténdit suô factô, vel dictô, álterum indúcere ad peccándum; vel si non inténdat expréssè, tale tamen est ejus factum, vel dictum, ut ex se sit ad peccátum inductívum. Actívum per áccidens est dictum, vel factum, ex quo præter intentiónem agéntis, et conditiónem sui dicti, vel facti, áliquis malè dispósitus indúcitur ad peccándum, puta, cùm áliquis ex quo álius suas réferat divítias, íncidit in peccátum invídiæ: et hoc scándalum si nullò modô, nec étiam implícitè, sit inténtum, impróprièque scándalum actívum, seu ex parte agéntis, appellátur. Scándalum passívum est étiam duplex, *datum* vidélicet, et *accéptum*. *Datum* dícitur, et est, quod verè orítur ex altérius dictô, vel factô, quod revèrà aut malum est, aut mali habet spéciem. *Accéptum* dícitur, et est, quod quis ex dictô, vel factô altérius, præter omnem ejus intentiónem, et conditiónem óperis, ex sola sua sinístra interpretatióne sumit occasiónem peccándi; idque vel ex infirmitáte, aut ex ignorántia, et dícitur *Scándalum pusillórum;* vel ex sola malítia, et dícitur *Scándalum pharisáicum*, quia Pharisæi ex malítia scandalizabántur ex sanctíssimis dictis, et factîs Christi, ut patet *Matth.*, *c.* 15.

Quandóque ergo est scándalum passívum sinè actívo, ut pharisáicum; quandóque est actívum sinè passívo, ut cùm áliquis verbô, vel factô indúcit álium ad peccátum, et ille non conséntit; quandóque est actívum cum passívo, ut

cùm ad inductiónem unius, álius peccat.

Plura scitû digna, et quidem necessária prætermíttimus; tum quia ad Theologíam morálem spectant, cui Tyrónes post stúdium Institutiónum Theologicárum incúmbere tenebúntur, ut sese ad confessiónes audiéndas expedítos reddant; tum quia Cursus hic elementáris suos límites transcénderet, si quæ ad Theologíam pértinent Morálem, quâ par est dignitáte, et cópiâ pertractáre aggrederémur. Eísdem de cáusis prætermíttimus ágere de virtútibus Morálibus, quæ post virtútes theológicas locum tenent. Nihilóminùs cùm, teste August. *in Enchirid.*, *c.* 3, Deus colátur Fide, Spe, et Charitáte; póstquàm de hisce virtútibus disserúimus, præséntem Tomum conclúdimus, de Religióne, quæ cultum Deo éxhibet, pertractántes: undè sit

CAPUT VIII.

DE RELIGIÓNE.

747. Missîs váriîs Etymológiîs hujus nóminis *Religio*, quas vidére licet *Tom.* 1 hujus Operis, *Sect.* 1, *num.* 2; à definitióne Religiónis exordímur.

Relígio definítur: «Virtus, per «quam hómines Deo, támquàm rerum «ómnium princípio, débitum cultum éx«hibent.»

748. Relígio quámvis sit virtus speciális, et prout modò à nobis definíta est; latò tamen sensû, virtus generális appellári valet; tum quia útitur aliárum virtútum áctibûs, quibus ímperat, órdinans eos ad divínam reveréntiam, quæ est ejus objéctum: hôc sensû, *epist. Jacób.*, *c.* 1, *v.* 27, dícitur, quòd visitáre pupíllos, et víduas, sit relígio munda; quia tales actus licèt elíciat misericórdia, relígio tamen eos dírigit ad divínam reveréntiam; tum quia ad actum religiónis multæ áliæ virtútes exigúntur, ut fides, quâ divína excelléntia dignóscitur; cháritas, quâ quis erga divínam excelléntiam benè affícitur etc. Vid. D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 81, *art.* 1 *ad.* 1.

749. «Relígio habet quidem interió«res actus, quási principáles, et per se ad «Religiónem pertinéntes; exterióres ve«rò actus, quási secúndários, et ad inté«rióres actus ordinátos,» ut ait, et probat D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 81, *art.* 7.

750. Actus interiórès Religiónis, juxta eumd. D. Thom., *ibid. quæst.* 82, sunt devótio, et orátio.

Devótio est «quædam actuális volún«tas prómptè tradéndi se ad ea, quæ ad «Dei famulátum pértinent;» sive faciéndi ea, quæ ad cultum divínum spectant. Licèt áutem ea, quæ sunt Divinitátis, sint secúndùm se máximam delectatiónem excitántia, et per cónse-

quens excitántia devotiónem; mens tamen humána ex sua debilitáte, sicut índiget manuductióne ad divinórum cognitiónem, ita et ad dilectiónem índiget manudúci per áliqua sensibília nobis nota, inter quæ præcípua est Humánitas, et Pássio Christi, quæ máximè devotiónem éxcitant. Hinc advértant conscientiárum Moderatóres, máximè in dirigéndo devótô fœmíneô sexû, quód assuesíeri Passiónis Christi meditatióni magis éxpedit, quàm subtilióri Divinitátis contemplatióni.

751. Orátio in génere est petítio quædam. Orátio áutem, quæ actus est Religiónis, est *petítio decéntium à Deo*, ut ait Damascénus, *lib.* 3 *Orth. Fid.*, *cap.* 34, addéntibûs nonnúllis, *cum ascénsu mentis in Deum.*

752. Ut ait D. Thomas, 2.ª 2.æ *q.* 83, *art.* 2, «triplex fuit circa oratió-«nem antiquórum error. Quidam enim «possuérunt, quòd res humánæ non re-«gúntur divínâ providéntia; ex quo sé-«quitur, quòd vanum sit oráre, et om-«nínò Deum cólere: et de his dícitur «Malach., cap. 3, v. 14: Dixístis: Va-«nus est, qui servit Deo. Secúnda fuit «opínio ponéntium, ómnia étiam in re-«bus humánis ex necessitáte contíngere, «sive ex immutabilitáte divínæ provi-«déntiæ, sive ex necessitáte stellárum, «sive ex connexióne causárum: et se-«cúndùm hos étiam exclúditur oratió-«nis utílitas. Tértia fuit opínio ponén-«tium quidem res humánas divínâ pro-«vidéntiâ regi, et quòd res humánæ «non provéniunt ex necessitáte; sed di-«cébant simíliter, dispositiónem divínæ «providéntiæ variábilem esse, et quòd «oratiónibûs, et áliis, quæ ad divínum «cultum pértinent, dispósitio divínæ pro-«vidéntiæ immutátur. Hæc áutem óm-«nia improbáta sunt.» (Vid. *tom.* 2, hujus óperis, *à num.* 181, *et à num.* 461.

«Et ídeò opórtet sic indúcere oratió-«nis útilitátem, ut neque rebus humá-«nis divínæ providéntiæ subjéctis neces-«sitátem imponámus, neque étiam divi-«nam dispositiónem mutábilem æstimé-«mus.»

«Ad hujus ergo evidéntiam conside-«rándum est, quòd ex divína providén-«tia non solùm dispónitur, qui efféctus «fiant, sed étiam ex quibus cáusis, et «quô órdine provéniant. Inter álias áutem «causas sunt étiam quorúmdam causæ, «actus humáni. Undè opórtet hómines «ágere áliqua, non ut per suos actus dí-«vinam dispositiónem immútent, sed ut «per actus suos ímpleant quosdam effé-«tus, secúndùm órdinem à Deo dispósi-«tum: et idem étiam est in naturálibus «cáusis. Et símile est étiam de ora-«tióne; non enim propter hoc orámus, ut «divínam dispositiónem immutémus, «sed ut impetrémus, quod Deus dispó-«suit per oratiónes esse impléndum, ut «scilicèt, hómines postulándô mereán-«tur accípere, quod eis Deus omnípotens «ante sæcula dispósuit donáre, ut Gre-«górius dicit lib. 1 Dialogórum, c. 8.»

753. Hinc fluit, oráre esse de necessitáte salútis, nam constat Deum oratiónes ordinásse támquàm cáusas secúndas ad obtinénda ab eo quamplúrima bona, quibûs indigémus. Sic apud Matth., c. 26, légimus: «Oráte, nè in-«trétis in tentatiónem:» in *epíst. Jacób.*, *c.* 4: «Non habétis, propter quod non «postulátis:» et *c.* 5: «Oráte pro ínvi-«cem, ut salvémini.» *Matth.*, *c.* 7: «Pétite et dábitur vobis» et *ibid*: «Hoc «genus (*dæmoniórum*) non ejícitur, ni-«si per oratiónem, et jejúnium.» *Luc.*, *c.* 18: «Opórtet semper oráre, et non «deficere, etc.» Undè August., *de dono Persever.*, *c.* 16, inquit: «Constat, «Deum ália danda étiam non oránti bus, «sicut inítium fídei; ália, non nisi orán-

«tibus præparásse, sicut usque in finem «perseveránti am.» Ex his patet oratiónem cádere sub præcépto: unde D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 83, *art.* 3 *ad* 2, ait: «Quòd non solùm pétere quæ «desiderámus; sed rectè étiam áliquid «desideráre, sub præcépto cadit. Sed «desideráre quidem cadit sub præcépto «charitátis, pétere áutem sub præcépto «religiónis: quod quidem præcéptum «pónitur Matth., cap. 7, v. 7, ubi dí«citur: Pétite et dábitur vobis.»

754. Cùm in definitióne oratiónis dictum sit cum Damascéno, oratiónem esse petitiónem decéntium à Deo, potest quis quærere, an solus Deus sit orándus, an étiam quidam álii. Pro quo elucidándò transcríbimus, hæc D. Thom. verba, *ibid.*, *art.* 4: «Quòd orátio por«rígitur álicui dupliciter: unò modò «quasi per ipsum implénda; áliò modò «sicut per ipsum impetránda. Primò «quidem modò, soli Deo oratiónem por«rígimus: quia omnes oratiónes nostræ «ordinári debent ad grátiam, et glóriam «consequéndam; quæ solus Deus dat, «secúndùm illud Psalm. 83, v. 12: «Grátiam, et Glóriam dabit Dóminus.

«Sed secúndò modò, oratiónem por«rígimus sanctis Ángelis, et homínibus; «non ut per eos Deus nostras petitió«nes cognóscat; sed ut eórum précibûs, «et méritîs oratiónes nostræ sortiántur «effèctum. Et ídeò dícitur Apoc., c. 8, «v. 4, quòd ascéndit fumus incensórum «de oratiónibus Sanctórum de manu «Ángeli coràm Deo. Et hoc étiam patet «ex ipso modo, quò Ecclésia útitur in «orándo: nam à Sancta Trinitáte péti«mus ut nostrî misereátur; ab áliis áu«tem Sanctis quibuscúmque pétimus, ut «orent pro nobis.» Ergo, lícitum est, et útile oráre Sanctos in Cœlis cum Christo regnántes, sive Ángelos, sive Hómines, et præcípuè B. Maríam Vírginem, ut intercessóres, qui à Deo ímpetrent, quæ postulámus.

Et quidem id est de fide decísum in Concil. Trident., *Sess.* 20, contra Petrobrussiános, Waldénses, Wiclefístas, et máximè contra Lutherános, et Calvinístas, qui Vigilántii errórem diù à S. Hierónymo confutátum suscitántes, conténdunt illícitum esse, et vanum invocáre Sanctos, et quos ídeò ímpiè sentíre, Sancta Synodus declárat.

Et profèctò, lícitam esse, ac útilem invocatiónem Sanctórum, testis est, omni exceptióne major, Ecclésiæ praxis, quæ étiam à prióribus sæculis invocatiónem Sanctórum in usu hábuit, ac commendávit. In Concílio namque Generáli Chalcedonénsi, an. 450, *Act.* 11, Patres conclamavérunt: «Flabiánus «post mortem vivit, Martyr orat pro no«bis:» Et Epíscopi Europæ in *epist. ad Leónem Augústum*, quæ habétur 3 *p.* ejúsdem Concílii, *num.* 27, de S. Protério sic scribunt: «Sanctíssimum quidem «Protérium in órdine, et choro Sanctó«rum Mártyrum pónimus, et ejus inter«cessiónibûs misericórdem, et propí«tium Deum nobis fieri postulámus.» Concílium Aurelianénse I, an. 511: Gerundénse in Hispánia, an. 517, præscríbunt Rogatiónes, sive Litánias, cum triduáno jejúnio: probat áutem Walafrídus Strabo circa médium noni sæculi, hasce Litánias esse, ut nostras, invocatiónes Sanctórum. S. Basílius Orat. in 40 Mártyres sic ait: «Qui áliquâ pré«mitur angústiâ, ad hos confúgiat; qui «rursùm lætátur, hos oret: ille, ut à «malis liberétur; hic, ut duret in rebus «lætis.» S. Greg. Nazianz. sub finem oratiónis in S. Athanásium, ipsum ínvocat, hîs verbîs: «Tu áutem è supér«nis nos propítius réspice, et pópulum «hunc sanctum dírige, et nos in pace «fore etc.» Simíliter in oratióne in S.

Cypriánum refert, quòd Justína Virgo, cujûs pudicítiam quidam Éthnicus mágicîs ártibûs ággredi volébat, *Vírginem Máriam rogáverit*, ut periclitánti Vírgini opem ferret; quod obtínuit. S. Ambrósius lib. *de Viduis*, *c.* 9: «Ob«secrándi sunt Ángeli pro nobis, qui «nobis ad præsídium dati sunt: Márty«res obsecrándi, quórum vidémur no«bis quoddam córporis pígnore patro«cínium vindicáre. Possunt pro peccá«tis rogáre nostris, qui própriò sánguine, etiámsi qua habúerint peccáta, la«vérunt... Non erubescámus eos inter«cessóres nostræ infirmitátis habére, «quia et ipsi infirmitátem córporis, «étiam cum víverent; cognoscébant.» S. August. lib. 7 *de Bap.* Sanctum Cypriánum ínvocat hîs verbîs: «Ádjuvet «ítaque nos in oratiónibus suis, in istíus «carnis mortalitáte, támquàm in caligi«nósa nube laboránte, ut donánte Dó«minô, quantum póssumus, bona ejus «imitémur.» S Hierónymus, ut notum est, ex profésso fudit Vigilántium, qui jam ab eo témpore, Sanctórum invocatiónem impugnávit. Qui plura áveat PP. testimónia, ádeat Bellarm., *De beatit. SS.*, *lib.* 1, *c.* 19, et nostrum Natal. Alexand., *Sæc.* 5, *Dissert.* 25, *quæst.* 2, *art.* 2, *prob.* 2.

755. Id idem probátur hâc theológicâ D. Thom. ratióne in *Supp.*, *quæst.* 72, *art.* 2: «Sancti, qui sunt in Pátria «magîs sunt accépti Deo, quàm in státu «viæ. Sed Sanctos, qui sunt in via, «constitúere debémus intercessóres pro «nobis ad Deum, exémplô Apóstoli, qui «dicébat Rom., c. 15, v. 30: Obsecro «vos, fratres, per Dóminum nostrum «Jesum Christum, et per charitátem «Spíritûs Sancti, ut adjuvétis me in «oratiónibus vestris pro me ad Deum. «Ergo, nos multò fórtiùs pétere debé«mus à Sanctis, qui sunt in Pátria, ut «nos juvent oratiónibûs suîs ad Deum.» Id étiam urgébat Hierónymus contra Vigilántium, ínquiens: «Si Apóstolí, et «Mártyres adhuc in córpore constitúti «quandò pro se adhuc debent esse sol«líciti, pro áliis orant; quantò magis «post corónas, victórias, et triúmphos?» Álias ratiónes theológicas apud D. Thom. ibid. vidére licet.

756. Neque his obstant hæc Apóstoli verba ad Coloss., *c.* 2, *v.* 18: «Ne«mo vos sedúcat in humilitáte, et reli«gióne Angelórum.» Nam genuína horum verbórum intelligéntia hæc est, ut amoverétur ille superstitiósus cultus, quem quidam Philósophi, præcípuè Platónici, Ángelis deferébant, et quos primi hærétici, ut Simon Magus, Menánder, Cerínthus, secúti fúerant, coléntes, non Christum, sed Ángelos, ut primários nostros apud Deum mediatóres; advérsùs quos scribébat D. Páulus in *epist. ad Hebr.*, *cap.* 1.° *et* 2.°. Platónis de Ángelis superstitiósum cultum refert S. Augúst., *lib.* 8 *de Civit. Dei*, *c.* 18; ac in ipsum ínvehit S. Joán. Chrysóst., *Homil.* 7 *in epist. ad Coloss.*; ínquiens: «Sunt quidam, qui dicunt, non oportére per Christum addúci, sed per Án«gelos. Illud enim est majus, quàm ut «id possímus ássequi.» Quamóbrem præcitáta Apóstoli verba id vidéntur sonáre: nemo vos à vera Christi mediatióne sedúcat, trahens ad superstitiósam Angelórum religiónem. Hunc sensum præ se fert Theodorétus, prædicta Apóstoli verba comméntans, inquit enim: «Illi ergo hu«militáte ducti (*nempè affectátô humili«tátis prætéxtû*) dicébant, universórum «Deum nec cerni, nec attíngi posse; ac «proptéreà oportére per Ángelos, divi«nam sibi benevoléntiam conciliáre. Hæc est commúnis verbórum Apóstoli interpretátio; ádeò ut, Patres Laodicéni in Concílio celebráto sæc. IV, definíerint,

Can. 35 : «Non opórtet Christiános de-«relíctâ Ecclésiâ abíre, et ad Ángelos «idololátriæ abominándæ Congregatió-«nes fácere. Quicúmque áutem invéntus «fúerit occúltæ huic idololátriæ vacans, «anathéma sit ; quóniam relínquens Dó-«minum nostrum Jesum Christum Fí-«lium Dei, accéssit ad idóla.» Proféctò, cæcus est, qui non vídeat, Concílium damnásse, et idololátriam appellásse eum cultum Angelórum, qui ipsis, prætermissô Christô, tribuerétur ; mínimè áutem damnásse cultum Ángelis tribútum, quálem tam Véteris, quàm Novi fœderis Ecclésia probávit.

757. Non abs re erit hîc annotáre ex D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 83, *art.* 4, *ad* 1 : «Quòd illi soli impéndimus orán-«dô religiónis cultum, à quo quærimus «obtinére quod orámus, quia in hoc «protestámur eum bonórum nostrórum «auctórem ; non áutem eis, quos requí-«rimus quási interpellatóres nostros «apud Deum.» Ex his infértur, cultum, quem orándô exhibémus áliis præter Deum, esse órdinis longè inferióris, quàm sit cultus, qui ipsi Deo exhibétur. Hinc cultus, qui Deo exhibétur, vocátur cultus *Latríæ*, id est, ómnium suprémus ; cultus áutem exhibitus B. Mariæ Vírgini, dícitur *Hyperdulía;* id est cultus inférior cultu, qui Deo exhibétur, supérior áutem cultu, quô sive Ángelos, sive álios Sanctos proséquimur ; cultus autem, quó Ángelos et Sanctos honorámus, cultus *Duliæ* appellátur, id est, inférior cultu, qui tum Deo, tum B. Vírgini tribúitur, supérior áutem omni cultu civíli, quô hómines aliquándò honorántur. Ad tolléndas áutem quorúmdam subtíles vitilitigatiónes, illud observáre præstat, cultum Ángelis, et Sanctis, imò et B. Maríæ Vírgini exhíbitum, vocári et esse *religiósum*, non quási immediátè eliciátur à virtúte Religiónis, hujus enim objéctum immediátum est tantùm cultus Dei, sed *religiósum* appellári, quia fit religiónis intúitu. Ipsi sapientióres inter Protestántes id agnovére, et sunt conféssi ; undè Guillélmus Amésius in *Tom.* 2 *Bellarmíni enervàti*, *lib.* 6, *c.* 5, § 33, inquit : «Honorándæ sunt crea-«túræ Dei ex religióne erga Deum, non «religióne erga ipsas. Relígio, ut Scho-«lástici loquúntur, ímperat, non élicit «istum honórem.»

758. Ut rectâ méthodô procedámus, præmitténdum est contra Sectários, religiónem præter actus interióres, ut primários, habére étiam álios exterióres, ut secundários, et ad interióres ordinátos. Mens énim humána índiget in hac vita, ut conjungátur Deo, sensibílium manuductióne, quia «invisibília «Dei, per ea, quæ facta sunt intellécta, «conspiciúntur :» Ergo, étiam in divíno cultu necésse est alíquibûs corporálibûs uti, quasi signis ad excitándam mentem hóminis ad actus spirituáles, quibûs Deo conjúngitur. Rursùs : homo ex múnere Dei constat ánimâ, et córpore : Ergo, necésse est, ut tum ánimâ, tum córpore Deo sérviat, et cánere cum Prophéta : «Cor meum, et caro mea «exultavérunt in Deum vivum.» Id idem nos édocet ómnium sæculórum praxis in Scriptúris fundáta ; ex ipsis enim constant tot cæremóniæ legáles in Véteri Testaménto præcéptæ ; et quòd Páulus, *Act. Apost.*, *cap.* 2, «pósitis «génibûs suîs» orábat : et quòd Stéphanus, *Act. Apost.*, *cap.* 7, et Petrus, *ib. cap.* 9, simíliter sese gérerent ; imò *Luc.*, *cap.* 22, quòd ipse Christus «pó-«sitîs génibûs orábat,» et *Matth.*, *cap.* 26, liqüet, ipsum adhibuísse oratiónem vocálem, légitur enim : «Hymnô dic-«tô, exiérunt in montem,» etc. etc.

Ipsi Sectárii, qui non sinè áliquo ritu exterióri suam religiónem exércent,

quâ fronte nostrum tamen exteriórem cultum deridére valent, et abominári? Dicant ipsi, quô fundaméntô eórum cultus extérior sit admitténdus, ac noster rejiciéndus? Si áliquis, cur non omnis? Nos non præterit, ipsos nobis objícere quædam Scriptúræ testimónia, ut quod, *Joán.*, *cap.* 4, légitur, vidélicet, «Deus «spíritus est, et eos, qui adórant eum, «in spíritu, et veritáte adoráre opór-«tet:» *Act. Apost.*, *cap.* 17, «Deus «non in manufáctis templis hábitat, aut «mánibûs humánîs cólitur.» Sed prætérquàm quòd, hæc testimónia mílitent páriter contra ipsos Sectários, suum cultum exteriórem propugnántes, respondémus ad 1.^m, Christum ibi loqui de eo, quod est principále, et per se inténtum in cultu divíno, nempè de actu interióri, sinè quo non est verus cultus extérior. Ad 2.^m dícimus, Apóstolum se ipsum exposuísse, adnéndô ibid. *Indigens áliquo*, ita ut sensus sit, Deum non coli ritû exteriórî, quási indígeat rebûs exterióribûs, quæ ipsi offerúntur. Ex eo áutem, quòd Christus à jugo cæremoniárum judáicárum nos liberáverit, mínimè inférre licet, quòd omnem cultum extérnum sustúlerit; tenémur enim observáre cæremónias, omnésque actus exteriores, quos vel ipsa rátio naturális, vel leges sive Divínæ, sive Ecclesiásticæ præscríbunt.

Hîs pósitîs, cùm jam de áctibus interióribûs Religiónis dictum sit, súperest, ut áliquid de ejus áctibus exterióribus delibémus. Id nos ducit ad agéndum de Adoratióne, Sacrifício, Oblatióne, Primítiis, et Décimis. Super hos actus notándum dúcimus, hos actus ab ínvicem differre, quátenûs per adoratiónem homo se ipsum Deo subjíciat; per álios áutem actus, homo res ófferat Deo, quæ extra ipsum hóminem versántur.

759. *Adorátio*, prout est actus religiónis, est honor ab hómine Deo exhíbitus, cùm se ipsi súbjicit propter ejus summam, et ómnibus superiórem excelléntiam. Etsi adorátio secúndùm se consideráta actum corporálem non imporet, Ángeli enim solâ mente adórant; prout tamen nobis cómpetit, actum corporálem importáre potest, sumus enim ex dúplici natúra compósiti, intellectuálî scílicèt, et corporálî, indéque duplex in nobis potest esse adorátio; una, scílicet, spirituális, quæ consístit in interióri mentis actu, quô summam Dei excelléntiam venerámur, ac propter ipsam nos ipsos ei subjícimus: áltera corporális, quæ sita est in exteriori córporis humiliatióne protestativâ talis divínæ excelléntiæ, et nostræ ad eam submissiónis, v. g. dum genufléctimus; caput incurvámus; toto córpore postráti jacémus etc. Notándum tamen, hos actus exteriores, ut verè, ac próprié sint adoratiónes, ab interiori adoratióne, seu ab intentióne exhibéntis pendére; ita ut, quandò tales actus exhibéntur Deo ad protestándam suprémam ejus excelléntiam, dicúntur, et sunt vera adorátio; si áutem exhibeántur amícis Dei propter participátam ejus excelléntiam, dicúntur, et sunt, non adorátio, sed vel Dulía, vel Hyperdulia; actus Hyperdúliæ quidem, si B. Maríæ V. exhibeántur; Dulíæ áutem, si exhibeántur áliis Sanctis; si verò exhibeántur homínibus ad protestándam humánam eórum excelléntiam, cultus civílis dumtáxat sunt, et appellántur.

760. *Sacrifícium* dupliciter sumi potest, generáliter, seu latè; et strictè, seu próprié. Sacrifícium generáliter, et latè sumptum, est omne opus bonum propter Dei reveréntiam factum. Undè Psalmist., *psalm.* 50, inquit: «Sacrifi-«cium Deo, spíritus contribulátus;» et

August., *lib.* 10 *de Civit.*, *c.* 6: «Sa-«crifícium verum est omne opus bo-«num, quòd ágitur, ut sanctâ societáte «inhæreátur Deo.» Sacrifícium áutem própriè, et stríctè sumptum commúniter definítur: «Oblátio rei sensíbilis á «legítimo Minístro facta Deo, per reálem «immutatiónem, ad testándum supré-«mum ejus domínium, nostrámque sub-«jectiónem.»

Hinc collígitur, ad próprié dictum Sacrifícium quátuor requíri. Primum ex parte Minístri, quòd sit Sacérdos, id est, persóna ad Sacrifícium offeréndum deputáta; non enim cujúslibet est Sacrifícium offérre, sed hóminis públici, et ad id deputáti, qui ideò Sacérdos appellátur; quia Sacrifícium offértur, non pro solo offeránte, sed pro toto pópulo: Ergo, debet offérri per públicum Minístrum, qui nómine ómnium, et pro ómnibus agat: nemo enim potest próprià auctoritáte pópuli persónam assúmere, vel offícium peragéndi pro illo pública Ministéria. Secúndò ex parte rei oblátæ requíritur, quòd sit res sensíbilis; actus enim extérior religiónis éxigit, quòd ejus matéria sensíbilis sit. Tértiò ex parte formæ requíritur, quòd res illa reáliter immutétur, îstaque immutátio debet fíeri in ipsa actióne Sacrifícii, non áutem antè, aut post, quia per reálem mutatiónem víctimæ expréssiùs protestámur, Deum habére suprémum domínium ómnium, quod est finis Sacrifícii. Quartò ex parte finis Sacrifícii requíritur, quòd soli Deo fiat in protestatiónem suprémi ejus domínii, nostræque subjectiónis, quia Sacrifícium est actus latríæ, seu ejus cultûs, qui soli Deo exhibéri potest, ad diversitátem símplicis oblatiónis, aut exterióris actûs símplicis adoratiónis, qui étiam homínibus exhibéri possunt, ut sup. *num.* 759 annotávimus. Notándum, quòd Templa, et Altária, in quibus offértur augustíssimum Eucharístiæ Sacrifícium, etsi dicántur erécta Beátæ Vírgini, aut Sanctis; non revérà ipsis, sed soli Deo consecrántur sub invocatióne, vel patrocínio hujus, aut illíus Sancti, nec Sacérdos dicit: «Óffero tibi, Petre; vel Páu-«le, etc.;» sed Deo grátias agit pro illórum victóriis, et triúmphis.

761. *Oblátio* dícitur, quandò áliquid non immutándum offértur immediátè Deo, deputándum tamen vel cúltui divíno, vel úsibus Ministrórum: ut cùm Ecclésiæ offerúntur Lámpades, Imágines, Vestiménta sacra, etc.

762. *Primítiæ* sunt primi fructus cujuscúmque géneris ex terra nascéntes, qui offerúntur Deo in hujus benefícii recognitiónem.

763. *Décimæ* dúplicî sensû sumi possunt; primò stríctè, pro décima portióne frúctuum; Décima enim stríctè loquéndò, est una ex décimis portiónibus alicújus rei; et hoc sensu décima dícitur *secúndùm quotam*, seu secúndùm determinatiónem. Secúndò, Décima súmitur latè pro eo, quod à fidélibus tráditur in sustentatiónem Ministrórum Ecclésiæ, sive sit décima pórtio, sive duodécima, sive vigésima etc. et sic dícitur Décima *secúndùm substántiam*.

764. Décimæ *secúndùm substántiam* debéntur jure natúræ Ministris Ecclésiæ. Nam rátio naturális dictat, ut eis, qui divíno cúltui minístrant ad totíus pópuli salútem, ipse pópulus eis minístret necessária victui, eô modô, quô his, qui temporáli et commúni utilitáti invígilant, ut sunt Príncipes, Milites, etc. stipéndia victûs debéntur à pópulo. Id elegánter expónit Apóstolus, *Epist.* 1. *ad Cor.*, *c.* 9, álloquens Corínthios secúndùm humánas consuetúdines, et commúnem ómnium sensum, hîs verbîs: «Quis mílitat suis stipéndiis ún-

«quàm? quis plantat vìneam, et de «frúctibus ejus non edit? quis pascit «gregem, et de lacte gregis non man«dúcat?..... Si nos vobis spirituália se«minávimus, magnum est, si nos carná«lia vestra metámus?» Vid. et *epist.* 1 *ad Thimoth.*, *c.* 5, et Luc., *c.* 10, ubi ipse Christus légitur dixísse: «In eá«dem áutem domo manéte, edéntes, et «bibéntes quæ apud illos sunt: dig«nus est enim operárius mercéde suâ.»

Solútio áutem Decimárum *secúndùm quotam*, non est juris naturális, nam rátio naturális non detérminat décimam partem frúctuum Minístris Eccléstæ esse tribuéndam, sed tantùm detérminat id ipsis esse tribuéndum, quod eórum suffíciat sustentatióni, sive id sit pars décima, sive duodécima, sive ália. Solútio áutem Decimárum *secúndùm quotam* fuit in Lege Véteri juris Divíni, ut constat ex Exod., *c.* 22; Levit., *c.* 27; Num., *c.* 18: in Nova áutem Lege est quidem juris Ecclesiástici, ut constat extra titul. *de Décimis:* 30, *cap. Cùm hómines* 8. Item, *cáusa* 16, *q.* 1, *cap. Si quis Láicus*, et sequéntibus. Ibid., *q.* 2, *cap. Admonémus:* et sequéntibus: non vidétur áutem esse juris divíni. Nam quod est juris divíni, non potest auctoriáte Ecclésiæ, aut consuetúdine tolli: Atqui, non solùm potest Ecclésia, atténtîs oportunitátibûs témporum, et personárum, áliam partem, quàm Décimam, determináre; sed et de facto id váriis in locis determinátum est, sive ipsíus Ecclésiæ auctoritáte, sive consuetúdine; non enim omnes, et ubíque décimam partem solvunt, sed álii undécimam, álii duodécimam, álii décimam tértiam, álii vigésimam, alíque áliam: Ergo, solútio Decimárum *quoad quotam* non est juris divíni in Lege Nova. Nos non præterit in Jure dici, Décimas esse constitutiónes divínæ, juris divíni à Deo præcéptas; sed ex dictis patet, intelligéndum id esse de Décimis *quoad substántiam*, si sermo sit de Lege Nova.

765. Præter actus exterióres Religiónis hucúsque recensítos, adsunt et Vòtum, Juraméntum, Adjurátio, et Assúmptio divíni nóminis per láudem. Quidquid enim Divíno Númini est gratum, fieri potest ad testándum ejus Principátum, et nostram erga ipsum subjectiónem, et servitútem, in quo situs est religiónis actus.

Votum ergo est actus, quô quis se óbligat Deo ad áliquid faciéndum, vel omitténdum, in ejus cultum, et obséquium: et commúniter definítur: «Pro«míssio Deo facta de melióri bono.»

«Juraméntum est, Invocátio divíni «Nóminis in testimónium alicújus rei:» Quod patet esse religiónis actum, quia ille, qui jurat, divínum testimónium ínvocat, ad ea, quæ dicit, confirmándum; nihil áutem confirmátur nisi per áliquid, quod cértiùs est, et pótiùs: Ergo, hôc ipsô quòd homo per Deum jurat, profitétur Deum potiórem, útpotè cujus véritas est indefectíbilis, et cognítio universális, per quod magna Deo reveréntia exhibétur; quæ ínnuit Apóstolus, *Epist. ad Hebr.*, *c.* 6, ínquiens: «Hó«mines per majórem se jurant: et Hiérónymus super Matth., *c.* 5, scríbens: «Quòd qui jurat, aut venerátur, aut dí«ligit eum per quem jurat:» Ergo, cùm reveréntiam Deo exhibére ad religiónem spectet, juraméntum est religiónis actus, si tamen fiat prout opórtet, et secúndùm quod opórtet, prout fieri debet omnis virtútis actus.

Adjurátio est interpositio divíni Nóminis, aut rei sacræ, cujus reveréntiâ, timóre vel amóre, is, qui adjurátur, ad alíquid faciéndum, vel omitténdum movétur. Est duplex, prima, imperatíva, seu compul-

síva, quâ útimur erga súbditos ad áliquod obséquium obtinéndum, vel quâ útimur circa dæmones, non ad áliquod obséquium ab ipsis obtinéndum, sed eis imperándô, ne nobis, rebúsque nostris, aut próximi, nóceant: secúnda est deprecatíva, quâ útimur vel erga Deum, sicut Ecclésia términat suas oratiónes *Per Dóminum nostrum Jesum Christum;* vel erga Ángelos, et Sanctos, et hómines, si sint nostri Superióres, à quibus licet áliquid pétere, interpósitô Divínô Nómine ad eos magís, magisque movéndum. Útraque adjurátio est religiónis actus, cùm in utráque divína excelléntia protestétur.

Assúmptio Divíni Nóminis per láudem non solùm corde, sed étiam ore est exercénda. Undé *psalm.* 32: «Cantáte «ei cánticum novum, benè psállite ei in «vociferatióne.» *Epist. ad Coloss., c.* 3: «Commonéntes vos metípsos in psalmis, «et hymnis spirituálibus etc. etc.» Undè Ecclésia ab ejus incunábulis hanc obtínuit praxim, ádeò ut Philo Judæus Apóstolis coætáneus apud Euseb., *lib.* 1, *Hist., c.* 16, narret de Christiánis, quòd «unus ex ómnibus, consúrgens in «médio, psalmum honéstis módulis con«cinébat, et præcinénti ei unum versícu«lum, omnis multitúdo respondébat.» Notándum, quòd hæc assúmptio Divíni Nóminis in láudem, non tantùm summis lábiis, sed ex íntimo cordis affèctu est peragénda, ut sit verè religiónis actus, nam

Cum cor non orat, in vanum lingua labórat.

Undè super ea Apóstoli verba ad Ephes., *c.* 5: «Cantántes, et psalléntes «in córdibus vestris Dómino» inquit Hierónymus: «Audiant hæc adolescén«tuli, áudiant hi, quibus psalléndi in «Ecclésia offícium est, non voce, sed «corde cantándum.» Quibûs verbîs Hierónymus non vitúperat cantum, sed reprehéndit éos, qui in Ecclésia cantant dumtáxat ore, non verò corde, vel more theátricô, non propter devotiónem, sed tantùm propter ostentatiónem, vel delectatiónem.

766. Vária sunt vitia, quæ religióni opponúntur. Primum occúrrit Superstítio, quæ est «vítium éxhibens cultum divínum «vel cui non debet exhibéri, vel si ei, cui debétur, exhibeátur, id tamen non fit eô «modô quô fíeri debet:» ut si quis modò Deum cólere vellet cæremóniîs judáicîs quæ Christum ventúrum signíficabant, vel generáliter loquéndô, si quis Deum vellet cólere ritu ab Ecclésia non probáto.

Duæ sunt spécies in quas immediátè Superstítio divíditur, scílicèt, cultus indébitus veri Núminis; et cultus falsi Núminis.

Superstítio, quæ est cultus falsi Núminis, in tres spécies divíditur, Idololatríam vidélicet, Divinatiónem, et Vanam observántiam, ad quam redúcitur Mágia.

Idololatría próprié sumpta, est *Cultus divínus exhibitus creatúræ, ut Deo.* Per cultum hunc divínum intelligéndum est quodcúmque honóris signum, creatúræ, ut divinitáti, exhíbitum: sunt enim quídam actus honorífici, ut genuflèxio, incurvátio, orátio, similésque, quibus et Deum et creatúras cólere valémus, si tamen eos exhiberémus creatúræ, támquàm divinitáti, vera esset idololatría.

Divinátio próprié dicta est *prænótio, seu prædictio futurórum modô indébitô.* Díximus, divinátio próprié dicta, quia solùm futurórum prænuntiátio, próprié divinátio nuncupátur. Quia tamen multa ália, quæ sunt, aut fuérunt, nobis sunt ignóta, divinatiónis nomen exténsum est ad omnem illícitam prænuntiatiónem rerum vel præséntium, vel præteritárum, ita occultárum, ut per humánam indústriam cognósci non váleant. Undè divíni, et divináre dicúntur,

qui arte diabólicâ occúltum furem v. g. índicant, qui res pérditas osténdunt, qui cáusas occúltas mortis, aut morbi apériunt etc. Quaprópter generáliter loquéndô, peccátum divinatiónis commíttitur, cùm quis citra revelatiónem tentat prænóscere, vel prædícere res quáslíbet ipsi naturáliter ignótas, quod fit auxíliô Demonum tácitè, vel expréssè invocátô, nec enim áliter res tunc fíeri potest. Ex quo patet, hanc divinatiónem esse Superstitiónis spéciem.

Vanæ observántiæ dicúntur, quæ fiunt ad áliquem efféctum obtinéndum, ad quem nec à Deo, nec ab Ecclésia, nec à natúra, ullam vim habent: vel cùm ex consideratióne alicújus eventûs fortúiti conjícit quis áliquid prósperi, vel advérsi, et indè actiónes suas moderátur.

Mágia generáliter sumpta est duplex, naturális vidélicet, et superstitiósa. Mágia naturális est rátio quædam operándi mira, per cáusas naturáles: et hæc, quámvis non sit secúndùm se illícita, est tamen periculósa, quia illi se fácilè immíscet Diábolus. Mágia superstitiósa est rátio quædam operándi mira ope Dæmonis, per signa ab ipso institúta. Est íterùm duplex Mágia superstitiósa, seu, pótiùs dúplicem habet finem: vel enim refértur ad ostentatiónem, sive áliud cómmodum próprium, vel aliénum; et tunc commúni nómine dícitur *Mágia:* vel refértur ad inferéndum nocuméntum álteri; et tunc dícitur *Malefícium*, quod qui commíttit, *Sortiárius*, aut *Sortiária* nuncupátur. Malefícium áutem est étiàm duplex: unum, *venéficum;* áliud, *amatórium*. Venéficum est, quô reddúntur hómines, infírmi; fœminæ, stériles; proles, lánguidæ; pecóra, mórbida; árbores, siccæ, etc. Malefícium *amatórium* est, quô excitátur amor venéreus erga determinátam persónam. Dícimus, erga determinátam persónam: quia dicúntur esse quidem lápides, et herbæ, quæ naturáliter concupiscéntiam inflámmant, at non erga determinátam persónam: Ergo, cùm amor venéreus erga determinátam persónam excitátur, id fieri debet à dæmone, vel phantasíam immutánte, vel spécies objécti pulchrióres exhibénte, aliísvè modîs. Adverténdum tamen, persónam hòcce malefíciô afféctam non cogi ad peccátum, sed líberam manére, et cum Dei grátia posse tentatiónem víncere: libértas enim hóminis, non subest, quemádmodùm phantasía, dæmonis influxui.

Ex dúplice cápite dignósci potest opus mágicum; ex cáusis scílicet, et ex efféctibus. Ex cáusis, quándô nempè ea adhibéntur, quæ nec ex natúra sua, neque ex institúto Dei, aut Ecclésiæ, tales efféctus possunt prodúcere; e. c. Si ad sanatiónem vúlnerum, aut morbórum adhibeántur charactéres, sigílla, nómina exótica, si pungátur imágo Petri, aut vestis separáta feriátur, ut indè Petrus afficiátur dolóre etc. Ex efféctibus dignóscitur, quandô efféctus naturálem súperat indústriam, nec ulla est rátio in præséntibus circumstántiis illum expectándi à Deo per miráculum.

767. *Perjúrium* est pervérsitas juraménti, et ídeò religióni oppónitur, cùm juraméntum sit actus religiónis. Perjúrium latè, et generáliter sumptum, est omne juraméntum destitútum áliquô ex tribus comítibus, qui secúndùm Jeremíam, *c.* 4, ipsum debent comitári, nempè, *veritáte, judiciô, et justitiâ;* undè Hierónymus in præfátum caput Jeremíæ inquit: «Jusjurándum habet «cómites veritátem, judícium, atque jus«títiam; si istæ defúerint, nequáquàm «erit juraméntum, sed perjúrium.» Hinc fluit, perjúrium esse triplex. Primum,

cùm juraménto deest véritas; et hoc est perjúrium stríctè sumptum, et definitur. *Mendácium juraméntô firmátum*. Secúndum est, cùm juraménto deest justítia, quocúmque enim modô jurans illícitum, obligátur non præstáre quod jurávit; et tamen juraméntum ritè factum vim impórtat obligándi ad faciéndum id quod jurátur. Tértium est, cùm juraménto deest judícium, vidélicet, cùm quis indiscrétè juret, hôc ipsô enim sese committit perículo jurándi vel falsum, vel illícitum; quæ sunt contra natúram legítimi juraménti.

768. *Sacrilégium* est violátio, seu indígna, et irréverens tractátio rei sacræ; et ídeò est vítium contra religiónem, secúndùm quam reveréri debémus ómnia, quæ sunt ad Dei cultum deputáta. Tres sunt sacrilégii spécies; nempè, sacrilégium personále, locále, et reále. Personále, cùm indígnè tractántur personæ divíno cúltui deputátæ; locále cùm, violátur locus ad divína Offícia, seu ad mórtuos tumulándos destinátus; reále, est illícita administrátio, aut illícita recéptio Sacraménti; aut Sanctórum Reliquiárum, aut Imáginum, aut vasórum, aut sacrárum véstium, aut altériùs rei, quæ consecráta sit, aut benedícta, profanátio.

769. *Simónia* commúniter definítur: «studiósa volúntas eméndi, vel vendéndi prétiô temporáli áliquid spirituále, «vel spirituáli annéxum.» Dícitur, eméndi, vel vendéndi prétiô temporálî, per quod intellígitur omnis contráctus non gratúitus, id est, contráctus, quô res spirituális áliquô prétiô temporálî, vel áliâ re prétiô æstimábilî appretiátur, et compensátur, ut sunt locátio, condúctio, commutátio, do ut des, do ut fácias, fácio ut des, etc.

Ad Simoníam ergo própriè dictam essentiáliter requíritur, quòd temporále intendátur explícitè, vel implícitè, ut prétium rei spirituális, áliàs non erit vendítio, aut émptio, neque quivis álius contráctus sic onerósus, qui nómine venditiónis, vel emptiónis intélligi váleat. Et hæc est communis senténtia Theologórum, et Canonistárum, eámque proféctò ténuit S. Thomas, 2.ª 2.æ *q.* 100, *art.* 3, ubi probat, non esse Simoníam áliquid temporále recípere pro administratióne spirituálium, puta, pro Missis, pro Conciónibus, pro oratiónibus, et áliîs simílibùs spirituálibùs, modò non recipiátur temporále, ut prétium, sed ut stipéndium, vel áliquò álio honestô títulô.

Dícitur in definitióne, *spirituále*, hoc est, supernaturále, nimírùm vel ut à Deo, Auctóre supernaturálî provéniens; vel ut ad Deum, támquàm salútis spirituális Auctórem órdinans.

Est triplex: spirituále per essèntiam, ut grátia, jurisdíctio Ecclesiástica etc.: spirituále causáliter, quátenùs nempè est cáusa spirituális efféctùs, ut Sacraménta: spirituále effectívè, quátenùs scílicet à cáusa spirituáli próvenit, ut sánitas collâta per grátiam miraculórum.

Dícitur, vel *spirituáli annéxum;* circa quæ conclúdimus cum D. Thom., 2.ª 2.æ *quæst.* 100, *art.* 4: «Quòd «áliquid potest esse annéxum spirituá«libus duplíciter. Unô modô sicut ex «spirituálibus dependens: sicut habére «benefícia ecclesiástica, dícitur spirituá«libus annéxum, quia non cómpetit ni«si habénti offícium clericále: undè hu«jùsmodi nullô modô possunt esse sinè «spirituálibus. Et propter hoc ea nullô «modô véndere licet: quia, eîs vénditîs, «intelligúntur étiam spirituália venditió«ni súbjici.

«Quædam áutem sunt annéxa spiri«tuálibus, in quantùm ad spirituália or-

«dinántur; sicut jus patronátûs, quod «ordinátur ad præsentándum Cléricos «ad ecclesiástica benefícia; et vasa sa«cra, quæ ordinántur ad Sacramentó«rum usum: undè hujúsmodi non præ«suppónunt Spirituália, sed magis ea ór«dine témporis præcédunt. Et ídeò áli«quô modô vendi possunt, non áutem «in quantùm sunt spirituálibus an«néxa.»

Hic sístimus: Plúrima tum ad Primam Secúndæ, tum ad Secúndam Secúndæ Partis Summæ Angélici Præceptóris spectántia consúltò prætermíttimus, nedùm quia hic Cursus Elementáris ea ómnia sinû suô amplécti non valet; verùm etiam, quia ea jure própriô sibi vindicat Theológia Morális, cui Tyrónes tractu témporis incúmbere debébunt, ut adamússim, prout opórtet, idónei reddántur consciéntiis moderándis.

FINIS TÉRTII TOMI.

INDEX

EÓRUM, QUÆ IN HOC TÉRTIO TOMO CONTINÉNTUR.

Censúra. . . . . V.
Mónitum ad lectórem. . . . . XI.

Tractátus de spectántibus ad Primam Secúndæ Summæ D. Thomæ.

CAPUT I.—*De último fine hóminis.* 13
CAPUT II.—*Utrum actus humáni spéciem sortiántur ex fine?* . . . 14
Conclúsio. Actus humáni spéciem sortiúntur à fine. . . . . ib.
CAPUT III.—*An detur áliquis finis últimus ómnium actiónum humanárum, ultrà quem ulteriùs procédi non possit?* 15
I. Conclúsio. Necésse est pónere áliquem últimum finem, propter quem, saltem sub generáli notióne boni apprehénsum, fiant omnes actiónes humánæ. . . . . ib.
II. Conclúsio. Quotiescúmque homo liberè et humánô modô operátur, tendit actû, vel virtúte in últimum finem formaliter sumptum. 16
Solvúntur objectiónes. 17
Schólion. 18
CAPUT IV.—*De Beatitúdine.* 19
I. Conclúsio. Beatitúdo objectíva hóminis in solo bono increáto, scílicet, Deô, consístit. 20
Corollárium. . . . . ib.
Schólion. . . . . ib.
II. Conclúsio. Beatitúdo formális, seu consecútio summi boni, essentiáliter consístit in actu intellectûs, non in actu voluntatis. . 21
Solvúntur objectiónes. 22
CAPUT V.—*De proprietátibus beatitúdinis formális.* 23
§ 1. De impeccabilitáte Beatórum. . . . . ib.
I. Conclúsio. Beáti sunt impeccábiles ab intrínseco. . . . . ib.

II. Conclúsio. Vísio clara Dei est radix impeccabilitátis, quâ perfruúntur Beáti. . . . . ib.
§ II. An Beáti necessáriò diligant Deum quoad exercítium: et undè hoc procédat? 24
Conclúsio. Beáti necessitántur ad Deum in exercítio amándum, ita ut ab ejus amóre cessáre non váleant: et hoc próvenit ex eo quòd clarè vident Deum. . . . . ib.
§ III. De perpetuitáte Beatitúdinis. 25
Conclúsio. Beatitúdo perfécta erit perpétua. . . . . ib.
CAPUT VI.—*De áctibus humánis.* 26
§ I. De voluntário, quod requíritur ad constitutiónem actûs humáni. . . . . ib.
§ II. De divisióne voluntárii. 27
§ III. An voluntárium possit esse ábsque omni actu. 28
Conclúsio. Omíssio potest esse indirécte, seu negativè voluntária, ábsque omni actu voluntátis, qui sit de essentiáli ejus constitútivo; non potest tamen esse sinè actu, qui sit cáusa, vel occásio ejus. . . . . ib.
Schólion. 29
CAPUT VII.—*De his, quæ possunt augére vel minúere, vel tóllere voluntárium.* 30
§ I. An violéntia possit inférri voluntáti? . . . . . ib.
I. Conclúsio. Volúntas nequit pati violéntiam, quoad actus à se elícitos; benè verò, quoad actus extérnos ab ipsa imperátos, et ab áliis poténtiis exércitos. . . . . ib.
Solvúntur objectiónes. 31
§ II. An violéntia pénitùs périmat voluntárium? . . . . . ib.
Conclúsio. Violéntia, quæ est suffíciens, seu compéllens, et absoláta, pénitus périmit voluntárium. 32
Solvúntur objectiónes. . . . . ib.
§ III. An metus tollat voluntárium? 33
I. Conclúsio. Metus mínuit quidem voluntárium; non tamen omnínò tollit. 34
II. Conclúsio. Quæ fiunt ex metu, sunt simplíciter voluntária; et secúndùm quid involuntária. . . . . ib.
Solvúntur objectiónes. . . . . ib.
§ IV. An concupiscéntia involuntárium cáuset? 35
I. Conclúsio. Concupiscéntia antecédens non tollit, sed pótiùs facit voluntárium absolútum. 36
II. Conclúsio. Concupiscéntia antecédens mínuit voluntárium perféctum, et líberum. . . . . ib.
§ V. An quæ fiunt ex ignorántia sint involuntária? 37
I. Conclúsio. Ea, quæ fiunt cum ignorántia concomitánte, nec fiunt

voluntáriè, nec involuntáriè, sed non voluntáriè. 38
II. Conclúsio. Ignorántia consequens, sive sit, quæ dícitur affectáta, sive quæ dícitur malæ electiónis, causat voluntárium simpliciter, et involuntárium secúndùm quid. 39
Schólion 1.^m . . . . . ib.
Schólion 2.^m . . . . . ib.
III. Conclúsio. Ignorántia purè antecédens, et verè invincíbilis, sive Facti, sive Juris, causat involuntárium simpliciter, et à culpa excúsat. 40
Schólion. 41
Solvúntur objectiónes. 42
CAPUT VIII.—*De voluntário libero.* 43
I. Conclúsio. Etiam in státu natúræ lapsæ gáudet homo libertáte arbítrii, seu indifferéntiæ. 45
Solvúntur objectiónes. 46
II. Conclúsio. Ad meréndum, vel demeréndum in státu natúræ lapsæ, requíritur in hómine libértas à necessitáte, seu libértas indifferéntiæ, et non súfficit libértas à coactióne. 48
Solvúntur objectiónes. 49
Schólion 1.^m 51
Schólion 2.^m . . . . . ib.
CAPUT IX.—*De Áctuum humanórum moralitáte.* 53
§ I. In quo sita sit humanórum áctuum morálitas. . . . . ib.
I. Conclúsio. Morálitas formáliter consistit in respéctu, quem actus liber voluntátis dicit ad objéctum suum, ut régulis morum subjéctum. . . . . ib.
II. Conclúsio. Probabílius existimámus, nedùm bonitátem, et malítiam, sed étiam indifferéntiam, esse moralitátis spécies. . . ib.
III. Conclúsio. Omnis actus deliberátus in indivíduo, seu prout fit hìc et nunc, necessáriò debet esse vel bonus, vel malus. . . 54
Solvúntur objectiónes. 55
§ II. De Régulis moralitátis. 56
Conclúsio. Primordiáles régulæ morum duæ sunt: una extrínseca, et remóta in mente divína exístens, nempè lex ætérna; áltera, próxima et intrínseca, et in hómine résidens, scílicet humana rátio, in quántùm legem ætérnam participat, eíque subordinátur. . . . . ib.
CAPUT X.—*De principiis conferéntibus áctui humáno spéciem moralitátis.* 57
I. Conclúsio. Actus humánus primam, seu specíficam bonitátem, vel malítiam, desúmit ex suo objécto moráliter considerátô . . 58
Solvúntur objectiónes. . . . . ib.
II. Conclúsio. Actus humáni áliquam sumunt bonitátem, vel ma-

lítiam ex circumstántiis moráliter considerátis. 60
Schólion. 61
III. Conclúsio. Áctio humána intérdùm ultrà bonitátem, vel malítiam, quam subit ex objécto, vel circumstántiis, sortítur áliam ex fine operántis. 62
IV. Conclúsio. Actus ex objécto bonus, si infícitur fine, aut circumstántiîs pravîs, quæ sint illíus cáusa totális, et adæquáta, est totus malus. 64
Solvúntur objectiónes. . . . . ib.
V. Conclúsio. Actus ex objécto bonus, qui ita infícitur fine, aut circumstántiîs pravîs, quin sint totális et adæquáta cáusa ejus, potest esse ex objécto bonus, et ex circumstántiis, vel fine malus. 66
Solvúntur objectiónes. . . . . ib.
VI. Conclúsio. Volúntas ut bona sit, debet esse cum divína voluntáte confórmis. 68
VII. Conclúsio. Cùm Deus áliquid præcípit, vel próhibet, tenémur voluntátem nostram, voluntáti divínæ conformáre, étiam in vólito materiáli. 69
VIII. Conclúsio. Cùm Deus áliqua nobis propónit tantùm sub consílio, non sic tenémur voluntátem nostram divínæ conformáre, quási debeámus ea velle implére: sed satîs est, quòd ea reputémur támquàm bona, et salutária. . . . . ib.
Petes: quid dicéndum de his, quæ Deus permíttit?. . . . ib
IX. Conclúsio. Volúntas humána tenétur semper conformári voluntáti divínæ in vólito formáli. 70
Schólion magnóperè adverténdum. . . . . ib.
X. Conclúsio. Quándò nobis certò innotéscit quid Deus materiáliter velit, nostram voluntátem voluntáti divínæ in vólito materiáli non tenémur semper ita conformáre, ut debeámus actû positivò velle, quidquid scimus Deum velle: sed ita tenémur voluntátem nostram divínæ conformáre, ut ágnitam Dei voluntátem témpore ac loco approbémus, ac res à Deo vólita nobis placeat, sub ea ratióne, quâ est à Deo vólita. 71
Petes: Ex dictis séquiturne, quòd non líceat tristári de morte Paréntum, vel amicórum, vel de áliis advérsis, quandóquidèm dum ea áccidunt, satîs ipsò rei evéntû cognóscitur, quòd sint vólita à Deo? 72
§ I. An actus extérior addat bonitátem, vel malítiam áctui interióri voluntátis?. . . . . ib.
Conclúsio. Si volúntas sit de se dispósita, ut non operétur, vel quia non potest, vel quia ei non sese offert occásio operándi, parâta tamen ad operándum, si posset, tam bona est, vel mala sim-

pliciter, cum actu exteriori, ac sinè illo. . . . . ib.
Schólion. 74
CAPUT XI.—*De Consciéntia.* . . . . . ib.
§ I. Quid sit consciéntia ? . . . . . ib.
§ II. De divisióne consciéntiæ. 76
§ III. An ágere contra consciéntiam sit peccátum ? . . . . . ib.
Conclúsio. Númquàm licet ágere contra consciéntiam, tam præcipiéntem, quàm prohibéntem ; sive consciéntia sit vera, sive errónea, etiámsi vincibiliter erret. 77
Schólion. 78
§ IV. De consciéntia dúbia. 79
I. Conclúsio. Contra dúbium, quod est solùm speculatívum ; et in universáli, aliquándò ágere licet. . . . . ib.
II. Conclúsio. Númquàm licet ágere cum dúbio práctico, seu cum consciéntia prácticè dúbiâ. 80
§ V. De Consciéntia probábili. . . . . ib.
I. Conclúsio. Númquàm licet ágere cum opinióne tenúiter probábili. 82
II. Conclúsio. Licet ágere cum opinióne sólidè probábili, quándò sola reperítur. . . . . ib.
III. Conclúsio. In concúrsu dúplicis opiniónis, quárum una sit minùs probábilis, favens libertáti ; áltera sit probabilior, favens legi ; non licet opiniónem minùs probábilem sequi. 83
IV. Conclúsio. Cùm áglitur de honestáte actiónis, et concúrrunt duæ opiniónes æquè probábiles, quarum una favet legi, áltera favet libertáti ; nequímus sequi eam, quæ favet libertáti, nisi per áliquod princípium, vel directum, vel reflexum, hæc opinio reddátur probabílior. . . . . ib.
Solvúntur objectiónes. 85
§ VI. De consciéntia scrupulósa. 87
Conclúsio. Consciéntia scrupulosa contemnénda, et deponénda. . ib.

Tractátus de Virtútibus et Vítiis.

CAPUT I.—*De virtútibus.* 89
§ I. Quid sit virtus ? . . . . . ib.
§ II. De divisióne virtútum. 90
Corollárium. 91
§ III. An virtútes morales in médio consístant ? 93
I. Conclúsio. Virtútes morales, nempè, fortitúdo, et temperántia, quæ circa passiónes versántur, in medio rationis consístunt, et non in médio rei. 94
II. Conclúsio. Justítia, quæ est virtus morális circa operationes,

quæ sunt ad álterum, consístit in médio rei, non tamen exclúsô médiô ratiónis. 95
III. Conclúsio. Virtútes theológicæ per se non consístunt in médio ; sed solùm per áccidens, et ex parte nostrî. 96
§ IV. De connexióne virtútum morálium. 97
I. Conclúsio. Virtútes moráles in státu imperfécto, non sunt ad ínvicem connéxæ . . . . . ib.
II. Conclúsio. Virtútes moráles in státu perfécto, sunt ad ínvicem connéxæ. 98
Solvúntur objectiónes. 99
Error Voltáirii circa virtútes. 101
APPÉNDIX.—*De Donis, Beatitudínibûs, et Frúctibûs Spíritûs Sancti.* 103
§ I. De Donis Spíritûs Sancti. . . . . ib.
I. Conclúsio. Dona Spíritûs Sancti dantur per modum hábitûs . ib.
II. Conclúsio. Dona Spíritûs Sancti sunt septem. 104
Definítio donórum Spíritûs Sancti. 105
§ II. De Beatitudínibus. 106
§ III. De Frúctibus Spíritûs Sancti. 107
Schólion. 109
CAPUT II.—*De vítiis et peccátis.* 110
§ I. De vítiis. . . . . ib.
§ II. De peccátis. 111
Conclúsio. Peccátum in génere moris est: dictum, factum, vel concupítum contra legem ætérnam. . . . . ib.
§ III. An detur peccátum purè philosóphicum? 112
I. Conclúsio. Peccátum purè philosóphicum, Dei ignorántiam præsuppónens, admítti nequit . . . . . ib.
II. Conclúsio. Peccátum purè philosóphicum neque admítti potest in eo, qui quantúmvis Deum non ignóret, de Deo áutem actû non cógitat.. 114
III. Conclúsio. Omne peccátum mortále essentiáliter est injúria Dei affectívè, et multipliciter in Deum directa. 115
Petes: Quid de peccáto veniáli censéndum? 116
§ IV. De conditiónibus, quæ essentiáliter ad peccátum actuále requiruntur.. . . . . ib.
I. Conclúsio. Peccátum essentiáliter debet esse voluntárium. . . ib.
II. Conclúsio. Peccátum actuále debet esse liberum libertáte indifferéntiæ. . . . . ib.
§ V. De adverténtia ad peccátum requisíta. 117
Conclúsio. Sola inadverténtia invincíbilis quoad malítiam actûs, excúsat à peccáto formáli. 118
§ VI. De peccáto mortáli, et veniáli. . . . . ib.
Conclúsio. Non ómnia peccáta sunt ex natúra sua mortália ; sed

dantur áliqua ex natúra sua veniália. . . . . ib.
Solvúntur objectiónes. 119
§ VIII. An inordináti motus sensitívæ partis sint peccáta. . . . 121
Conclúsio. Motus pravi appetítûs sensitívi, seu concupiscéntiæ, omnem ratiónis adverténtiam prævenientes, et quos pátimur invíti, quantúmvis verséntur circa objécta gráviter illícita, non sunt peccáta, ne quidem veniália. . . . . ib.
CAPUT III. — *De cáusis extrínsecis peccáti*. 123
§ I. An Deus sit cáusa peccáti? . . . . . ib.
Conclúsio. Ad fidem pértinens est, Deum nullô modô esse auctórem peccáti. 124
Solvúntur objectiónes. 125
§ II. An Deus sit cáusa actûs peccáti? 128
Conclúsio. Deus est cáusa propriè, et per se actualitátis, et entitátis physicæ repértæ in peccáto. 128
Solvúntur objectiónes. . . . . ib.
§ III. An Diábolus sit cáusa peccatórum, quæ hómines pérpetrant? 130
I. Conclúsio. Diábolus non est causa peccáti hóminis sufficiénter. ib.
II. Conclúsio. Diábolus potest esse homínibus cáusa peccáti, per modum persuadéntis, et eis proponéntis appetíbile. 131
§ IV. An homo possit esse cáusa peccáti altérius hóminis? . . . ib.
De peccáto origináli. 132
I. Conclúsio. Juxta fidem Cathólicam tenéndum est, dari peccátum originále, quod tradúcitur in Pósteros Adæ. 133
Solvúntur objectiónes. 136
Petes : Eccur Deus animam puram, et immaculátam à se creátam, córpori ita conjúngit, ut ex conjunctióne vitiétur? 141
§ V. Quómodo peccátum originále sit Pósteris Adæ voluntárium? 142
§ VI. In quo sita sit esséntia peccáti originális? 143
Conclúsio. Formále constitutívum peccáti originális consístit in privatióne justítiæ originális, quoad suum primárium effectum, qui erat subjícere perféctè mentem Deo. 144
§ VII. De effectibus peccáti originális. 145
§ VIII. Utrùm párvuli decedéntes cum solo origináli peccáto, pœnam sensûs patiántur? 146
I. Conclúsio. Commúnior, et probabílior sententia est, párvulos, qui cum origináli peccáto moriúntur, nullâ afflíci pœnâ sensûs. ib.
Solvúntur objectiónes. 148
II. Conclúsio. Púeri sinè baptísmo decedéntes, nullô afficiéntur dolóre, aut tristítiâ ex privatióne visiónis beatíficæ. 150
Petes 1.° An Adámô non peccánte, licet peccánte Evâ, Pósteri contraxíssent peccátum originále? 151
Petes 2.° Si neque Adam, neque Eva peccássent, peccásset áutem

áliquis ex suis Pósteris, puta, Cáin, an iste in suos pósteros peccátum originále transmisísset? . . . . . ib.
CAPUT IV.—*De pœna, quæ post hanc vitam peccáto actuáli debétur.* 152
§ I. Utrùm omnis peccans mortáliter, pœnæ ætérnæ incúrrat reátum? 153
§ II. De existéntia inférni in ætérnùm peccátum cruciántis. . . 154
Conclúsio. Pœnæ, quas patiéntur omnes damnáti in inférno, erunt ætérnæ. 155
Solvúntur objectiónes. 158
§ III. De Purgatório. 162
Conclúsio. Ex sacris lítteris constat, exístere Purgatórium, seu Receptáculum áliquod, quô in áltera vita ánimæ justórum non plenè in hac vita purgátæ detinéntur usque ad íntegram divínæ Justítiæ satisfactiónem. 163
Solvúntur objectiónes. 168
Schólion. 171
APPÉNDIX de Passiónibus. 172
§ I. Quid sit Pássio? . . . . . ib.
§ II. Quótuplex sit Pássio? 173
§ III. Quómodò Passiónes se hábeant ad bonitátem, vel malítiam morálem. . . . . ib.
Petes: An pássio dum rationi, voluntatíque coöperátur, diminuat, vel áugeat voluntátis bonitátem? 174
§ IV. De Passiónibus appetítûs concupiscíbilis. 175
De amore, et ódio. . . . . ib.
§ V. De desidério, et fuga. 176
§ VI. De delectatióne, seu gáudio, et de tristítia, seu dolóre. . . 177
§ VII. De Passiónibus partis irascíbilis. 179
De spe, et desperatióne. . . . . ib.
§ VIII. De audácia, et timóre. . . . . ib.
§ IX. De ira. 182
Schólion. 183

Tractátus de Légibus.

CAPUT I.—*De his, quæ pértinent ad substántiam legis in commúni.* . 185
§ I. An Lex essentiáliter sit actus intelléctûs? 186
Conclúsio. Lex essentiáliter est actus intelléctûs, præsuppónens tamen, et cónnotans voluntátis actum. . . . . ib.
§ II. An Lex semper ad bonum commúne débeat ordinári? . . 187
Conclúsio. Lex, ut veram legis rationem hábeat, debet semper dirigi ad Communitátem, nec satis est, ut uni, vel álteri hómini imponátur. . . . . ib.

Schólion. 188
Conclúsio. De ratióne Legis est, quòd formáliter sit própter bonum commúne, ut propter finem. . . . . ib.
§ III. De habénte potestátem condéndi Leges. 190
Conclúsio. Potéstas legislativa cómpetit Communitáti, vel illi, qui curam gerit Communitátis. . . . . ib.
§ IV. De promulgatióne Legis. 191
I. Conclúsio. Ut Lex actuáliter óbliget, necessária est aliquális ejus promulgátio. . . . . ib.
Peles 1.° Utrùm, ut Lex censeátur sufficiénter promulgáta, requirátur, quòd síngulis intimétur? . . . . . ib.
Peles 2.° An Lex sufficiénter promulgáta óbliget omnes, étiam eam invincibíliter ignorántes? 192
II. Conclúsio. Probabílius est, promulgatiónem non esse de essántia legis; sed tantùm conditiónem necessáriò requisítam, ut lex súbditos óbliget obligatióne perféctâ, seu in actu secúndo. . . ib.
CAPUT II.—*De divisióne, effectibus, et áctibus Legis.* 193
§ I. De divisióne Legum. . . . . ib.
§ II. De effectibus Legis. 195
Conclúsio. Próprius effectus Legis est hómines fácere bonos. . . 196
§ III. De áctibus Legis. . . . . ib.
Conclúsio. Quatuor sunt actus Legis: imperáre, scílicet, vetáre, permíttere, et puníre. . . . . ib.
CAPUT III.—*De Lege ætérna.* 197
I. Conclúsio. Lex ætérna est omnibus nota, non quidem in seípsa; sed in suo effectu. . . . . ib.
II. Conclúsio. Omnes Leges próprie dictæ, seu justæ, ab homínibus latæ, à lege ætérna derivántur. . . . . ib.
Schólion. 198
CAPUT IV.—*De Lege naturáli.* 199
§ I. De existéntia Legis naturális. . . . . ib.
I. Conclúsio. Éxistit Lex naturális ínsita in nobis simul cum natúra rationáli. . . . . ib.
II. Conclúsio. Jus Géntium strictè sumptum, à Lege naturáli distínguitur. 200
§ II. An Lex naturális admíttere possit mutatiónem? 201
I. Conclúsio. Lex naturális mutári potest impropriè, id est per modum additiónis. 202
II. Conclúsio. Lex naturális est omnínò immutábilis quoad prima præcepta, mutatióne propriè dictâ, seu per modum substractiónis. . . . . ib.
Solvúntur objectiónes. . . . . ib.
III. Conclúsio. Lex naturális, quoad áliqua præcépta, et in áliquo

particulári casu, mutári potest, mutatióne tantùm materiáli, non verò formáli. 203
Solvúntur objectiónes. 204
Petes: an Lex naturális possit à corde hóminum aboléri? . . . 209
CAPUT V.—*De lege humána.* . . . . . ib.
I. Conclúsio. Prælati Ecclésiæ potestátem habent condéndi leges pro bono Ecclésiæ, quibus súbditi obedíre tenéntur. 210
II. Conclúsio. Qui in civílibus suprémam curam gerunt Communitátis, habent potestátem condéndi leges civíles, quibus súbditi, licèt Christiáni, obedíre tenéntur. . . . . ib.
III. Conclúsio. Leges tam Ecclesiásticæ, quàm Civíles, óbligant in foro consciéntiæ. 212
IV. Conclúsio. Leges humánæ, sive sint Ecclesiásticæ, sive Civíles, non pendent ab acceptatióne Pópuli, ut vim hábeant obligándi. 213
Solvúntur objectiónes. 214
APPÉNDIX de pacto sociáli Roussejáno. 216
CAPUT VI.—*De lege positíva divína.* 219
I. Conclúsio. Lex vetus fuit bona. 220
Solvúntur objectiónes. . . . . ib.
Schólion. 223
II. Conclúsio Lex nova ália est à véteri; non sicut órdinans ad divérsum finem, sed sicut proxímiùs lex nova accédens ad finem eúmdem. . . . . ib.
Schólion. 225

Tractátus de Divína Grátia.

CAPUT I.—*Váriæ grátiæ acceptiónes, ac ejus præcípui hostes.* . . . 227
§ I. Quid nómine Grátiæ véniat intelligéndum? . . . . . ib.
§ II. De præcípuis Grátiæ hóstibus. 228
CAPUT II.—*De necessitáte Grátiæ.* 230
I. Conclúsio. Ad inítium, progréssum, et consummatiónem boni óperis supernaturális, necessária est divína grátia. . . . . ib.
Solvúntur objectiónes. 232
Expónitur illud célebre axióma: Faciénti quod in se est, Deus non dénegat grátiam. 235
Schólion. 238
CAPUT III.—*Ad quæ, inter ália, Grátia sit necessária.* 240
I. Conclusio. Quándò véritas, estò in se sit supernaturális, attíngitur tamen ob motívum merè naturále, homo potest víribûs natúræ, illam attíngere. . . . . ib.
II. Conclúsio. Ad cognoscéndum, et assentiéndum, ut opórtet, ve-

ritátibus, sive ex parte objécti, sive ex parte motívi, supernaturálibus, necessária est grátia intérna. . . . . ib.
III. Conclúsio. Ad omne opus bonum ad vitam ætérnam condúcens, necessária est grátia intérna. 242
IV. Conclúsio. In státu natúræ corrúptæ nemo potest solis natúræ viribûs, vel cum solo auxílio generáli, Deum, ut auctórem natúræ, dilectióne efficácî tam affectivè, quàm effectivè super ómnia dilígere, adeóque ad id grátia speciális est necessária. 248
V. Conclúsio. Homo lapsus sinè speciáli grátia non potest ómnia præcépta legis étiam naturális implére, néquidem quoad substántiam.. 249
Schólion. 250
VI. Conclúsio. Homo non potest meréri vitam ætérnam sinè grátia. 251
VII. Conclúsio. Fide certum est, quòd nemo ex solis natúræ víribûs, sinè auxílio gratiæ speciális, potest ad grátiam habituálem, seu sanctificántem consequéndam, se sic præparáre, ut eam de condígno mereátur. 252
VIII Conclúsio. Homo ex víribus natúræ nequit ullô modô, nec remotê, se dispónere ad primam grátiam, puta, vocatiónis ad fidem. 253
Solvúntur objectiónes. 254
IX. Conclúsio. Nulla, saltem gravis tentátio, sinè grátia Salvatóris in státu natúræ lapsæ superári potest. 255
Solvúntur objectiónes. 257
X. Conclúsio. Ad perseverándum fináliter est necessária grátia : et hæc est speciále donum Dei à grátia sanctificánte distínctum. . 258
CAPUT IV.—*De divisióne grátiæ.* 260
I. Conclúsio Admittenda est gratia sufficiens, sensû Thomísticô, non áliô. 265
Solvúntur objectiónes. . . . . ib.
II. Conclúsio Gratia efficax répetit suam efficáciam ex sola omnipotentíssima Dei voluntáte, atque ex ejus suprémô dominiô super hóminum voluntátes; adeóque est per se infallibíliter efficax, non infallibilitáte sciéntiæ tantùm, sed et causalitátis. . . 268
CAPUT V.—*De Justificatióne peccatóris.* 270
I Conclúsio. In justificatióne peccatóris, non solùm tegúntur, seu non imputántur peccáta, sed verè remittúntur, delèntur, et auferúntur. . . . . ib.
Solvúntur objectiónes. 271
II. Conclúsio. Justificátio peccatóris non fit per imputatiónem extrínsecam justítiæ, quâ Deus justus est, aut justítiæ Christi, sed fit per veram, et intrínsecam justítiam, seu grátiæ habitualis in-

fusiónem, ac justificáto intrínsecè inhæréntem.. 272
Solvúntur objectiónes. 273
III. Conclúsio. Homo adúltus per motus líberi arbítrii, divínô auxíliô moti, et excitáti, se dispónit ad grátiam justificatiónis adquiréndam. 274
Solvúntur objectiónes. 275
§ únicus. An ad justificatiónem ímpii requirátur motus fídei, et an hic solus suffíciat? 276
Solvúntur objectiónes. 277
CAPUT VI.—*De mérito justi.* 279
§ I. Quid, et quótuplex sit méritum, et quæ conditiónes ad ipsum requirántur? . . . . . ib.
§ II. De his, quæ possunt cádere sub mérito hóminis. 281
I. Conclúsio. Ópera justórum sunt verè de condígno meritória, étiam vitæ ætérnæ.. 282
Schólion. . . . . ib.
Solvúntur objectiónes. 283
II. Conclúsio. Nemo potest sibi meréri de condígno primam grátiam habituálem, seu justificántem. 284
Schólion. 285
III. Conclúsio. Nullus, præter Christum, potest álteri primam grátiam meréri de condígno; benè tamen de cóngruo. . . . 286
IV. Conclúsio. Homo justus potest sibi meréri de condígno augméntum charitátis, et grátiæ. 287
V. Conclúsio. Nullus homo potest de condígno meréri perseveránti am viæ. 288
Solvúntur objectiónes. 289
Schólion. 290

Tractátus de quæstiónibus præ-ípuis ad Secúndam Secúndæ Summæ Angélici Præceptóris spectántibus.

CAPUT I.—*De virtútibus theológicis.* 291
§ I. De fide. . . . . ib.
I. Conclúsio. Objéctum formále quod Fídei est prima véritas in esséndo, seu Deus ipse, ut ratiónem naturálem excédens. . . 292
II. Conclúsio. Objéctum formále quo, seu sub quo, vel ut álii loquúntur, rátio formális sub qua Fidei, est prima Véritas in dicéndo, seu divína veracitas revélans, cónnotans infinítam Dei sapiéntiam et bonitátem. . . . . ib.
III. Conclúsio. Objéctum materiále, et adæquátum fídei est omne revelátum à Deo; primáriò quidem Deus ipse, cætera verò secundáriò. 293

Corollárium. 294
§ II. An última resolútio assénsûs fídei, únicè fiat in divínum Testimónium, an verò in áliquid áliud? . . . . . ib.
I. Conclúsio. Última fídei nostræ resolútio nequit fíeri in humánum ratiocínium. . . . . ib.
Schólion. 295
Solvúntur objectiónes. . . . . ib.
II. Conclúsio. Última fídei resolútio nequit fíeri in solam sacram Scriptúram. 296
III. Conclúsio. Commentítius est spíritus privátus, quem suppónunt hærétici, adeóque in ipsum nequit fíeri última fídei resolútio. 297
IV. Conclúsio. Última fídei divínæ resolútio non fit, adhuc ut in cáusam partiálem, in propositiónem Ecclésiæ, sed únicè fit in divínum testimónium. 299
Solvúntur objectiónes. 300
CAPUT II.—*De hábitu fídei, ac de ipsíus conditiónibus.* 301
§ I. De definitióne fídei. . . . . ib.
§ II. De conditiónibus, quas fides divína necessáriò requírit. . . 302
I. Conclúsio. Objectum Fídei est necessáriò obscúrum, seu inévidens. ib
Corollárium. 303
II. Conclúsio. Ad eliciéndum actum fídei divínæ necessáriò requíritur pia affléctio, seu pia mótio voluntátis intelléctum ad assénsum inclinántis. . . . . ib.
CAPUT III.—*De áctibus fídei.* 304
§ I. De actu intérno fídei, qui *crédere* appellátur. . . . . ib.
I. Conclúsio. Fides divína supernaturalis est necessária necessitáte médii ad salútem. . . . . ib.
Petes: Quænam Fides sit necessaria necessitáte médii ad salútem: an scilicet sufficiat Fides habituális, an ulteriùs requiratur, quòd eliciátur actus Fídei? 308
II. Conclúsio. Post peccátum, étiam ante promulgátum Evangélium, fuit omni tempore necessaria necessitáte média áliqua Fides Incarnatióni Christi. 309
III. Conclúsio. Ante Evangélium sufficiénter promulgátum, Fides implícita Incarnatiónis commúniter fuit sufficiens ad salutem: post Evangélium áutem sufficiénter promulgatum, est necessária necessitáte médii Fides explícita. 310
IV. Conclúsio Post Evangélium sufficienter promulgatum, Fides explícita Mystérii Sanctíssimæ Trinitatis est omnibus necessária necessitáte médii ad salútem. 311
CAPUT IV.—*De præcépto actûs fídei extérni.* 313
I. Conclúsio. In nullo úmquàm casu, étiam vitandæ mortis causâ, licet fidem corde reténtam, ore, vel factò negáre, falsamque

extériùs profitéri, seu simuláre. . . . . ib.
Schólion. 314
II. Conclúsio. Tenétur fidélis aliquándò fidem suam extériùs confitéri. 315
Schólion. . . . . ib.
CAPUT V. *De vítiis fídei oppósitis.* 316
§ I. De infidelitáte. . . . . ib.
Petes: An Infidéles vî possint cogi ad Fidem amplecténdam? . . 317
Quid sit hærésis, et quómodò dividátur? 319
§ II. De Blasphémia. 320
CAPUT VI.—*De Spe.* 321
Quinam sint charactéres Spei? 323
Quænam vítia Spei opponántur? 324
CAPUT VII.—*De Charitáte.* 326
An Cháritas sit amor amicítiæ? . . . . . ib.
Quodnam sit Charitátis objéctum? 328
An Cháritas in via possit augéri? 329
An hábitus Charitátis possit à viatóribus amítti? 330
Ordo in Charitáte servándus. 331
Utrùm inimíci sint diligéndi? 334
Utrùm possímus Deo servíre, etália virtútum ópera exercére propter retributiónem? . . . . . ib.
An diléctio amici secúndùm se, et cæterìs páribûs, sit absolútè métiór, et magìs meritória, quàm diléctio inimíci? 335
Quómodò dividántur efféctus actûs Charitátis, et quot sunt tum intérni, tum extérni? 336
Quot, et quænam sint vítia Charitáti oppósita? 337
An Bellum sit lícitum? 338
Quænam conditiónes concúrrere debent, ut Bellum sit lícitum? . 339
Duellum quid sit, et an lícitum? 340
Quid et quotúplex sit Scándalum? 341
CAPUT VIII.—*De Religióne.* 342
Quot sint actus interióres Religiónis? . . . . . ib.
An Orátio sit necessária ad Salútem? 343
Quinam sint orándi? 344
Quot sint actus exterióres Religiónis? 347
Quænam vítia Religióni opponántur? 350

FINIS ÍNDICIS TOMI TÉRTII.

Typis Magriñá et Subirana.

NOVITIATE LIBRARY




2040

230
X16

AUTHOR Aquinatis

TITLE Theologicae

Vol. III

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED

2040

230
X16